FRANCI

SCI LAMBERTI AVE=
*nionensis Commentarij in qua
tuor ultimos Prophetas, nēpe
Sophoniam,
Aggeum,
Zachariam &
Malachiam.*

[illegible]

Argentorati, anno
M.D.XXVI.



ADVENERANDVM SENATVM ARGENtinensem Francisci Lamberti Auenionen. Epistola.



Franciscus Lābertus Auenionensis inutilis IESV Christi seru⁹ Christianissimis uiris, dominis Præsidibus & Senatorib⁹ uenerandi Senatus Argentinensis. Gratia uobis & pax, ac perpetuum sancti spiritus robur, à Deo patre nostro, & Domino nostro IESV Christo. Quo fiat, ut in uia sermonū ueritatis, cui⁹ Dei munere fa

cti estis participes, firmissime permaneatis, usque in diem aduentus domini nostri IESV Christi, ut sitis ex eis, quibus dicet: Venite benedicti in regnum patris mei, quod uobis paratum est ab origine mundi.

Alto mysterio, & multa Dei iudiciorum abysso, ueritas eloquiorum eius, quę tot sęculis abscondita fuit, diebus nostris felicissimis reuelata est, & pulsis horridę mendaciorum atq; hęresum noctis densissimis tenebris, rediit grata ueritatis ac sempiternę iustitię dies in qua uelut è profundo, eodémq; mortifero somno, ad desyderatissimam ęternæ salutis uigiliam dei munere euigilauimus. Benedicti qui se sinunt excitari, q hora sit nos iam è somno surgere, appropinquante nostra redēptione. Sed heu, sic dormiunt & stertūt plurimi, ut nullo uerbi sancti clamore excitari uelint. Cęcutiunt miseri ad sacram dei lucem, & quo magis illa fulget, eo cæci oculos obstinatius claudunt.

Placuit autem ei, à quo, per quem, & in quo omnia, ut in hanc inclytam urbem, nunc absq; similitudine, Dei uerbo, quā uniuersis opibus, omniq; eius gloria feliciorē et insigniorē (cui uos pręficere uoluit) ipsa ęternæ ueritatis suę sacrosancta lux, copiosiss. ac mira cū glo-

ria

ria radios suos mitteret. Nomen quippe suum timentibus, solis iustitiæ Domini IESV Christi, pennas ad sanitatem efficacissimas, de quibus infra Malach ult. tribuit, ut perfecta in eis sanitas esset, sanitas, inquam, à peccato, morte, & inferno, ac salus, uitáq; ęterna.

Porrò, quia hunc diem, hanc lucem, has pennas, cęci Antichristi & impij oēs, haudquaquam sustinent, omnia tumultibus implent, ęgris oculis splendorē haud perferentes. Et cū ab eorū reprobis cordibus, uelut à dissidiorū fonte, prodeāt hi tumultus, ob cōtradictionē perpetuam (siquidē pietati nūq; non cōtradicunt) at tamen non uerentur de ea re accusare tam ueritatē Dei, quā assertores eius. A ueritate quidem ipsa caro in eis regnans sumit ansam tumultuandi, contēdendi, & contradicendi, uerum nō proinde impollutæ ueritati, aut illius assertorib. hęc sunt tribuenda, quin potius eorum neutiquā ferē dæ malignitati. Etenim fieri nunquam potest, ut uerbo diuini spiritus animalis homo non contradicat, quòd spiritus & caro semper adfectibus pugnent.

Cæterum, ipsum Dei uerbum, est ueritas scripta in libro monumenti eius, de quo infra, Malac. 3. scripta, inquam, intus & foris, in

librosignato sigillis septem, quem solus agn⁹ suo spiritu aperit, & septē signacula, hoc est, omnia quę præpediunt, ne scripturæ ueritas capiatur, soluit & aufert. Apoc. v. In signaculorū autem eius solutione, hoc est, palā factis nōnullis ueritatibus, quę prius abscōditę erāt impijs, ueritati cōtradicentib. prętia surgere dicuntur, dempto, quòd in septimi sigilli apertione dicitur silentium factum media hora, de quibus, Deo uolente, apud ipsam Apocalypsim plenius agemus.

Proinde uiri clarissimi, cum nota res sit, hoc nostro benedicto sęculo, multa libri dei signacula, per Christum reserata fuisse, & ueritates eius mundo copiosissime illuxisse, pręsertim huic nobilissimæ urbi, nihil admiremini, ꝙ hi qui nimium sunt Antichristi factioni addicti, & pro ea hostes dei facti sunt, de uobis obloquantur, aut uobis minitētur. Nimirum in hoc felicissimi estis, ꝙ apertissimum ueritatis uobis referatę indiciū sit, ipsa id genus hominū cōtradictio. In hoc aūt maxime agnoscite, nō nisi a carne et Satana eos moueri, ut uobis sint infensi, ꝙ nullus uobis cōtradicat, pręter eos qui putāt per uerbū dei quicꝗ detrahi suę rapacitati et omnigenę abominatiōi, ut uidelicet nō tā possint undecū

que

ꝙ rapere suis malis artib. ut olim, nec tā libere adulterari, aut alioqui immūdi esse. Quādo quidē null⁹ cordatus uerbo domini cōtradicit, sed soli hypocritę et impostores, aut fœneratores, aut immūdi et fornicarij, cęlibat⁹ assertores, aut beneficijs illis impinguati, aut q se aut suos per ea uolūt impinguari, aut reliq huius farinę. Nihil expauescite hos titiōes fumigantes. State, et spiritu domini roboremini. Memores estote, ꝙ mirifice deus iuuerit Israelitas, cū uerbo suo acquieuerūt. Gedeon cū trecentis pręualuit aduersū infinitā multitudinē. Sub Ezechia occidit angel⁹ domini ex Sennacherib exercitu, centum octoginta quinq; millia. Pręualuit Dauid contra gigantē in funda et lapide, et superbiā hostiū humiliauit. Holofernes occisus fuit per manum Iudith. Insidias Amā uertit deus in caput suū, et seruauit populū suū. Eiusmodi exēplis roboremini, et cōfidite, scientes ꝙ non sit abbreuiata manus domini, & dicite: Viuit liberator noster. Tantum uidete, ne apostatetis à ueritate, quinpotius modis omnib. adnitimini, ut in toto principatu uestro nihil fiat, nihil instituatur, qđ impollutis dei sermonib. non per omnia cōsentiat. Aduigilate quoq;, ne cōtra uos irascatur domin⁹, ꝓpter eos, qui liber

tate Christiana abutũt in carnis occasiõem, cũ non carnis, sed spũs libertas sit. Execratur nãq; admodũ ipse domin⁹ uirũ, q̃ facit hoc, ꝙ pro ipsa spiritus libertate maxime zelet. Videte ne in sęculi huius copia, diuitijs, aut munitionibus quicquam fidatis, sed Domino toto corde fidite, scientes nullam custodiam, nullúmque robur, aliquid esse, nisi deus muniat & custodiat.

Non dicimus, urbem non custodiendam aut muniendam, sed nihil fidẽdum custodijs aut munitionibus. Fides quippe uera non patitur, ut quis alienis à Deo fidat, & fieri non potest, ut non tandẽ corruat, qui fidit creatis.

Seruate, quod accepistis Dei uerbum, & nihil negligite, quo in uobis permaneat. Ad id sunt potissima, frequentia uerbi sancti, Christiana institutio puerorum, & sacræ lectiones. His quippe uobis adaugebitur benedictio Domini, & hinc magis glorificabitur in Domino hæc præclara urbs, quàm à diuitijs omnibus. Per id enim uocabitur ciuitas electa, ut in ea doceatur ueritas, schola pietatis, sanctorum habitatio. Etenim est iam uelut ciuitas quædam refugij, non homicidis, adulteris, ac criminosis, sed his, quos homicidæ & Antichristi persequuntur. Per id

quoque

quoque fiet, ut undecunque ad eam ueniant & cõfugiãt fideles, uere docti à domino, quasi ad quandam ueritatis ciuitatem, & multiplicabuntur in ea ciues sancti, & simul lętitia uera magnificabitur.

O quàm melius ei est, quámq; pręclarius, habere ueritatem, quàm mendacia: sacras lectiones, quàm missarum nundinationes, & boatus illos pharisęorum: sacrum & impollutum coniugij thorum, quàm adulteria, incestum, scortationem, & cœlibatum illum spurcissimũ regni perditionis: operari manibus, quã in claustris uiuere in ocio, murmure, inuidia, hypocrisi, & detractione: adorare Dominum in spiritu & ueritate, quàm uenerari idola aurea, argentea, ęnea, lapidea, & lignea.

Hæc sunt, quibus ego peccator dudum motus fui, ut in eam uenirem, & in ea implerem ministerium, ad quod uocauit me Deus, nempe, uerbi sui interpretandi. Quod & scripto & uiua uoce sicut accepi, hactenus feci, post Ezechielem & alia nonnulla, Apocalypsim & Danielem nunc enarrans. In ea quoq; urbe aliquot emisimus commentarios, pręsertim in Prophetas duodecim, quorum ultimum tomum uenerando senatui uestro dicare uolui, sub uestro nomine eos-

dem publicos faciens, ut sancta Ecclesia uestra animetur ad progrediēdum in eo quod cœpit, uidelicet in sacrosanctæ ueritatis adsertione, simúlq; ostēdens meū in uos obsequium, & gratus esse uolens, pro uestra in me non parua beneficentia.

Nunc ergo Domini spectatissimi grato animo suscipite, & boni consulite, huius Christi pauperis, & uestri clientuli munus, et orate dominū ut in nobis perficiat, quæ incipere dignatus est. Gratia Domini nostri IESV Christi, et gaudiū uerū in spiritu sancto, perfectúmq; animi robur, ad persistendum in ueritatis confessione, sint cum omnibus uobis, Amen. Argentorati, in sancto die Natalis Domini nostri IESV Christi, priore die anni à Christo nato uigesimi sexti, supra millesimum, & quingentesimum.

Eiusdē

EIVSDEM CANTICVM VEL Psalmus, de gloria uerbi Dei, deq; iudicijs eius, cuius singuli uersus incipiunt, à singulis literis huius uersiculi.

ARGENTINA BEATA EST, SI IN VERBO DOMINI PERMANSERIT, FIAT.

A Vdite hæc omnes populi, auribus percipite uniuersi habitatores terræ.

R ebellis quoq; Synagoga incredulorum, ualidam excelsi manum contra se uideat.

G ens cæca, & absq; sano consilio, cuius oculos utinam aperiat Deus.

E tenim solo carnis sensu increduli uiuunt, & non est in eis sanctorum prudentia.

N on nisi Dei uerbo omnia constant, & propter credentes uniuersa subsistunt.

T otius quippe mundi hæredes sunt, & propter eos solos nota fecit eloquia sua.

I n carne tamen aduenæ sunt & peregrini, quod fuere omnes sancti ab initio.

N on enim hic est quod sperant, sed futurum est, tametsi in eorum gloriam omnia conuertentur.

A tteruntur nunc & premuntur, uarijs modis quasi impij, quibus mundus semper indignus fuit.

Beati

B eati sunt ueruntamen etiam in medio flammarum, & umbræ mortis, quòd pax illis sit, à spiritu IESV Christi.

E st quippe illis Dominus illuminatio ac salus, & protector est uitæ eorum.

A dest illis in uinculis paupertie, & omni malo, & dum cadunt non colliduntur.

T ristitia multoties pleni sunt, Dei uerbo interim certi quod uertetur in gaudium.

A ngustijs eorum iuncta est animi tranquillitas, quòd spes optima illis sit reposita.

E st contrà sæpius impijs sæculi pax, tametsi nihil ad eos pertinet hæreditas mundi.

S iquidem exaltantur & eleuantur in tempus, & in puncto deficit gloria eorum.

T anquam puluis proijcientur à facie terræ, & non erit illis portio cum electis Dei.

S ed id nequaquam uident miseri homines, quos propria iniquitas excæcauit.

I nsaniunt in sanctum Dei uerbum, & inculcari uolunt sola mendacia sua.

I nsidiantur iusto & pauperi, & malignantur in adsertores ueritatis Christi.

N ostro uero sæculo id maxime faciunt, nolentes per uerbum Domini palàm fieri abominationes suas.

V eritatis namq; lucem execrantur, & solæ errorum tenebræ illis placent.

E t ideo mox ut denuo illuxit, sæuissime agunt, quòd sit

penitus

penitus contraria adfectibus eorum.

R abies cepit eos uelut canes, quòd summe timeant uentribus suis.

B onum dicunt malum, & malum bonum, & spiritum Dei non uenerantur.

O ptant in bonis ducere dies suos, non uidentes quòd in puncto ad inferna descendent.

D eficient impij à consilijs suis, & Dei uerbo tenebrarum potestas destruetur.

O mnibus palàm fiet eorum impietas, & nudabitur ignominia eorum.

M agnæ nimis & graues erunt plagæ eorũ, quia magno Dei nomini credere noluerunt.

I n omni loco erunt ruinæ Antichristorum, & proinde luctus, planctus, & ululatus.

N on enim stabit maledicta Babylon, sed calcabitur tandem in omni terra.

I ratus est aduersum te Deus, ò scortationum parens, quæ mortifero hypocriseos calice potasti innumeros.

P ellexisti eos, ut à Domino post te fornicarentur, & ad id confinxisti tibi mendaciorum noctem.

E t nunc ò spurca meretrix sine manu contereris, per inuictum sermonem Dei.

R etorquebuntur in caput tuum insaniæ tuæ, & calcabunt te hostes tui.

M irabilis agnoscetur Deus, cum iudicarit de te, & per id sancti benedicent nomini sancto eius.

Audi

A udi maledicta quid tum facies, dum proijcieris ut stercus, & calcaberis ut lutum platearum.

N unc confortemini uerbo ueritatis sancti omnes, & pleno corde fidite Domino.

S tate in confessione nominis eius, ut perpetuò sitis in sorte iustorum.

E tenim spes nulla superest apostatis, qui à bono Dei spiritu & uerbo semel gustato deficiunt.

R estaura Deus ruinas nouæ Hierusalem, & congrega in eam electos tuos.

I nstaura ut cœpisti uerum tui nominis cultum, & hypocrisim Antichristorum enerua.

T empus id faciendi Domine, nam dissiparunt & contaminarunt sanctuarium tuum.

F ac longe ab Ecclesia tua sensus carnis pestem, & immitte nobis spiritum sanctum tuum.

I nfecit quippe orbem multis sæculis, & nouis artibus, quidam perniciosius illam denuo reuocare nituntur.

A tuo uehementi spiritu ignis prodeat, & uoret omnia studia eorum.

T u autem sis doctor & eruditor noster, & perfice nos in ueritate tua.

AMEN.

Commen-

COMMENTARIORVM FRANCISCI LAMberti Auenionensis, in librum Sophoniæ Prophetæ,

PROLOGVS.

SAnctus & fidelissimus Rex Iosias, ut liquet. 4. Reg. 22. & 23. et. 2. Para. 34. Instaurauit Dei cultum, quem Reges qui cũ antecesserant abstulerãt ex Israël. Ipse dißipauit excelsa, lucos, phana, idolorũq; altaria, & omnẽ abominationẽ, quã reperit cõtra Dei uerbum positam. Sacerdotes quoq; idolorum, combussit super idolorum altaribus. In toto corde suo reuersus est ad Dominum, ita ut neq; ante eum fuerit, neq; post eum surrexerit ei similis. 4. Reg. 23.

His ueruntamen nihil obsistentibus, tam multum potuit decretum omnipotentis Dei, de Hierusalem & Iudæ euersione, maxime autem ut eodem loco habes, propter abominationes, quibus eum prouocauerat Manasses, ut uellet auferre Iudam, sicut proiecerat Israël, & proijcere eam quam elegerat ciuitatem, & domum siue templũ, quod nomini suo dicari uoluerat. Quæ mortuo ipso Iosia, sub filijs eius facta sunt. Nimirũ filium eius Ioachaz, tulit Nechao Aegypti Rex, & duxit in Aegyptũ, pro eo

constituens Eliachim, quem mutato nomine uocauit Ioakim. Quem cũ cius succeßore, cui nomen Ioachim, tulit & duxit in Babylonem, Nabuchodonosor Rex. Tandem undecimo anno Sedechiæ, subuertit Hierosolymam, & Iudam sibi subiugauit. 4. Reg. ult. 2. Para. ult. et Hiere. ult.

Porrò dicti Iosiæ temporibus fuit Sophonias, & primum quidem, prænunciauit mala Iuda & Hierusalem, deinde ne sanctus Rex, & pij contristarentur, & putarent se omnino abiectos, prænunciauit gentium contritionem, & plurima de reliquijs Israël, ueraq; Hierosolyma, id est, Ecclesia prophetauit.

EIVSDEM ARGVMENTVM in eundem Prophetam.

BReuis, uerum insignis est Sophoniæ prophetia, de Christo & Ecclesia, ac contra impios multa habẽs. Primum autem capite primo, agit de omnium defectione, impiorumq; ruina, de flagellis Iudæ & Hierusalem, & ad id ibidem complura.

Capite secundo, cõmonefacit gentes, ut Dei iudicia resipiscendo præueniãt, & pro Dei populo, aduersum Philistæos, Moabitas, Ammonitas, Aethiopes, Assyriosq; prophetat, & ibi loci insignes de gentium conuersione.

Capite. 3. prophetat aduersum impios Principes, Iudices, sacerdotes, & Prophetas Hierusalem. Et ibi multa præclarißima de ultima Israëlis conuersione, quam multis locis adseruimus.

Incipit



INCIPIT SOPHONIAS PROPHETA.

CAPVT PRIMVM.

Summarium Capitis: Primum, generatim prophetat de omnium quæ sub cœlo sunt defectione, impiorumq; ruina. Secundo speciatim, aduersum Iudam, propter idololatriam. Tertio, diem Domini contra eos inculcat, quo quasi ad hostiam solennem, erat Chaldæorum excercitum uocaturus, ubi & planctus eorum prædicitur. Quarto, dicit se scrutaturum mala Hierusalem, in lucernis &c. Quod tum fecit, dum pro uniuersis eorum criminibus eos puniuit. Ad idq; multis modis diei Domini amaritudinem inculcat. Quinto, quòd nullo medio à flagellis Dei poterant liberari.

PARS PRIMA.

VErbum Domini quod factũ est ad Sophoniã filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amasiæ, filij Ezechię, in diebus Iosię filij Amon Regis Iuda.

Maiores Sophoniæ Prophetæ fuere, iuxta Hebræorum adsertionem, qui dicunt eorum progenitores etiam fuisse Prophetas, qui in Prophetiæ illorum principijs scribuntur. Quod & alibi diximus. Vere digna cognatio, quòd à sanctis sanctus fuerit genitus, cui sermo Domini reuelatus fuit. Porrò superflue à nonnullis, super nominibus hic positis mysteria quæruntur, cum non nisi ad genealogiam Sophoniæ indicandam sint conscripta. De eo quòd diebus Iosiæ prophetauit, in prologo dictum est.

Congregans, congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus, cõgregans hominem & pecus, congregans uolatile cœli, & pisces maris. Et ruinæ impiorum erunt, & disperdam hominem de terra dicit Dominus.

Vbi hic habes, congregans etc. Heb. legunt, faciã deficere seu amouebo. Proïde Septua. uerterũt: defectione deficiat à facie terræ, dicit Dominus, deficiat homo et iumẽta, deficiant uolatilia cœli, & pisces maris. Neq; id rarum est in scripturis Dei, ut congregare pro auferre ponatur.

Igitur spiritus sanctus, prænunciaturus euersionem Hierosolymæ, pro eo quòd à Deo apostatarat, prius de omnium carnalium, atque etiam totius mundi excidio prophetat. Neq; enim illis subscribimus, qui, quod generatim hic positum est, speciatim de regno Iuda enarrant. Deficiet nimirum à terra omnis homo, & omnia penitus innouabuntur.

innouabuntur· Deficient quidem sancti à terra in eorũ perpetuam gloriam, quòd mors corporea, sit illis malorum omnium finis, & pacis inuariabilis initium· Contrà impij deficient ab ea, pulsi Dei iudicio tanquàm puluis flante uento à facie terræ· Psal· . Pulsi autem in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius· Quando quidem eorum mors pessima, est illis omnis etiam terrenæ quietis finis, & principium malorum quæ nunquam sunt desitura· Sensim autem deficit orbis, & ruinæ impiorum sunt, disperdunturq́; iniqui, donec omnino deficiant, per innouationem, quæ maxime in extremo iudicio erit· Porrò is est ordo quem hic Dei spiritus seruauit, prius de generali mundi totius, secundo de speciali Iudæ euersione prophetando, eiusmodi est ac si quis paterfamilias, habẽs plures filios discolos, & omnes cæsurus, uni eorum diceret: Ecce omnes flagellis durissimis cædam, uerum interim à me uapulabis·

Per id ergo quòd omnia hic defutura prædicuntur, de breuitate huius uitæ, & mundi fine uniuersi admonentur, ne quis adponat cor suum, aut corporis uiribus, aut diuitijs, aut omnibus quæ sub cœlo sunt· Caro siquidem, tamesi uidet omnia deficere, & quotidiana ad id sentit experimenta, nihil ueruntamen tale, uiua & syncera cogitatione, de seipsa cogitat· Idcirco electorum quisque Psal·38· sic deum precatur: Notum fac mihi finem meũ, & numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi· Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & sub-

stantia mea tanquam nihilum ante te. Antichristi *factio hunc textum adnumerat uersibus quibusdam, quos execrabili commento Bernhardo adserunt reuelatos, à dæmone* Dei *uirtute coacto, putantq́; per id peti, reuelari sibi, quot sint annis aut diebus uicturi, ut sciãt, inquiunt, quid desit nobis, præparare scilicet ad mortẽ seipsos, quasi fidelem nõ sit opus semper esse ad mortem præparatum, quæ præparatio, est uiuere ex fide.* Nam *præter hanc præparation nulla nisi hypocritica est.* Sed *errant cæci:* Petit *namq; fidelis psalmo præscripto, ut sibi notus fiat dierum suorũ numerus, quàm scilicet breuis & modicus sit, ut noscat quàm sibi desint plurima, nempe uitæ perpetuitas, certitudo temporis quo uiuet, quòdq; opus sit eum fide super se uigilare, ne per infidelitatem dormitet.* Ideo *posteaquam orauit:* N*otum fac mihi &c. quasi à* Deo *ex auditus & illustratus, subiungit:* Ecce *mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Et *est sensus:* T*u* D*eus mensuram uitæ meæ nosti, & solus quidem, atq; à tuo beneplacito pendet uita mea.* N*ihil enim sum ante te, non quòd me quem fecisti & seruasti spernas, sed q, à nomine potes cohiberi, ne occidas me, cum id uolueris, omnia enim in manu tua sunt.*

PARS SECVNDA.

ET extendam manum meam, super Iudam, & super omnes habitatores Hierusalem

Hierusalem. Et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina ędituorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorant & iurant in Domino, & iurant in Melchon, & qui auertuntur, de post tergum Domini, et qui non quęsierunt dominum, nec inuestigauerunt eum.

Quarto libro Regnorum, ca. 22. & 23. & 2. Para. 34. et. 35. palā est uidere, quāto studio sanctus rex Iosias fecerit quæcunq; nouit grata esse domino, quantoq; zelo omnia excelsa, & omnem idolorum abominationem, ab uniuersis Israëi finib. exterminarit, quē admodum de illo prophetatum erat. 3. Reg. 13. Verum nō tam ualuit purgare Iudam, ab immunditijs, quas priores reges admiserant, ut non superessent in hypocritis reliquiæ earum. Adhuc enim erant, qui uel clam idola uenerabātur, propter quod, hoc loco Iudææ euersio prædicitur.

Aeditui custodes ædium sunt, & hic phanorum custodes intelliguntur. Deniq; nonnulli, cœli militiam, hoc est, solem, lunam, stellasq; uenerabantur, adorabant quoque Melchon Ammonitarum idolum, putantes se posse deum simul & idola colere. Tamq; insanierant, in his immunditijs, ut etiam per idola iurarent, per ea sermonem suum cōfirmantes, quasi nō satis illis fuißet testimoniū dei. Heu nobis qui tot sæculis plus omnib. Israëlitis idolorū cultu insaniuimus, et adhuc omnia templa illis plena sunt, quæ

& uenerationi habentur. Sed uenient dies, quibus suum aduersum illa iudicium deus palàm faciet, perdetq́; æditu os idolorum, cum eorum sacerdotibus, atq; cultoribus: Dum hic uides deum abominari, eos qui adorabant & iurabant in nomen eius, & nomen idolorum, obserua fieri non poße, ut cum uero Dei cultu idolorum ueneratio admittatur. Coangustatum enim est, nostri cordis stratum, ita ut alter decidat & palliũ breue utrunque operire non potest. Esa. 28. Deniq; nemo potest Deo seruire & mammonæ: Ideo si quis idolorum cultor, adserit, quòd etiam Deum ueneretur, falsum loquitur. Nimirum, quemadmodum hic de Hierosolymitis dicitur, tum maxime ob hypocrisim, auertuntur à domino, non quærentes neque inuestigantes eum. Quamuis enim dicãt quòd deum ante omnia quærant, pro nihilo tamen est coram Domino, omnis eorum solicitudo, quòd ad hypocrisim spectet. At qui in hypocrisi dominum quærit, nihil minus facit quàm quod se facere adserit.

PARS TERTIA.

SIlete à facie Domini DEI, quia iuxta est dies Domini, quia pręparauit dominus hostiã, sanctificauit uocatos suos.

SIlet à facie Dei, qui agnitis iudicijs eius, terretur, obstupescit, humiliatur. Porro dies illi, seu tempora, quibus

bus sua iudicia implet, dies eius appellantur. Sic dies domini fuit Iudæis, eorum uastatio: dies eius pro electis, tempus quo Christus in carnem uenit, & pro illis est passus, itidem omne tempus quo eos iuuat. Similiter est iudicandum, de omni tempore, quo Deus aliquid in nobis operatur. Tibi est dies domini iustificatio tua, & omne auxilium quod ab illo accipis, itidem omnis punitio eius, & id genus cuncta.

Ait ergo: ô Hierosolymitæ, silete, humiliemini, obstupescite, uosq; abijcite, & toto corde quidem à facie Domini, scil. à præsentia iudicij eius. Quia iuxta & in proximo est dies domini, quo suum contra uos est impleturus iudicium, & præparauit hostiam hostibus uestris, eosq; uocauit & sanctificauit, id est, segregauit sibi, ut suum bellum aduersum uos prælientur, ac uniuersa quæ hactenus possedistis auferant. Hi uocati et sanctificati Chaldei sunt. Quòd hic dicit, præparauit dominus hostiam, &c. Alludit ueterum consuetudini, qui dum solennes hostias offerebant, celebrabant conuiuia, multos ad ea uocantes. Sensus ergo tantum est colligendus, nempe quòd sicut olim uocatis ad conuiuium hostiæ solennis multa abunde subministrabātur. Ita Chaldeis in Iudæā uenientibus, illis erat omnium Iudeorum bona traditurus: Sed apertius audi, quid fiet in die hostiæ huius.

Et erit in die hostiæ Domini, uisitabo super principes, & super filios Regis, & super omnes qui induti sunt ueste peregrina. Et

uisitabo super omnem qui arroganter ingreditur, super limen in die illa, qui cōplent domum domini dei sui, iniquitate et dolo.

Non raro diximus quòd punitionem quā deus immittit, amabili uocabulo uisitationem scriptura appellitet, eo quod semper æquo animo sit, etiàm cum flagellat. Cæterum nunquam nō punit minus, quàm mereamur. Ergo tum uisitat dum punit.

Igitur in die præscriptæ hostiæ domini, id est, punitionis Iudææ & uocationis Chaldæornm ad eam, per eos uisitabit, id est, puniet principes omnes, filiosq; eorum, etiam regis, ac uniuersos qui induti sunt ueste peregrina. Pro ueste peregrina Septua. uerterunt: uestimentis alienis. Ego puto id maxime capiendum de impijs diuitibus, qui rapinis pauperum uestiti erant, & in superbia quidem, quo & execrabiliores erant coram domino. Sūme namq; abominatur utrunq;, scilicet & rapacitatem et superbiam. Vnde & aduersum illorum superbiam adiecit: Et uisitabo super omnem qui arroganter &c. Qui complent domum, id est, templum domini Dei sui, iniquitate & dolo. Sensus est: qui in templo, nihil agunt, præterq̄ excogitare dolos in proximos, quibus uel eos diripiendo euadant ditiores.

Heu nobis miseris, in quibus reperiuntur absq; numero qui omnium Israëlitarum, dolos, rapinas, superbiam atque arrogantiam uincunt, hi quicunq; sunt, nihil dubitent se puniendos. Veniet siquidem hostiæ domini sæuissimus dies

mus dies, quo de eorum malis et interitu lætificabit hostes eorum. Hoc quippe de omnibus impijs certum est, quòd nisi Dei misericordia, illis aduenìat dies quo iustificētur, ueniet illis flagelli dies, tempore quod ab æterno præfini uit deus, donec æternis supplicijs crucientur.

Et erit in die illa, dicit Dominus: uox clamoris à porta piscium, & ululatus à secūda, & contritio magna à collibus.

Porta Hierosolimæ respiciens mare, per quam maxime pisces inferebantur, porta piscium appellabatur. Cæterum per colles, & mons Sion, & quæ in eo erant, nempe templum & domus Regia capiuntur. Sensus huius loci est, quòd tā grauis futura erat tribulatio Hierosolymæ, in die contritionis eius, quòd in portis, templo, domo regia, & omnibus urbis locis erat futurus, clamor, ululatus, & planctus: Vlulatus est confusa, uerum ingens plangentium uox.

Vlulate habitatores pilę. Conticuit omnis populus Chanaam.

Pila est lapis concauus, in quo aliquid teritur. Quia autem in Hierosolymorum urbe populus erat cōterēdus haud secus atq; ptisanæ in pila, idcirco ipsa Hierosolyma pila adpellatur. Populus deinde Iuda, quia abominationes Chananeorum imitabatur, hic Chanaam uocatur. In quem etiam sensum, dicitur Ezech. 16. Pater tuus Amorreus, & mater tua Cethea. Itemq; Oseæ 12. Chanaam in manu eius statera dolosa: Rursumq; impio seni & iudici

dicitur Danie. 13. Semen Chanaan & non Iuda. Nimirũ quisque recte uocatur, nomine eius quem imitatur. Sic & impij diaboli ac filij eius dicuntur, pij uero Christi, iusti & sancti: quæ nomina Christo proprie congruunt. Dicitur ergo Hierosolymitis: Vlulate ò habitatores pilæ, qui scilicet in illa estis, haud secus atq; ptisanæ in pila, mox feriendi & conterendi. Quòd autem ita capi oporteat, ex eo notum fit, quod sequitur: Conticuit omnis populus Chanaan, id est, Iuda, qui mores & immundicias Chananæorum sequebatur. Cónticuit in præterito dixit, ob rei futuræ certitudinem. Significat autẽ defecit. Quo etiam sensu habetur Oseæ quarto: Nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus eius, quia non habuit scientiam Vbi et hanc dicendi rationẽ plenius exposuimus.

Dispericrunt omnes, inuoluti argento.

Argento inuoluti erant, qui pleni erant diuitijs, & illis cor apponebant. Itidem qui etiam alioqui erant egeni, nihilominus autem diuitijs contra fas adficiebantur, pro inuolutis argento coram Domino habebantur. Horũ perditio certißima, sermone præteriti hic prænunciata fuit. Veh uniuersis inuolutis argento, impijs scilicet diuitibus, & his qui terrenis adficiuntur. Nimirum eos non perire impoßibile est.

PARS QVARTA.

Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem

in

in lucernis, & uisitabo super uiros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene dominus, & non faciet male. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum.

Aduersum incredulitatem nonnullorum est hic sermo. Putabāt enim se uitare posse manum domini. Et dicebāt inter impia facta sua: Quis nos uidet? Et illud Iob. 22. Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. Et illud quod hic habes: non faciet bene &c. Quorum studijs summè aduersans dominus, ait: Scrutabor Hierusalem in lucernis. Non est deo opus lucernis, ut aliquid reperiat, sed est loquendi modus significans, quòd eos illorumq́; facta puniendo respiciet. Respicere enim dei, quandoq; illius auxilium, quandoq; uero punitionem significat, prout locorum circunstantia exigit. Liquet autem, quòd hoc loco, pro flagellis eius ponatur: Porro hæc dictio, scrutabor significat apertissimam Dei cognitionem, qua facto Iudæis ostensurus erat, quòd omnia eorum studia quantumlibet abdita, illi nota erant. Dum enim pro eisdem illos puniuit, quid aliud quā se uniuersa nouisse ostendit?

Ipsa autē dei punitio manifestius, uisitationis uocabulo palā fit, cum dicitur: Et uisitabo, id est, puniam, super uiros defixos in suis fæcibus et abominationib. q scilicet eas amant, et dicūt in cordibus suis: Hieremiæ, Sophoniæ

&

& aliorum Prophetarum uaticinijs contradicentes. Nõ faciet bene &c. Maxime infidelitatis est uerbum istud, quod quia maxime ab improbo terrenorum amore profi ciscebatur, recte de illorum substantia prophetatur. Et erit fortitudo ac omne robur eorum in direptionem, non dubium quin Chaldæis, & domus ac possessiones eorum, in desertum.

Recordemur & nos huius sermonis, quo dominus indicat suam perfectissimam omnium rerum notitiam, uide licet quòd omnia in lucernis scrutetur. Arbitremur in omnibus, & sic semper agamus, quasi nostris auribus, semper nobis insonet is eius sermo. Scrutabor uos ĩ lucernis.

Et ædificabunt domos, et non inhabitabũt, & plantabunt uineas, & non bibent uinum earum.

De hac punitione aperte Moses prophetarat. Leui. 28. & Deut. 26. imò & de omnibus malis, quæ Israëlitis intulit. Quo ostenditur & ueritas sermonum Dei, & quod Prophetarum uaticinia, in legis confirmationem erant. Id genus punitiones innumeras, nostris etiam sæculis facit.

Iuxta est dies domini magnus, iuxta est, & uelox nimis.

Hac replicatione, malorũ uicinitatem prænunciauit. Pari inculcatione mali imminentis, Hierosolymæ uastationem & finem, Ezechiel prædixit. Ezech. 7. Vide ergo ne superfluum putes, quod spiritus Dei consilio sæpe dicitur.

citur. Deniq; & id est Dei ministrorum proprium, quòd uoluntatem Dei sæpißime inculcent.

Vox diei Domini amara. Tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccauerunt. Et effundetur sanguis eorum, sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.

Quid dies Domini, late patet ex his quæ prædiximus. Et quod ad regnum Iuda attinet, dies Domini fuit euersio eius Huius diei uox fuit amara, præ multitudine lugentium, & clamantium & ululantium. Tribulabatur in eo die, fortis quicunq;, quem Deus conterere uoluit, quòd fieri non poßit, ut Dei manum effugeret. Porrò huius dieï mala grauißima, his quæ subijciuntur fiunt nota. Dies, inquit, iræ. Cuius? non dubium quin Dei, cuius ira punitio eius est. In eo siquidẽ iræ aut furoris paßiones haudquaquam reperiũtur, sed scripta sacra, punitiones quas immittit, iræ, furoris, indignationis, atq; id genus uocabulis, palàm facere consueuit. Tempus ergo, quo Deus flagellis suis ostendit quid odio habeat, dies iræ adpellatur. Tametsi is sensus nõ est ubiq; seruandus. Nã sæpe flagellat electos, ut probentur, & ipsæ Dei percußiones amoris indi-

ris iudicia illis sunt. Sic flagellis adficit Iob, Tobiam, & alios sanctos. Ea etiam ratione, secundum præfinitionem Dei, omnes qui pie uolunt uiuere in Christo IESV, persecutionem patiuntur.

Deniq; diei præscriptæ amaritudo, hac inculcatione monstratur, cum dicitur. Dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ. Vbique enim in Iudæa tum fuit tribulatio, augustia & calamitas. Dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis. Quemadmodum luce prosperitas, ita tenebris, & alijs hic positis, quibus lux præpeditur, aduersitas significatur. Cæterum eam lucis priuationem, uarijs dictionibus prænunciauit, ut grauißima fore non dubitaretur. Dies tubæ et clangoris, hostium irruentium, super munitas Iudææ ciuitates, & super angulos excelsos, altas uidelicet, fortißimasq; turres. Tum homines tribulati adflictiq; fuere, & ambularunt ut cæci, nescientes quo irent. Omnium autem horum malorum causa est, quia Domino peccauerunt, apostatantes ab eo post idola, figmenta & somnia sua, alienisq; ab illo fidentes. Is quippe est unus & summus fons omnium malorum, quæ ab orbe condito fuere, apostatare à Domino. Ob id Iudæorum sanguis tum effusus fuit sicut humus, & corpora eorum sicut stercora: Quo sermone, & multitudo & facilitas occisionis eorum figuratur. Multa heu nostro etiam calamitoso sæculo, eiusmodi iudicia Dei conspicimus, imò absque similitudine plura, & grauiora. Quid ergo fit, ut tam misere & in suum

interitum

interitum multi ab illo apostatent, deserentes, calcantes, & damnantes impolluta eloquia eius? Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos, & misereatur nostri, ut cognoscamus eum, & ueritati eius impollutæ toto corde adquiescamus. Alioqui nihil nobis sperandum, præterquam quòd simus habituri diem Domini aduersum nos, omnium malorum plenissimum, cuius initia manifestissime experimur.

PARS QVINTA.

Sed & argentum eorum & aurum, non poterit liberare eos, in die iræ Domini, & in igne zeli eius, deuorabitur omnis terra. Quia consummationem cū festinatione faciet, cunctis habitantibus terram.

EVm quem Deus percutere uoluerit, à manu eius nullare potest liber fieri. Sic in die contritionis Iudææ, à manu Domini non eripuerunt impios diuites thesauri eorum, in quibus fiduciam habuerunt, quod hoc loco per os Sophoniæ prædixit spiritus sanctus. Porrò quod sequitur. Et in igne zeli &c. Primum de Iudæis, dehinc de uniuersis impijs, ac terrenis omnibus quibus fidunt intelligitur. Nimirum in igne zeli eius, quo ueritatem suam diligit, & omne mendacium odit, tempore quod ab æterno præfiniuit deuorabūtur, & impij qui fuere in hunc usque diem deuorati sunt. Impossibile

sibile quippe est, id tum non fieri. Proinde subditur: Quia consummationem &c. Quando faciet hanc consummationem cum festinatione? Hoc est: Quando implebit cito hoc uerbum, quo toties impios conterendos prædixit? In die iræ suæ. Quis est hic dies? Tempus in quo iuxta æternum propositum suum illos punire decreuit. Neque enim unquam fieri potest, ut eo tempore ueniente, uel ad momentum quidem, impiorum euersio differatur. Idcirco hic prædicitur, quòd ipsa consummatio & adimpletio uerbi sit cum festinatione futura. Quidam putant hic cōsummationem pro euersione capi, quod nullatenus puto. Etenim de sermonis prophetici adimpletione, est uerbum istud, quo decreti Domini inuariabilitas ostenditur.

CAPVT SECVNDVM.

Summarium capitis. Primum, omnes Gentes generaliter præmonet, ut præueniant Dei iudicia, per resipiscentiam. Secundo, præcipit omnibus omnium gentium electis, ut Dominum ac Christum eius quærant. Tertio, prophetat aduersum Philistæos, pro Dei populo, nempe quòd Philistæa illi cedat in usum. Quarto, pro eodem populo Dei prophetat aduersum Moabitas et filios Ammon. Quinto, prophetat aduersum Aethiopes, Assyrios & Niniuem.

Pars

PARS PRIMA.

Conuenite, congregamini, gens nō amabilis, priusquam pariat iussio quasi puluerem transeuntem, diem, antequam ueniat super uos ira furois Domini, antequam ueniat super uos ira indignationis Domini.

Populo Regni Iuda, & eidem quidem soli, nonnulli hæc dicta sentiunt, ego aliud puto, nempe q̄ sit generalis præmonitio nedum Iudæorum, sed & omnium gentium, quas afflicturus erat: contra quas etiam & Sophonias & Esaias & alij innumeri prophetarant. Quod uel ex hoc licet agnoscere, q̄ dicit: Gens non amabilis, quod magis reliquis populis quàm Iudæis competebat. Nam tum Iudæorum plebes dilectæ, aliæ uero omnes non dilectæ uocabantur. Verum non nego simul de Iudæorum impijs capi, quādoquidem & ipsi propter abominationes suas haud secus, quàm gentes non dilecti erant. Simul ergo & Iudæos & Gentes omnes, quas contriturus erat, præmonet, ut conueniant in unum & congregētur, non dubium quin ad resipiscentiam, facturi ut Niniuitæ, qui mox audito uerbo Domini, facto senatu, indixerunt ieiunium, & iusserunt ut omnes saccis operirentur.

Præcipit autem, ut non dormitēt, sed ad id faciendum mox aduigilent, priusquam pariat iussio, & uisio impleatur,

atur, quod tum est, cum impletis iniquitatibus suis, dies furoris Domini, quo sua aduersum illos est iudicia impleturus, adest. Eo die præsente, non est spes æterni decreti reuocandi, q immutabile sit. In tempore ergo quo nondũ parit iussio & uerbum, quærenda est misericordia altissimi, & ad id conuenire oportet in spiritus unitate. Dum nanq; dies partus iussionis seu impletionis uerbi Dei aduenerit, serum erit congregari, immo nec licebit quidem. Nimirum ipsa iussio pariet tum diem transeuntem quasi puluerem, hoc est, in quo erit omnium celerrimus & facillimus transitus, quemadmodum cum puluis à uento rapitur & proijcitur à facie terræ. Sensus est, q eo die omnes populi in quos ueniret manus iudicij & flagelli eius, mox occiderentur affligerenturq; uarie, atq; à proprijs sedibus ac terris pellerentur. Quod sequitur: Antequam ueniat super uos &c. patet ex his quæ superiore capite diximus.

PARS SECVNDA.

Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati. Quærite iustum, quęrite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini.

Hunc quoq; locum puto omnibus omnium Gentium fidelibus dictum, & non Iudæis solis. Nam multi absq; dubio

bio electi inter eos erant, ut ex Paulo Roman. 1. colligitur, qui sequentes legem spiritus dei salui fiebant. Scripta enim erat in corde eorum, ut de Iob, Achior, & alijs multis notum est. Hi, dirigente Domino, iudicium operabantur, uiuentes secundum spiritus sancti iudicium, quo approbabant pia, reprobabant uero impia.

Igitur his dicitur: O uos omnes mansueti terræ, nedum Israël, sed & Gentium, qui ad pacem ueram adniti mini, non uindicantes proprias iniurias, fideq; uiuentes, qui secundum spiritus mei iudicium estis operati & uixistis, quærite Dominum, illi fidite, & soli quidem, alium autem ne quæsieritis. Quærite itidem iustum Christum, uere mansuetum, eius meritis fidentes, ut per eum consequamini misericordiam, & abscondamini liberiq; efficiamini à malis omnibus in die furoris Domini, quo decretum punitionis impiorum est adimpleturus. Quærit Christum, qui illius meritis fidit. Sic eũ requisiere omnes sancti ab initio, quod ita fuisse carni persuadere nemo potest, q; non sapiat quæ Dei sunt. Contrà spiritus nihil dissentit, q; in se talia experiatur. Per carnem incredulos, per spiritum fideles capimus. Etenim quidquid in illis reperitur, est caro: quidquid uero in istis est, nihil aliud est, quàm spiritus. Vir ergo spiritualis nouit hoc mysterium, quòd sancti olim quæsiere Christum iustum nostrum. Hiere. 23. De illius futuro aduentu nihil dubitantes, ac scientes, q; per eum solum gratiam & misericordiam consequi poterant. Nimirum per eum solum gratia Dei, sa

lus uera & peccatorum remissio est, quòd uniuersis Dei electis ab orbe condito per spiritum sanctum innotuit. O utinam fieret in nobis, ut tanto spiritu quæreremus dominũ IESVM Christũ, quẽ uenisse certi sumus, ut ueteres illi sancti, qui eius præcessere aduentum. Tam quippe multum aduentus eius desyderio fatigabantur & interim certa in eum fide tam firmi erant, ut admirabile esset, & nos miseri pleni infidelitate sumus, nec donum quod suscepimus, tanti ducimus, neq; laudamus, ut illi antequam datum esset. Quæramus ergo & nos Dominum, & iustum eius Christum, ut abscondamur ab ira furoris Domini per gratiam, iustitiam & merita iusti huius, per quem solum iusti esse ualemus.

PARS TERTIA.

Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum. Azotum in meridie eijcient, & Accaron eradicabitur. Veh qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. Verbum Domini super uos Chanaan, terra Philistinorũ, & disperdam te, ita ut non sit habitator. Et erit funiculus maris requies pastorum, et caulæ pecorũ. Et erit funiculus eius, qui remãserit de domo Iuda. Ibi pascentur in domibus Ascalonis ad uesperam requiescent. Quia uisitabit eos Dominus Deus eorum, & auer-

tet

tet captiuitatem eorum.

Philistæa portio una terrarum Chanaan fuit, sita ad mare mediterraneum. Proinde nonnullæ urbes eius, funiculi maris appellatione capiuntur. Prophetat autẽ primum aduersum quatuor principales Philistinorum urbes, deniq; aduersum omnem eorum prouinciam. A Babylonijs autem euersi fuere, æquissime iudicante deo, maláque reddente, quæ Israëlitis fecerant. Semper enim fuerant infensissimi Dei populo, ut passim in sacris historijs legimus. Quorum sæuitia in filios Israël per tria & quatuor scelera, Amos. 1. intelligitur, ob idq; non conuertendi prædicuntur. Qui enim lætati fuerant sanctorum malis, in mala deinde similia, immo absq; similitudine grauiora iusto Dei iudicio inciderunt. Id obseruent, qui sanctos nunc affligunt, & in eos tyrannidem exercent. Nimirum absq; dubio fient exemplum Philistæorum, & aliorum hostium populi Dei. Destruentur, deserentur, abijcientur, eradicabuntur, atq; ita disperdentur in tempore uindictæ, ut non sit ex eis superfuturus habitator in terra, à qua pellentur, ut uento pulueres, Psal. 1.

Cæterum populi sui non obliuiscetur in perpetuum, sed cum iratus fuerit, præterierit scilicet tempus flagelli, iuxta æternum propositum suum, misericordiæ recordabitur, liberosq; faciet eos à malis omnibus, ac illis tribuet, ut omnia etiam ea quibus impij prius abutebantur, illis cooperentur in æternam uerámque salutem. Quemadmo-

dum iuxta historiam euersæ Philistæorum urbes & terræ, uel aliquæ ex eis cesserũt in usum populi Iudæorũ, cũ Dominus ex Babyloniorum *seruitute eos eruere dignatus fuit. Siquidem illis forsan tum fuerunt in pascua gregum, pecorum & armentorum. Sic enim dicitur:* Et erit *funiculus maris, requies pastorum.* Et erit *funiculus ipse maris, non dubium, quin Philistæa.* Cuius erit? Eius *qui remanserit de domo Iuda, populi scilicet ex captiuitate redeuntis:* Forsitan *enim pauerunt in Philistæorum pascuis greges suos.*

Quod *hic habes:* Quia *uisitabit &c. sic de liberatiõe eorum à captiuitate* Babylonica *intelligitur, ut tamen nemo tutò negare possit, quin hic etiam uelit prænunciare spiritus* Dei, *q̃ sint omnino liberandi etiam ab ea, in qua nunc sunt, quã, ut alibi multis argumentis probauimus, non solui impossibile est.*

Ad *hæc si diligenter textus ordo prospicitur, magis de ipsis Iudæorum reliquijs, quàm de gregibus pascendis est hic sermo.* De *eis nanq; dicitur:* Ibi *pascentur,* In *domibus* Ascalonis *ad uesperam requiescent.* Quid *enim ueri Iudæi atq; fideles, nisi greges domini?* His *ergo factis à domino liberis, dum iuxta historiam terræ Philistæorum fuere in usum, quasi in eis pasti sunt & quieuerunt.* Pariter *uniuersis fidelibus, qui sunt populus* Dei, *cum* Dei *misericordia ab omni malo fient liberi, quæcunq; fuerunt hostiũ suorum, illis erunt in gloriam & bonum perpetuum, quod per pascua & quietem intelligitur.*

Pars

PARS QVARTA.

Audiui opprobriũ Moab, & blasphemiam filiorum Amon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea, uiuo ego, dicit dominus Deus exercituum, deus Israel. Quia Moab ut Sodoma erit, & filij Amon quasi Gomorra, siccitas spinarum & acerui salis, et desertum usque in æternum. Reliquiæ populi mei diripient eos, residui gentis meæ possidebunt illos. Hoc eis eueniet pro superbia sua, quia blasphemauerunt & magnificati sunt super populum domini exercituum. Horribilis dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum uiri de loco suo, omnes insulę Gentium.

Verbum est Domini *ostendentis, quàm notæ sint ei uniuersæ tyrannides, quas impij exercent in populum suum, quàmque zelans sit pro eo, & uindex in hostes eius.* Moabitæ *&* Ammonitæ *Israëlis malis & pressuris maxime gauisi, multis modis affligebant eum, subsannantes, exprobrantes, maledicentes, eius substantiam diripientes & inuadentes hæreditates eorum.* Et quis *sufficeret enarrare, quàm insanierint aduersum* Israël *incredibili superbia & sæuitia? quæ omnia summe abomi*

natur benignissimus dei spiritus. Propterea illorũ euersionem & reliquiarum populi sui gloriam prænunciat.

Dicit igitur: Audiui ego Deus, cuius auditus à cognitione haudquaquam differt. Audiui, inquam, opprobriũ Moab, & blasphemias &c. Audiui quæ exprobrauerũt populo meo, ubi magis illi compati debuerant. Neq; suffecerunt hæc, sed & magnificati sunt ac superbierunt, terminos Israëlis pro se usurpãdo. Propterea uiuo ego, quẽadmodũ scilicet ego uiuo, dicit dominus doĩnus Deus exercituum, Deus Israël, ita & hoc fiet. Quid? Quia populus Moab ut Sodoma erit, et filij Ammon quasi Gomorra. Non intelligitur, quòd pari iudicio essent disperdendi, sed quòd sicut Sodomitæ & Gomorræi euersi, ita & isti euertendi erant, tametsi diuersimode. Porrò ipsa illorum euersio per spinarum siccitatem & salis aceruos designatur. Siquidem ubi spinæ & sal, terra ferax esse nequit. Prænũciabatur ergo per hæc desertio regionis, sed quousq;? Vsq; in æternum siue in sæculum. Olam quippe uox Hebræa hic posita æternitatem & sæculum designat. Sæculum autem aliquod tempus est, & finem habet.

Reliquiæ populi mei Israëlis diripient eos atq; poßidebunt, ac illis dominabuntur. Id autem fiet illis (dicit dominus) pro superbia sua, qua insanierunt in populum meũ, in eis me spernentes & calcantes. Quidquid enim fit dei populo, Deo fit, siue bonum siue malum. Etenim in eo benedicitur, calcatur, laudatur & spernitur.

Sed quid faciet Dominus? Horribilẽ se ostendet aduersum

hostes

hostes suos, et attenuabit, siue disperdet omnes deos terræ, omnia scilicet, quibus impij Deo contempto, fidunt. Facietq; ut sciant omnes gentes, eum solum esse Deum, ideoq; illum solum adorandũ, & illi soli fidendum. Quo fiet, ut ex omnibus gentibus, uiri electi, sint eum adoraturi de loco suo, etiam uniuersæ insulæ gentium.

ALIA ET EADEM QVIDEM syncerior expositio præcedentium, ab eo loco. Quia Gaza destructa erit &c.

COgit hic ultimus locus, nempe, horribilis Dominus &c. cum nonnullis præcedentibus, ut hos locos de euersione Philistæorum, Moabitarum, & Ammonitarum, paulo copiosius pertractemus. En quod hic dicitur populum Domini liberandum, & Gentes præscriptas illis subijciendas, quod non legimus impletum, quamuis forsan aliquid ex eorum terris adceperint. Neq; etiam legimus impletũ, quod omnes Gentium insulæ adorarint Deum, abiectis idolis suis. Oportet autem omnem scripturæ enarrationem eiusmodi esse, ut singulæ expositionis partes, singulis partibus textus bene consentiant. Quod si quis aduersum nos contendnt, hæc iuxta literæ faciem esse impleta, obsecro nos doceat, quando domus Iuda possederit, Palestinos, Moabitas, & Ammonitas, & quãdo alia quæ hic prænũciat spiritus Dei, impleta fuere?

Ego tametsi non damno, præscriptam enarrationem, quod utcunq; ferenda sit, dico tamen quòd ea quæ hic habentur, sint ad Christi tempora maxime referenda, & quod id exigat scopus totius huius textus. Ad id primum obserua, per Philistæos, Moabitas, & Ammonitas olim perpetuos Israëlis aduersarios, omnes fidelium hostes intelligi, per ipsos uero Israëlitas omnes fideles, quod & alibi diximus, et probauimus. Deniq; etiam iuxta literam filij Israël Gentes uicerunt, rapuerunt, & possederunt, in Apostolis sanctis, atq; discipulis primis, qui erant ex filijs Israël, paucissimis demptis, & id quidem non gladio, hasta, clypeo aut armis carnalibus, sed potentia spiritus, & uerbi Dei semper inuicti. Et idem etiam, cum ingressa in Christi Ecclesiam gentium plenitudine, & ipsi introierint in eandem, fuerintq; Dei misericordia illustrati, ut noscant, uenerentur, & adorent Christum regem suum, incomparabili spiritus uigore uerbū sanctum annunciabunt, ut per eos innumeri sint Christo lucrifaciendi. Tum implebuntur eiusmodi Prophetiæ, quæ etiam partim in Ecclesiæ primitijs impletæ sunt.

Præterea Apostolorum & Prophetarū, qui ex Israël fuere scripta uiuunt, & per ea quoties syncere annunciantur, destruitur Gaza, Ascalon fit desertum, Azotus abijcitur, Accaron eradicatur, & omnis terra Philistinorum disperditur, hoc est, quidquid altum, sublime, præclarum, & laudabile, in Synagogis incredulorum esse uidetur, potenter destruitur et eneruatur, saltem in electis.

Quod

Quod dum fit, quid nisi Philistæa transit in possessionem & subiectionem Israëlis? Quasi enim filijs Israël subduntur, dum eorum scriptis, & doctrinis adquiescunt.

Item, dum fideles omnes, qui sunt uerus Israël, uerbo Dei, *incredulos sic uincunt, ut eos ad fidem conuertant, eos uere possident, & quasi in eorum terris pascuntur et quiescunt, dum ob eorum conuersionem lætantur. Siquidem lætari in* Domino, *quasi refici et quiescere est. Omnia quoq; ab incredulis possessa, magis sunt in bonum fidelium, etiam si illa non possideant, quàm possidentium incredulorum, dum pro eo quòd in eis benedicunt illum, à quo omnia sunt, omnia illis in æternam salutem cooperantur, ubi incredulis omnia fiunt in detrimentum, quod omnibus absq; fide utantur.*

At nullus neq; ex Israël iuxta carnem, neq; ex eo ob fidem, quidquam prædictorum efficere potest, nisi prius uisitatus à Domino, *illustratione spiritus sui, et per* Christum *factus uere liber. Sed confestim ut factus est liber, incomparabilis potentiæ efficitur. Nimirum nedum uincet* Philistæos, *id est, apertos hostes ueritatis, sed &* Mobitas *atq;* Moabitas, *id est, hypocritas.* Per Philistæos *enim, qui sanguine nihil erant iuncti Israëli, manifesti hostes pietatis capiuntur, hypocritæ uero, per* Moabitas & Ammonitas, *qui ex semine* Loth *prodierunt, ut patet* Gene. 19. Nam *hypocritæ se fidelium amicos fingunt, cum sint eorum hostes adiuratissimi.* Proinde *& hic ponitur grauissimum illorum iudicium, nempe, quod delenda sit memoria*

eorum,

eorum, ut Sodomorum ac Gomorrceorum, quodq́; in eis futura sit spinarum siccitas, & acerui salis. Spinæ siccæ fortius pungunt, et ad combustionem sunt faciliores. Diuitiæ autem, inuentiones, & studia impiorum, spinæ quædam sunt, quod de diuitijs & solicitudine huius mundi aperte habes. Matth. 13. Mar. 4. & Lucæ. 8. Spinis ergo siccis pleni sunt impij, & eisdem quidem admodum pungentibus, ac nocentissimis, dum omne illorum studium, ad mundi abundantiam, terrenaq́; est situm, & illis fidunt, atq; etiam dum non nisi iuxta propria inuenta uiuere uolunt. Et id genus spinis, ad perpetua incēdia sunt paratiores, in quibus etiam sæuissimos earundem spinarum aculeos sentient in sempiternum. Sed quid est, quod in punitionem id prædicitur, cum hostes pietatis, his spinis semper repleti sint? Dicimus uerum quidem esse, cor incredulum, nunquam absq; spinis uiuere, sed ipsæ spinæ, pro spinis haudquaquam habentur, non nisi posteaquam uerbū suum Deus reuelarit, & impijs ipsis palàm fecerit, uel in supplicijs, quod non nisi spinæ nocentissimæ erant, quæ pro delitijs antea supputabant. Lætantur impij in studijs suis, non obseruantes aculeos uenenatissimos, quos aut in eorum perpetuam salutem uident, dono spiritus Dei illustrati, aut in cruciatibus & absq; fructu, quod spinæ fuerint in inferno profitentur, & aiunt. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? & alia multa his similia, quæ Sapien. 5. scripta habes.

Tum etiam in seipsis conspiciunt salis aceruos, &

solos quidem. Nihil eis superest, præter spinas, & salis aceruos. Misera res, & incongrua admixtio. Quid enim spinis & sali? Vtilis sal ad cōdiendum, sed ubi adest, quod ualeat condiri: Alioqui, ad quid salis usus & multitudo? At impij non nisi spinas habent, & eas quidem nocentissimas & mortiferas, de quibus pauloante egimus, quibus sal nihil prodest. Sal est sapientia, qua reprobi antequam sentiant præscriptarum spinarum aculeos, pleni uideri uolunt. Et uere sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Pleni sunt quidem non salutis sed perditionis sapientia. Ideo spiritus sanctus, cum eos illustrat facit ut cognoscant suam insipientiam, quam subsannando aceruorum salis nomine capit. Quod si ex reprobis sunt, uel in inferni tandem cruciatibus agnoscunt, tametsi inutiliter. Electi quoq; sal habent, sed uerbi sapientiæ Dei, quo mundū condiunt, proinde etiā eos Dominus salē uocauit. Matth. 5. Vos, inquit, estis sal terræ. Contrà reproborum omne sal, fatuū est, unde & ab omnibus est conculcandum. Glorientur ergo, in suis aceruis salis, in suæ sapientiæ multitudine, uenient dies, quo palàm fiet sui salis infatuatio, & corruent cum spinis & sale suo.

Hi pariter sunt desertum, quod nihil fructus Deo amabilis proferre ualeant. Sed id neutiquam agnoscunt, quòd iudicio cæci & mendaces sint. Cognoscent autem, cum reuelatum fuerit, quòd non nisi spinas, & salis aceruos habeant, sicut prædiximus.

Hos reliquiæ populi Dei, diripient & possidebunt, uincentes

uincentes eos uerbo Domini, & inuicta spiritus potētia, sicut pauloante dictum est, impletum in Apostolis, & implendum magis cum Israël introierit in Ecclesiam. Eos uero qui ex ipsis impijs resipiscere noluerint, sed in suis spinis & sale permanserint, etiam diripient & possidebunt populi Dei, id est, electi. Nimirum omnia quæ illorū fuerunt, eis in bonum & gloriæ augmentū proficient.

Sed quare id faciet Dominus? Pro superbia sua, & quia blasphemarunt &c. En quā zelet Dominus pro electis suis. Sustinet in tempus, suos blasphemari & calcari ab impijs, sed mox ut impleta est illorum impietas, et præterijt hora eorum & potestas tenebrarum, uindicat iniuriam electorum suorum. Insanite Antichristi, insanite, ueniet dies, quibus auferetur à uobis facultas, qua uos ipsos magnificetis super populum Domini. Tum abijciemini, et calcabimini, sequeturq; æterna perditio, à qua nō erit, qui uos eripiat.

Super eos tam manifesta erit, horrenda manus Dei, ut omnes terræ deos, omnia scilicet quibus cæci hostes pietatis, Deo contempto fidunt, sit euersurus. Quod differenter illis cedet, nimirum reprobis & non resipiscentibus, in sempiternum interitum, electis uero, cum resipuerint, in ueram salutem. Deum siquidem uerum adorabunt, unusquisq; de loco suo, in spiritu & ueritate. Non tenebuntur ultrà templi Hierosolymæ, aut alterius cuiuspiam loci superstitione, quòd eruditi à Deo, scient Deum ubiq; coli posse. Sic etiam eum uenerabuntur è proprijs locis

electi,

electi, qui sunt in insulis omnium gentium. Vides quòd de Christo sit hæc prophetia, & quàm difficulter, ad literæ superficiem, hi loci referri possint, quòd tum omnes textus partes non satis inuicem cohæreant.

PARS QVINTA.

Sed & uos Aethiopes interfecti gladio meo eritis. Et extendet manum suam super aquilonem, & perdet Assur. Et ponet Niniuen (seu speciosam) in solitudinem, & in inuiũ, & quasi desertum. Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium, & onocrotalus & Ericius in liminibus eius morabuntur. Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius. Hæc est ciuitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo, Ego sum & extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertũ, cubile bestię? Omnis qui transit per eam sibilabit, mouebit manum suam.

PAlàm est, gentes præscriptas, & eas de quibus hoc textu agitur, infensas fuisse populo Dei. *Palàm quoque est eas fuiße punitas, iuxta quod sancti* Prophe*tæ, & multi quidem prænunciarant.* In *professo itidem est,*

est, quod in his locis, prophetatur quam horrenda sit dei manus, aduersum hostes & persecutores populi sui. Quia enim Aethiopes, maxime autē Assyrij, grauia mala Israëlitis intulerant, à Domino cæsi fuere. Nimirum Aethiopes inuasere Medi, & Aßyriorum imperium, Babylonij euerterunt. Speciatim uero aduersum Niniuem prophetat, quod nonnulli putant aduersum Babyloniam dictum, & uerterunt pro Niniue speciosam, quod & Niniue speciosam significet. At quoniam de Assyrijs non de Chaldæis est sermo præcedens, magis congruit, ut Niniue quàm Babylonia intelligatur, quòd Assyriorum caput Niniue esset. Proinde Septua. Niniue posuerunt, quos & nos sequi maluimus.

Porrò Niniue & Assyriorum euersionem, multi prædixere, præsertim Nahum cuius liber totus in ea re est, ubi & de ea plenius egimus. At eiusdem urbis desertionē & mala, ex his quæ subnectuntur ostendit, dicens. Ponet eam in solitudinem, in inuium, & quasi desertum. Et accubabunt in medio eius &c. Sensus est. Tanta erit ciuitatis huius desolatio, ut pulsis habitatoribus eius, sint eius plateæ futuræ, quasi loca pascuorum, pro bestijs & iumētis. Onocrotalus & Eritius &c. Eiusmodi enim aues et animalia, solent in murorum habitare ruinis.

Ad hæc, non hic legis de Aßyrijs & AEthiopibus, quòd proinde à Domino percussi fuerint, quòd insurrexerint in populum suum, uerum ex præcedentibus, quòd ea fuerit uel prima caussa, est notissimū. Indubie enim Dei po

pulo

pulo aduersati erant, ut potissimum de Aßyrijs historiæ sacræ testantur. Ideo posteaquam prædixit Moabitas & filios Ammon percutiendos, eo quòd se magnificarant in populum suum, interiecto hoc solo uersu, horribilis domi nus &c. dixit: Sed & uos Aethiopes &c. Q.d. Quia & uos magnificati estis super populum meum, ideo & uos puniam, ne absq; flagellis dimissi, uos innoxios eße putetis. Ob id quoq; perdetur Assur &c.

Verum pro impetu spiritus prophetici, alia causa hic ponitur, propter quam Aßyrij percussi, & eorum prima urbs Niniue demolita fuit, nempe, perniciosissima potentiæ magnitudinis, ac copiæ diuitiarũ, populi & omnium terrenorum fiducia, atq; superbia. Confidebat enim in uirtute sua, & multitudine diuitiarum suarum gloriabatur, non tribuens gloriam illi, à quo omnia sunt. Nihil tam odit Dominus, quàm superbiã, & fiduciam aliorum ab eo, quemadmodum & nihil tam exigit, quàm syncera in eum fiduciam, & quòd pro omnibus illi gloria tribuatur, sicut scriptum est: Gloriam meam alteri non dabo. Esa. 42. & 48.

Iudæi uidẽtes, quòd hæc aduersum Assyrios, et Aethiopes, atq; eiusmodi aliorum Prophetarum, contra reliquas nationes prophetiæ, non fuere sic ad amußim impletæ, ut scripturæ superficies uelle uidetur, adserunt hæc implenda iuxta carnem per Christum, quem per errorem cæci, adhuc uenturum putant. Sed non obseruant dei consilio factum, ut in uniuersis ferè prophetijs, aliquid

ſit, quod iuxta literam nõ fuerit penitus adimpletum, maxime de his quæ ſpectant ad gloriam ſeminis Abrahæ & Iſraël, ac Dauidis, conculcationẽ gentium, uictoriam populi dei aduerſum illos, reædificationem Hieroſolymæ et templi, ac liberationem Iſraëlis ab omni malo. Quod ideo uoluit Deus, ut ſciamus perfectius aliquid ſubeſſe, quod uelit in eiſdem prophetijs ſpiritus Dei, quod & non impleri impoſsibile eſt.

Igitur quod ad deſtructionem Aſſyriorum, Aethiopum, & aliarum gentium, urbiumq; earũdem attinet, id obſeruandum, quòd quæ de eis prædicta ſunt, ſic fuere impleta iuxta literam, ut perfectius impleantur, ſintq; implenda in Chriſto, aut dum ad fidem conuertuntur, aut dum nolentes cõuerti, inæternũ damnantur. Etenim dum ad Chriſtum ueniunt, ceſsant Aethiopes, Aſſyrij, genteſq; eſſe, & fiunt Iſraël, ſemen Abrahæ uerum, ac populus domini. Efficiuntur quoq; habitatores Hieroſolymæ nouæ de cælo deſcendentis. Tum interficiũtur gladio uerbi domini, ut non ultrà ſint quod erant, impij ſcilicet & hoſtes dei. Tum ſubijciuntur populo domini, dum eorum ſermonibus adquieſcunt. Tum perditur Aſſur, & ſuperba Niniue, quæ ſibi fidit, quia non iam ſunt Aſſyrij, ſed populus Dei, & ex eis non eſt Niniue ciuitas incredula, ſed Hieruſalem ciuitas Dei, Eccleſia ſcilicet. Tum etiam Niniue, Synagoga ſcilicet incredulorum & hoſtium CHRISTI, fit non hominum, ſed beſtiarum, uenenatorum, auiumq́; ſylueſtrium habitatio, hoc

eſt,

est, domicilium omnis impietatis & malitiæ. Non quòd *ante non esset eiusmodi, ipsa reproborum Synagoga seu* Niniue, *sed quod non agnoscebatur quòd erat, nisi adueniente lumine spiritus* CHRISTI. *Tum enim conuersi impij, uident quàm miserum, abominabile, & caducum sit, quidquid sublime prius esse putabant.* Quod *si nunquam ad* Dominum *conuertuntur, tum certe uel id aperte, tamen si absq; fructu uident, cum inferni tormenta experiuntur.*

CAPVT TERTIVM.

Summarium capitis. Primum, *arguit generatim totam* Hierosolymã, *speciatim uero* Principes, *iudices, prophetas, & sacerdotes eius.* Secundo, *de iudicio* Domini *aduersum eos, & impœnitentia eorundem.* Tertio, *quã contradicerent* Dei *iußis, & proposito eius obsistere niterentur.* Quarto, *de ultima conuersione* Israëlis, *postea quàm ingreßa fuerit gentium plenitudo.* Quinto, *inuitat uniuersos electos ad laudem, iubilationem, lætitiam, & exultationem, pro* Domini *clementia erga eos, qui illis perpetuo adest, & dispersos ex eis congregat.* Sexto, *iterum de ultima* Israëlis *conuersione.*

PARS PRIMA.

VEh prouocatrix,& redempta, ciuitas, columba. Non audiuit uocem, et non suscepit disciplinam. In Domino non est confisa, ad dominum suum non adpropinquauit. Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes, iudices eius, lupi uespere, non relinquebant in mane. Prophetæ eius uesani, uiri infideles. Sacerdotes eius polluerũt sanctum, iniuste egerunt contra legem.

PVtant nonnulli hanc ciuitatem esse Niniuen, *de qua præce. cap. dictum est, sed id neutiquam patitur, quod subiungitur. Sacerdotes eius polluerunt sanctum.* Indubie *enim de sacerdotibus* Israël *est hic sermo.* Ergo *hæc ciuitas est illa, in qua erat sanctum, nempe,* Hierosolyma. Deniq; *totum hoc caput, à quibusdam de* Christi *diebus capitur, qui dicunt* Hierosolymam *urbem dici irritatricem, eo quod non susceperit* Christum *&c.* Conuenit *quidem eiusmodi enarratio, uerum & de temporibus quibus erat* Sophonias *hic locus capitur.* Paulo *ergo generalius est capiendus.*

Ciuitas igitur est Hierusalem, *cui* Deus *comminatur euersionem factam per* Chaldæos, *neq; abnuimus, quin etiam intellexerit, de secunda euersione eius.* Veh, *inquit, tibi. ò ciuitas columba, quam scilicet oportuit esse columbinam, simplicem, fidelem, plenamq; spiritu sancto, quæ etiam olim fuisti tota columbina, & pro tali uis haberi,*

cum nihil minus ſis. Etenim es nunc prouocatrix, irrita-trix, amarumq; faciens Dominum, & toties à multis ma lis, Dei miſericordia redempta, ac libera facta. Vbi nos habemus prouocatrix, Septua. habent, illuſtris aut incly-ta, quod & de Hieroſolyma capitur.

Non audiuit Dei uocem, auditu cordis, quem Deus exigit, & ſine quo non niſi in iudicium, eſt auditus auris, hoc eſt, non adquieuit ipſi uoci. Neq; ſuſcepit diſciplinã, ſeruans iuſſiones Dei, quinpotius, illas ſpreuit, pro men-dacijs & inuentis ſuis. Deniq; in Domino non eſt confi-ſa, in quo maxime ſita eſt, uis omnium eloquiorum Dei, neq; ad eum fide adpropinquauit, ſeu illi adhæſit, ſed po-tius idolis ſuis, ac ſomnijs hominum.

Hæc ſunt in genere dicta, & his paucis, hypocrita-rum ſiue Antichriſtorum facta et ſtudia nota facit. Quan doquidem hi ſunt irritatores Dei, qui redemit toties eos, ab aduerſis. Et cum ſint carnaliſsimi, uolunt pro colum-binis, & ſpiritualibus haberi, imò ex ſe ſolis adſerunt Dei Eccleſiam conſtitutam, ſe Eccleſiaſticos, alios ſæcula res uocantes. Qui nullatenus audiunt uerbum Domini, ſed illud calcant modis omnibus, & uniuerſos amato-res eius perſequuntur. Diſciplinam quoque Domini abij ciunt, & nihil illi fidunt, aut hærent, & omnes uolentes illi fidere, & hærere, pro uiribus impediunt. Docent namque illos, mendacia ſua, quæ uolunt pluſquam Dei uerba ſuſcipi, & uolunt ut relicto deo CHRISTO, & ipſius uerbis, hæreamus ſuis idolis, decretis, & abo-

minationibus. Hæc est Synagoga Papæ, cui etiam congruunt quæ de priscis illis Principibus, Prophetis, & sacerdotibus subnectuntur.

Principes eius Hierosolymæ scilicet, sunt in eius medio crudelissimi, quasi leones rugientes, omnia uorantes & rapientes, iudices eius lupi uespere, ob iniustitiam & tyrannidem. Non relinquebant in mane. Sensus est. Tam erant prompti ad rapacitatem, ut breui tempore omnem fermè proximorum substantiam exhaurirent. Prophetæ eius uesani, uiri stulti, sine sensu ac spiritu & infideles, non administrantes pure, simpliciter & fideliter uerbum, cuius ministri erãt, sed illi admiscentes mendacia et somnia hominum. Sacerdotes eius polluerunt sanctum, templũ scilicet, in eo non seruantes, quæ Deus in lege imperauerat, unde et sequitur: Iniuste egerunt contra legẽ.

Eiusmodi sunt Antichristorum Principes seu maiores, & iudices eorum scilicet uicem in iudicijs gerentes. Quid enim non diripere adnituntur suis mendacijs, interim ut cunctos efficacius subfurentur, adsumentes frustra siue in uanum, ad sui erroris operimentum, nomen Dei sanctissimum? Ad idq; potissimum, utuntur opera pseudoprophetarum, Pharisæorum, et unctorum suorũ. Qui pro Dei ministris haberi uolunt, & tamẽ nihil omnino aliud, quàm ministri Satanæ & Synagogæ eius sunt. Heu nobis. Quid obsecro diceret Sophonias si adesset, contra hanc Synagogam irritatricem? Sed Dei munere satis adest, & suis eloquijs, eius damnationem prænunciat,

ciat, dicens: Veh prouocatrix &c. Si ad Christi dies uis hunc locum referre, facile erit ex praecedenti interpretatione, omnia aptare, quomodo scilicet Hierosolyma, nõ suscipiens Christum, irritarit & prouocarit contra se Dominum, qui per Christum, & aliâs toties eam redemerat. Cuius Principes, iudices, Prophetæ, & sacerdotes, eiusmodi erant, ut hic eos descriptos habes. Propter quod euersa fuit illorum urbs, & Iudæa destructa. Quidam hunc locum de Christi Ecclesia interpretantur, sed tum non congruunt omnes textus partes. Quomodo enim de ea quis dicet, in domino non est confisa? Nimirum si dei fiducia non est in eius Ecclesia, ubi sub cælo reperietur? A se, inquiũt, est puocatrix, sed dei bonitate redẽpta et colũba. Verũ quidẽ est, sed quia omnia quæ sequuntur nõ cõueniũt huic enarrationi, ideo illi haudquaquã subscribimus.

PARS SECVNDA.

Dominus iustus in medio eius, nõ faciet iniquitatem. Mane mane iudicium suum dabit in luce, & non abscondetur. Nesciuit aũt iniquus confusionem.

Dominus qui ubiq; est, & omnia implet, in medio Hierosolymæ esse dicitur, quòd in ea templum suum esset, & cultum suum in eo posuisset. Dicit ergo. Dominus iustus, imò & qui est ipsa iustitia, qui est uel colitur in templo, quod est in medio eius, saltem quo

ad externa illa sacrificia, nam spiritu semper fuit ubiq; colendus. Ipse inquam Dominus, nõ faciet hanc iniquitatẽ, ut Hierosolymæ iniquitates dimittat impunitas. Etenim mane mane, hoc est, cito, tẽpore ab eo præfinito, dabit iudicium suum in luce, hoc est, palam faciet punitionẽ eius. Quia enim quod in lucẽ ponitur, fit manifestum, ideo in lucem dare aliquid, idẽ est, quod illud manifestare. Quod & uult quod subiungitur. Et nõ abscondetur. Sensus est, die præfinito, cunctis notum erit, huius prouocatrix urbis iudicium.

Porrò adueniente ipso iudicio, electi, quorum mentẽ Dei spiritus docet, cõfunduntur, & resipiscunt à peccatis suis, reprobi uero magis indurantur. Flagella enim Dei, neminem possunt ad deum conuertere, nisi in hypocrisi, quod nihil externũ, neq; etiam uerbi Dei prædicatio, sit efficax ad conuertenda corda nostra, nisi Deus internè suo spiritu nos erudiat. Doctor noster primus Deus est, quo non docente alia cuncta, absq; fructu sunt. Proin de hic dicitur. Nesciuit autem iniquus, infidelis, & qui est absq; spiritu domini, confundi à suis iniquitatibus, quantumlibet à domino flagellis grauissimis cæsus. Vide Hieremiam. 41. 42. & 43. & reperies quòd nihil profecerint Dei flagella nonnullis, qui post euersam Hierosolymam, etiam Dei sermonibus contradicebant, & idola colebant, fugiebantq; in Aegyptum.

Disperdidi gentes, & dissipati sunt anguli earum. Desertas feci uias eorum, eo quod

non

non est qui transeat: Desolatę sunt ciuitates eorum, non remanente uiro, neque ullo habitatore.

Gentes hoc loco uocantur Israëlitæ, quorum populos & omnium finium eorum angulos per Assyrios & Chaldæos Deus perdidit. Recte Gentes dicuntur, quòd eorũ abominationes imitarentur. Notanter uero dicit, Gentes disperditas, falsos scilicet Israëlitas, nam ueri Israëlitæ etiam inter quæcunq; aduersa à Deo seruantur, ne dispereant. Nimirum illos perpetuo custodit, haud secus atq; pupillam oculi delicatam. Dixit autem: Disperdidi, ex ore Domini, ut sciamus, quòd omnia quæ aduersum Iudæos aut alios fiũt, ipse primum operetur. Nã omnia ex ipso per ipsum, & in ipso sunt. Illius ergo est perdere, illius & seruare. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorũ.

Quòd hic legimus aduersum carnales & impios ex Israël, Antichristi omnes sibi dictum non dubitent. Venient quippe dies, & in ianuis eos esse cõfidimus, immo & initium aliquod uidemus, quibus manifestabuntur illorũ abominationes, & ancipiti uerbi Dei gladio atq; potentia contererentur omnes Synagogæ, urbes, conuenticula, inuentáque eorum, & fient eorum domus absque habitatore. Quod uerumtamen tum fiet perfectissime, cum in iudicio proijcientur tanquam puluis à facie terræ.

PARS TERTIA.

Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam, & non peribit habitaculum eius, propter omnia in quibus uisitaui eam. Veruntamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.

Impossibile est decretum Dei non adimpleri, ideo fieri non potest, ut populus Israël non aliquando conuertatur & timeat Dominum, & Dauid, id est, Christum Regem suum, uel in nouissimo dierum. Restiterunt ei, resistúntque etiam hodie, quamdiu sunt caro & sanguis, & dicunt: Non suscipiemus Dominum, & non sequemur uias eius. Contrà Dominus ait: Dixi, decreui, proposui. Quid? Quòd quantumlibet mihi obsistas, et modo nihil me timeas, attamen nihil poteris in decretum meum, iuxta quod præfinito tempore timebis me & suscipies disciplinam. Et habitaculum Hierosolymæ, ipsa scilicet Hierosolyma, non peribit, propter omnia in quibus uisitaui eam, destruendo & euertendo eam. Per Hierosolymam totum Israël, & per Hierosolymam simul & Israël, fidelium Ecclesiam capimus. Perijt externa illa Hierosolyma, sed non omnino populus, qui non præteribit, donec omnia fiant. Et indubie (quod & locis pluribus probauimus) conuertentur in dierum nouissimo reliquiæ eius, & suscipient Dominum, & ueritati eius acqescēt.

Cum audis: Timebis me, intellige non de timore, qui pœnam habet, & qui non est in charitate, sed de eo, qui permanet in sæculum sæculi, qui sanctus & suauissimus est.

est. Non timuerunt Dominum, sed neq; hodie illum timent, Psalm. 18. quòd iuxta Paulum Roman. 10. quærant suam iustitiam ponere loco iustitiæ Dei, quod eius solius est, sibi tribuentes. Timor nanq; Dei in hoc maxime est, ut homo nolit uel tantillum rapere, omnium eorum quæ ad Deum spectant, scilicet aut iustitiam, aut bonitatem, aut sapientiam, aut innocentiam: & nolle excedere quod est, nempe iniustus, malus, peccator, stultus & noxius. Ad eũ quoq; timorem attinet, ut salutem non tribuat homo operibus, sed Christi meritis. Quæ nullatenus fecere Iudæi, neq; etiam nos. In eam etenim damnationem cæcus orbis decidit, & multis sæculis Dei iudicio expauescendo fuit in eo, & non timuimus Dominum, neq; suscepimus disciplinam pacis, sed mendacij & iniquitatis, uiuentes iuxta mandata & traditiones hominum.

Habet autem Deus tempus suum, quo illustrabit Israëlem, ne dispereat, & non ultrà fidet propriæ iustitiæ, aut operibus, nec sibi quicquam tribuet eorum quæ ad Deum spectant, sed omnia Deo & Christo eius. Quod dum erit, quam putas uerbi gloriam sit Ecclesia susceptura? Quandoquidem Christo uere agnito, tam mire exultabunt, ut nemo tale quiddam uiderit ab initio. O utinam mihi id donaret Christus, ut uiderem hanc Ecclesiæ gloriam, quam suscipiet in Israëlis conuersione, quæ erit mũdo quasi uita ex mortuis, quam uenturam nullatenus dubito. Confido quoq; & tum Hierosolymam ipsam, ueterem urbem, multum spiritualis gloriæ habituram, sicut

aliÿs

alijs locis probauimus. Non enim peribit eius habitaculum, quantumlibet à Domino uisitetur. Nam q, modo calcatur à Gentibus, hoc est, donec impleantur tempora nationum, quem locum apud Lucam explanauimus.

Quia autem Israëlitæ typum gerunt electorum, idem est de electis sentiendum, nempe q, eos perire impossibile est. Aberrant sæpe, abijcientes & calcantes legem Domini, nec timentes eum, sed quia eos præsciuit, eosdem et prædestinauit ante sæcula, conformes fieri imagini filij sui. Roman. 8. Quia autem eos prædestinauit, fieri non potest, ut non uocet eos in tempore atque iustificet, q, perire non possint Nam eos dedit pater filio in æternitate, quis ergo rapiet eos à manu eius? Errant nonnunquam ut oues perditæ, ut gentes quæ ignorant Deum, sed non pereunt, ob decretum Dei, & donationem irreuocabilem atq; immutabilem, quam filio fecit pater. Ioan. 6.

Dixit ergo, id est, proposuit Deus, q, Israël timebit eum, & q, non peribit. Sed illi non habentes Dei spiritũ, noluerunt ei acquiescere, quin potius diluculo surgentes, id est, diligenter, corruperunt omnes cogitationes suas, hoc est, non nisi corrupta & impia cogitarunt. At nihil obsistente eorum duritia, implebitur propositum Dei.

Sunt qui hunc locum aliter enarrent, sic: Dixi in eorũ cordibus per inspirationem, & aperta uoce per Prophetas. Quid dixisti? Attamen tu timebis me &c. Qui nõ acquieuerunt mihi, sed mox ab ipso diluculo impia cogitare cœperunt. Facilis est hæc enarratio, uerum alia magis

gis congruit omnibus quæ sequuntur.

PARS QVARTA.

Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meę, in futurum. Quia iudicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna, ut effundam super eas indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen Domini, & seruient ei humero uno. Vltra flumina Aethiopiæ inde supplices mei. Filia dispersorum meorum deferent munus mihi. In die illo confunderis super cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me. Quia tunc auferā de medio tuo magniloquos superbiæ tuæ, & non adijcies ex altari amplius in monte sancto meo. Et relinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur & accubabunt, & non erit, qui exterreat.

Palàm

Palàm est ex præscriptis, Israëlitas decreto & uerbo Domini semper contradixisse, & contraria excogitasse. Dominus autem non uult disperdere eos propter decretũ suum, quod inuariabile est. Nunc ait: Tu Israël uel me nolẽte, uis male perire, ego autem seruabo te uel nolentem. Eris in tempus cæcus, alienus à me. Sedebis absq; Rege, Principe, Templo, Ephot & sacrificijs. Ose. 3. sed post dies multos non dubites me uenturum, ut te uel inuitum compellam ad salutis uiam amplectendam, & sequendum Christum meum. Quia toties mihi contradixisti, repelleris in tempus, sed non in perpetuum. Expecta me idcirco, quia conuerteris, sed non ante tempus, quod in æternitate præfiniui. Lege ad id tertium Oseæ caput, quod maxime huic loco consentit. Videmus quàm hæc uera sint, & quot sæculis expectarunt Dominum, interĩ ubiq; captiui, miseri & abiecti.

Igitur ait Deus, ut sustineat: & ex his quæ subiungit, ostendit, q̃ illis expectantibus Gentes sint conuertendæ, quod maxime conuenit cum eo, quod Paulus dicit Roma. 11. Cũ ingreßa fu erit Gentium plenitudo, introibit Israël. Nimirum usq; ad id temporis expectabit, quo prius in Christi Ecclesiam Gentium plenitudo intrarit. Quem locum Amos ultimo exposuimus.

Sed quando maxime incipiet ipsa expectatio, qua expectabit te Israël ô Deus? In die, inquit, resurrectionis. Quidam hunc resurrectionis diem ad tempus extremi iudicij referunt, dicentes q̃ ideo resurrectionis eius dies appelletur

pelletur, q eius ueritate futura sit omnium resurrectio. Sed eorum pace salua, illud obsistit, quod paulòpost dicitur: Quia tunc reddam populis labium &c. Ego tempus aduentus Christi, quo ille resurrexit primum, & per eũ uita uera mundo est reddita, non dubito, per diem resurrectionis eius intelligi. Neq; iudiciũ ibi capitur pro iudicandi actu, qui erit in extremo iudicio, sed pro decreto domini, quo decreuit ante sæcula congregare omnes gentes & regna, ut ea damnet, iudicet, & reprobet uerbo ueritatis. Per illud enim effunditur contra impios Dei indignatio, & ira furoris eius, ac ignis zeli eius, quo deuorabitur et damnabitur omnis terra, hoc est, quicquid non est à spiritu Dei. Etenim idem hic per terram, quod per carnem sæpissime accipitur. Impij siquidem & omnis impietas terra & caro sunt. O felix & desyderabilis indignatio, qua omnis terra & caro disperditur atque damnatur. Propter hoc de aduentus sui tempore Christus dicit Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi.

Expectarunt ergo Dominum Israëlitæ, maxime à die resurrectionis siue aduentus, ac præscripti iudicij domini IESV Christi, quo scilicet mundum iudicauit, sanctissimo spiritus sui iudicio. Et extunc cœpit congregare gẽtes per Apostolos, & non cessat congregare per fideles uerbi sui ministros, ut eodem uerbo iudicentur & reprobentur omnes impietates earum. Quòd si quis uult cõtendere, quòd hunc locum oporteat de finali iudicio, enarrari, quomõ uerũ erit, quòd dicit, eas futuras labij electi,

&

& DEVM *unanimiter inuocaturas?*

Eo igitur resurrectionis die, toto uidelicet tempore à Christo glorificato, damnata omnium gentium impietate, & illis conuersis ad ueritatem, reddet eis Dominus *labium electum, ut iam non loquantur quæ prius, sed omnino contraria, nempe pro his quæ placebant carni & sanguini, sola quæ* Domino *placent. & pro mendacijs & doctrinis hominum æternam ueritatem* Dei. *Tum in multa fiducia inuocabunt nomen* Domini, *& seruient ei humero uno, unanimiter, uno consensu.* Non *ultrà inuocabũt idola, neque alienis ab eo fident & seruient.* Hæc *omnia in ueris fidelibus quotidie adimplentur.*

Q*uæ subiunguntur:* V*ltra flumina* Aethiopiæ *&c. significat, quòd ex uarijs regionibus habent supplices suos, hoc est, fideles.* S*æpe enim una gentium natione plures in Scriptura capiuntur.* T*ale est illud* Psalm. 67. Aethiopia *præueniet manus eius* Deo Q*uod additur:* F*ilia dispersorum & c. quidam iungunt cum præcedenti uersu, sic enarrantes:* O *filia dispersorum meorum, hoc est, ô* Iudæi *siue* Israëlitæ *dispersi à locis, quæ sunt ultra flumina* Aethiopiæ, *uenient supplices, & deferent munus mihi.* E*go malo textum diuisum, & quòd hæc particula sic exponatur:* Filia, *id est,* Ecclesia *dispersorum meorum, id est, electorum qui sunt dispersi, afferent munus mihi, non dubium quin fidem, ueram hostiam laudis, & munus ac sacrificium cordis contriti & humiliati.* S*eptuaginta habent.* De *finibus fluminum* Aethiopiæ *suscipiam disper*

sos

ſos meos, afferent uictimas mihi. Quod noſtræ enarratio ni magis congruit, tametſi textum non diuiſerint. Signifi cat enim, quòd ex latisſimis Aethiopum regionibus, ac a= lijs ultra eas poſitis, electos diſperſos congregaret, & ne dum ex ipſis Aethiopibus, ſed ex toto penitus orbe. Ni= mirum externus ipſe orbis collatus cum impolluta Ec= cleſia Dei, Aethiopia quædam eſt. Ad id enim Chriſtus in carnem uenit, atque in ea paſſus eſt, ut omnes filios dei qui diſperſi erant, congregaret in unum.

Demum in ea die, nempe uere conuerſis ad Dominū gentibus, & eiſdem factis labij electi, Iſraël prouocabitur ad æmulandum eos, & illuſtrante ſpiritu Domini, cōfun detur ſuper cunctis adinuentionibus ſuis, uniuerſis ſcili= cet mendacijs, quibus acquieuerat, præſertim ſuper eo, quòd noluit ſubijci Dei iuſtitiæ, ſed propriam conſtituere uoluit, propterqd' maxime reiectus eſt, ut patet Ro. 10. Hæc eſt ultima conuerſio Iſraëlis. Quid obſecro clari= us dici poſſet. Vbi nunc ſunt, qui eam negant? Non enim poteſt hic locus intelligi de aliarum gentium electis, quos per gentes conuerſas Dei ſpiritus intellexit. De ſemine ergo Abrahæ, etiam iuxta carnem intelligitur, quod imple= to gentium tempore, in Eccleſiam introibit. Roma. 11.

Tum auferet Dominus è medio Iſraëlis magniloquos ſuperbiæ ſuæ, falſos ſcilicet Prophetas & doctores, qui ſuperba & ampulloſa doctrina, eum ſeduxerunt. Recte ait: Superbiæ ſuæ, quòd nimirum non potuerint eſſe niſi ſuperbia, & DEI contemptu pleni, qui non niſi ſuper=

bo prudentiæ carnis dogmate & sensu pleni erant. T*um non adijciet exaltari in monte sancto* Dei, *in* Ecclesia *scilicet eius, neque in monte* Sion *iuxta literam, neque multi ducet sua opera, suam sapientiam, uires, studia, iustitiã, sed omnia sua calcabit, & uere seipsum humiliabit, solũ* D*ominum exaltans.*

T*um derelinquet in medio eius, non dubium quin* H*ierosolymæ, siue* S*ynagogæ populum pauperem & egenũ.* N*on putes quòd de terrenorum paupertate seu egestate capiatur.* Prouidebit *nanq; suis deus in seculum.* S*ed hæc est sacrosancta illa spiritus paupertas, de qua* Matth. 5. Beati *pauperes spiritu.* H*æc paupertas non est, nihil possidere, sed omnibus etiã possessis abrenunciare, & nulli rei affici, nisi in domino: ac se nosse rerũ omniũ, quas possidet, dispensatorẽ, non dominũ.* Eiu*smodi populũ relinquet* D*eus in medio* H*ierosolymæ ac terræ* I*sraëlis, in quã putamus* I*udæos aliquot post eorũ conuersionẽ uenturos.* Q*uod tametsi apertis scripturæ testimonijs probare nõ possumus, tamen minime abnegare ualemus, neq; id sentire diuinis eloquijs aliquatenus contradicit.* Q*uod ego sentio, & confido ita futurum.*

V*erum & de uniuersis fidelium* E*cclesijs impletur hic locus, quod omnes fideles spiritu pauperes sint.* S*unt quoque egeni à seipsis, quia se tales profitentur.* N*eq; est id rarum spiritui sancto, ut sanctos uocet egenos, miseros, & pauperes, immo etiam peccatores, quòd à seipsis nihil aliud sint.* N*am quòd iusti, sancti, innocentes, & mundi*

sunt,

ſunt, norunt, q; non à ſeipſis, ſed à Chriſto id habent. In ſe miſeri & egeni, in Chriſto autem beati & uere diuites. Contrà impij, quia ſe diuites, fœlices, iuſtos, potentes & prudentes eſſe putant, ab eo qui iuxta affectus eorum de ipſis iudicat, iuſti, diuites, magni, ſapientesq; ſubſannatorie dicuntur, quare nihil minus ſunt coram domino. Qui quoniam non egeni & pauperes ſunt in cordibus ſuis, ſed diuites, locupletati, & nullius rei egentes, non relinquunt in corde ſuo locum fiduciæ in Deum. Contrà, ſerui dei, egenos & pauperes ſe eſſe ſciunt, id qđ & ſe eſſe profitentur, ideo ponunt omnem ſpem & fiduciã ſuam in nomen dei ſanctisſimum & maximum, q; ſcilicet eſt ſumme diues, potens, bonus, & largus in omnes, qui inuocant illum. Quòd autẽ hic locus de egenis et pauperibus, ſit primũ de Iſraëlitis enarrandus, notũ fit ex ſequenti uerſu.

Reliquiæ, inquit, Iſraël, qui ſcilicet ex eis conuertẽtur: non facient iniquitatem, &c. Mira eſt hæc perfectio, quã et uniuerſi uere fideles habent. Peccatũ habent, cõcupiſcẽtiam ſcilicet, ſed crucifigũt illã in horas, q; eam & omnes fructus eius ſumme odiant. Quòd ſi aberrant nonnunquam, mox dolent, creduntq; in bonitatem dei, & Chriſti merita, quo fit, ut ipſum peccatũ mox illis remittatur, tegatur, & non imputetur, ſicut ſcriptum eſt: Beati quorũ remisſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum. Tum non faciunt iniquitatem, ut placeat eis quodcunque peccatum, neque loquuntur mendacium, aliquid ſcilicet

diuersum à uerbo Dei. Quod solum quia est sermo ueritatis, solum illud proprie mendacij rationem habet, quod ipsi sermoni opponitur. Tum non reperietur in ore eorū lingua dolosa & fallax. Nam si nullum habent sermonē, nisi rectū, & conuenientē uerbo Dei, ubi lingua dolosa? O quā abominabilis est domino lingua dolosa & mēdax, q mortifera sit. Nōne ab ea pfluxit cæcitas nostra qua tot sæculis errauimus? Ab ea pdicre Iudæorū errores, abominationes idolorū, Mahometi immunditiæ, Antichristi & suarum sectarū factiones. Et quis enumeret mala linguæ dolosæ, & non habentis uerbum Domini?

Porrò hæc est ratio potissima, q sic egeni & pauperes erunt, quòd non facient iniquitatem, nec loquentur mendaciū, neq; erit eis lingua dolola. Quoniam, inquit, pascentur, non dubium quin uberrimis Dei eloquiorum pascuis. Ezec. 34. in eis die & nocte meditantes, Psalm. 1. & habentes delicias suas. O pascua uere desyderabilia. Vide fructū uerbi dei. Si q eis pascūtur, præscripta habēt, sequitur, q hi qui in ipso uerbo haudquaq̄ meditātur, nec illud amant, sunt supbi, faciūt iniquitatē, & loquūtur mēdacium, atq; apud eos omnia sunt dolis plena. Quod quā uerū sit, in Antichristis omnibus, siue pietatis hostibus experimur. Ergo si quis uult spiritu pauper esse, & alienus ab iniquitate, mendacio, & dolis fieri, pascatur assidua uerbi Dei meditatione. Qua re nihil suauius, dulcius, ac desyderabilius esse potest. Hinc Psal. 18. Iustitiæ domini rectæ lætificantes corda. Et paulopost: Desyderabilia

derabilia Domini iudicia ſuper aurum & lapidem preci oſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Hinc & Pſal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.*

Alia quoq; ratione non facient iniquitatem reliquiæ Iſraël, nec mendaces ac doloſi erunt. Quia ſcilicet accubabunt, & non erit, qui exterreat. Vbi accubabunt, ſiue requieſcent? In uirentibus herbis, & paſcuis pinguibus. Ezech. 34. Habitabunt *ſine muro, portæ & uectes non erunt eis.* Ezech. 38. Hoc eſt, *nihil fident ulli munitioni huius mundi.* Nimirum Hieruſalem *uera, Eccleſia ſcilicet, abſque muro habitabitur.* Et ego ero ei, ait Dominus, *murus ignis in circuitu, & gloria in medio eius.* Zach. 2. *In paſcuis ergo pinguibus, in herbiſque optimis, nempe in uerbi abundantia accubabunt, & per id tam ſecuri erunt, ob fiduciam* Domini, *ut nihil illis poſſit eſſe terrori, nihilque poſſit illos dimouere à fide & charitate* DEI. *Qui ait* Eſa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. & in requie opulenta, & in tabernaculis fiduciæ.*

Obſerua in omnibus eiuſmodi locis, maximam dei ſermonum potentiam & gloriam, & quàm beata res ſit, copia eorum. Quod intellige non de ſcriptorum aut prædicantiū multitudine, ſed ſi uere ſuſcipitur, diligitur, conſeruatur, uerbum ipſum. Videlicet ſi Deus *illud poſuit, & ſcripſit in corde noſtro. Tum enim facit nos ueraces, pios, humiles, pacificos, fideles, tutos, ubiq; & ſecuros in*

domino. Et *uere nulla est omnis huius mundi tuitio & securitas, si conferatur cum ea quæ est per uerbum* Dei *in corde scriptum.*

PARS QVINTA.

Lauda filia Sion. Iubila Israel. Lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem. Abstulit dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos. Rex Israel dominus in medio tui. Non timebis malum ultra.

E*undem populum, nempe semē* Abrahæ *et electos, q̄ ad illud semē spectāt, Israēlē uocat,* Ecclesiā *uero ex eis constitutā, filiæ Sion &* Hierosolymæ *appellatione designat.* Hos *uocat, & primum quidē electos ex semine* Abrahæ *iuxta carnem, præcipiens ut laudent, iubilēt, lætentur & exultent.*

Laus *confessio est ueritatis.* Ergo *prædicatio uerbi* Dei *laus & confessio est, quæ & non raro sub* Cantus *uocabulo præcipitur, ut* P*salm. 95. 97. & 149.* Cantate *domino canticum nouum.*

Iubilus *uox est ex interni gaudij uehementia p̄diens, uerū ipsius gaudij spiritus magnitudinē exprimere nō ualens.* Et *hæc quidē uox nōnunquā est indistincta aut truncata.* Quemadmodū *enim uehemēs tristitia sæpe facit, ut uerba incompleta & truncata promantur, ita & gaudium ingens.* Lætitia *res interna est, & nota quidem, nempe gaudium ipsum.*

Exultatio

Exultatio est excessus animæ gaudentis, quo supra se ipsam nonnunquam erigitur, & prius habiti gaudij mensura per interualla exuperatur. Sic exultauit spiritus beatæ uirginis Mariæ in Deo Saluatore nostro. Sic quoq; in Domino fideles exultant. Est itidem exultatio signum externum, mentis lætitiam indicans. Differtq; in hoc à iubilo, quòd iubilus uocis est, exultatio uero cuiusuis alterius signi.

Serui Dei laudant dominum, dum illius ueritatem annunciãt ac ꝓfitentur, iubilant sermone, quo ineffabilẽ animi lætitiã exprimere adnituntur. Lætantur, siue gaudent in domino semper, et in eo exultãt lætitiæ magnis excessibus, atq; patentibus ueræ lætitiæ signis. Hæc sunt quæ hoc loco dñus præcipit, et id qdẽ ꝑ eo qđ abstulit iudiciũ, reꝓbationem et condẽnationem ab Israël, et auertit inimicos eius. In præterito hæc posuit, ꝙ sint certissima. Nimirum & impleta sunt in sanctis fidelibus, & implebuntur in reliquijs Israël, cũ admissi fuerĩt in Ecclesiã dei. Profecto enim auferẽtur mala Israëlis, etiã iuxta carnẽ, sed nõ anteq̃ præterierĩt tẽpora gentiũ. Dñe quãdo hæc erũt? Quãdo cõuertes captiuitatẽ Iacob? Tũ auferes inimicos eorũ, cũ facies, ut nihil eis officere possit. Abiecisti eos ne eßent populus tuus. Ose. 1. ꝙ te negarĩt. Dan. 9. Verũ nõ in perpetuũ abiecisti eos ꝓpter iusiurandum tuũ, qđ iurasti Abrahamo & alijs patribus. Abscessisti ꝓinde in tempus, ne esses in medio eorũ, quemadmodũ in figura ostendisti seruo tuo Ezechieli. Eze. 10. sed cũ ptransierit tẽpus

iræ tuæ misericordiam facies illis, reuerteriſq; ad eos, ſicut & eidem ſeruo tuo Ezechieli in uiſione oſtendiſti, Ezech. 43. Et eris tu ipſe Rex eorum in medio eorum, manebiſque cum eis, & non abijcies eos uſque in ſempiternum. Ezech. 34. & 37. Nam etiamſi ex eis nonnulli per incredulitatem perierint, tu tamen propter uerbum tuum, & ut per eorum iniuſtitiam tua iuſtitia commendetur: nequaquam ultrà abijcies eos, ut ſemel atque ſecundo feciſti. Semel, cum eos captiuos feciſti per Aſſyrios, ob uitulorum abominationem: ſecundo, cum excæcaſti eos, propterea quòd dominum IESVM Chriſtum unigenitum tuum, atq; etiam te abnegarunt. Cæterum, cum illis ita affueris, non timebunt, neque uidebunt ultrà malū, te ſeruante & cuſtodiente eos uſq; in æternum. Qui ſenſus fit manifeſtior ex eo quod adijcitur.

In die illa dicetur Hieruſalem: Noli timere Sion, non diſſoluantur manus tuæ. Dominus DEVS tuus in medio tui, fortis ipſe, ſaluabit. Gaudebit ſuper te in lętitia, ſilebit in dilectione tua, exultabit ſuper te in laude.

Nugas, quæ receſſerunt à lege, congregabo, quia ex te erant, ut non ultrà habeas ſuper eis opprobrium.

Quæcunque hic promittuntur Iſraëlitis, non dubites, etiam dici electis omnibus, qui quoniam in ſemine Abrahæ ſupputantur, & ſunt uerus Iſraël, hæredes ſunt promiſſionum Dei, & omnium quidem. Sic ergo implebuntur hæc

tur hæc in Israëlitis, ut tamen sint impleta, & impleantur in fidelibus, qui sunt in illa die, seu luce domini IESV Christi. Neq; putes aliquid eorum, quæ Israëlitis ipsis promittuntur, aut sermones Dei ad eos, dirigi reprobis ex eis, sed solis electis, qui soli ex domo Israël, ad uerum Israël pertinent.

Igitur conuersis tandem filijs Israël, dicetur Hierusalem, id est, Ecclesiæ ex eis, qui etiam forsan, ut alibi diximus, congregabuntur, saltem multi, in regiones Hierusalem. Quid eis dicetur? O Sion, noli timere, noli diffidere, ut non dissoluantur manus tuæ, hoc est, ut non constanter agas omnia, sicut opus est. Qu.d. Si timeres, hoc est, diffideres, nullum opus solidum haberes, quod scilicet deo acceptum foret. Viriliter age, & confortetur cor tuum, in domino Deo tuo, qui est in medio tui, & iterum te suscepit in gratiam, & factus es illi in populum. Si aduersum te insurrexerint hostes, confide, nam fortis ipse Dominus, qui in medio tui est, nequaquam sinet te ultrà conteri ab aduersarijs tuis, ut olim, sed ab eis seruabit te, custodietq; te in omnibus uijs tuis, quasi pupillam oculi delicatam.

Et gaudebit super te in lætitia. Consuetudo est scripturarum ingens quiddam id genus replicationibus adserere, ut cum dicit: Gaudens gaudebo, faciens faciam, gaudebit lætitia, quod & ad phrasim Hebrææ locutionis spectat. Gaudebit ergo Dominus lætitia, hoc est, plurimum gaudebit super Israël, id est, pro bono eius. Quid

obſecro eſt hoc Dei uehemens gaudium? Nunquid in eo ſunt mutationes gaudij & mœroris? De deo ſcriptura, nõ alioqui ſæpe loquitur quàm de hominibus, uerũ ipſum uerbum non eſt alioqui capiendum, quàm Deo competat. Igitur quemadmodum eum furere, aut iraſci dicimus, cũ cædit et flagellat, ut homo quiſpiam iratus, ita tum aliquẽ amare aut in eo lætari dicitur, dum alicui, ſicut dilectus ei quem diligit, benefacit. Gaudebit ergo in reliquijs Iſraël conuerſis, hoc eſt, multis beneficijs, oſtendet dilectionem, & gaudium quod habebit ſuper eis. Quod & apertius oſtẽditur ex eo quod ſubiungitur. Silebit in dilectione tua. Clamat Deus in lege aduerſum impios, itidem in Prophetis, ubi autem nullus eſt impius, quaſi ſilet Deus. Cũ ergo Iſraël pietati adquieuerit, ſilebit in dilectione eius Deus. Non enim mittet Prophetas, qui multis clamoribus prænuncient mala eorum, ſed magis Euangelium pacis, & regni miſericordiæ ueri & magni Dei. Exultabit aũt magis ſuper eis in laude, ſcilicet in confeſſione uel ob confeſſionem ueritatis, quam ſub laudis nomine intellexit. Obſerua Dei exultationem non poſſe ita diſtingui ab eius gaudio, ſicut hominis exultatio & gaudium, ideo pari ratione eſt utrumq; de eo interpretandum.

Sequitur. Nugas quæ &c. Nugæ ſunt uniuerſi carnales, qui & à Deo non apoſtatare nequeunt. Recte nugæ, quod omnis caro ſit nugax. Verum de electis eſt hic ſermo, qui in tempus nugæ ſunt, donec ſpiritu Domini ueraces fiant. Si enim de reprobis etiam caperetur, nequaquam

quam subiunxisset, quia ex te erant. Ex *te, inquam, scilicet ex* Ecclesia *sanctorum, ex uero Israële. Qui ubi congregati fuerint in* Ecclesiam *ipsam, per spiritum* Christi, *nõ erunt ultrà ei in opprobrium, sicut fuerunt cum alieni essent à spiritu ueritatis.* Cui *tamẽ in opprobrium eßent, antequam in misericordiam recipiantur, si ex electis seu uero Israël essent. Spectat & hic sermo ad omnes cunctarum gentium electos, qui tametsi nugæ sunt, tamen eos disperire impoßibile est. Sunt enim ex* Ecclesia Dei, *ideo fieri non poteſt, ut in eam non congregentur, ut non sint ultrà illi in opprobrium, sed in gloriam.*

Hinc *habes argumentum.* Primo, *quòd omnes electi, sunt aliquando nugæ. Secundo, quòd ad* Ecclesiam *spectent, quæ ex solis electis siue prædestinatis constituitur.* Tertio, *quòd reprobi non sunt* Ecclesiæ Dei *in opprobrium, quòd ad illam non pertineant. Quarto, quòd electi quia ex* Ecclesia *sunt, tamẽ sunt ei in contumeliã, cum sunt nugæ. Quinto, quòd impossibile est, eos non resipiscere à nugis. Sexto, quòd reprobi semper sunt nugæ, & quòd ab eis resipiscere nequeunt.*

PARS SEXTA.

Ecce ego interficiam omnes qui adflixerunt te in tempore illo, & saluabo claudicantem, & eam quæ eiecta fuerat congregabo, & po

nam

nam eos in laudem & in nomen, in omni terra cõfusionis eorum. In tempore illo quo adducam uos, & in tempore quo congregabo uos, dabo uos in nomen, & in laudem omnibus populis terrę, cũ conuertero captiuitatem uestram, coram oculis uestris, dicit Dominus.

EX hoc textu apertißime docetur, ipsa Israëlis congregatio, & in summa hæc in eo habes. Primo *Deus adserit se interfecturum omnes hostes Israëlis, hoc est, se facturum, ut nullus ultrà sit, qui adfligat eos. Porrò hæc illorum interfectio, aut fit gladio uerbi Dei, quo penetrantur corda eorum, & ueritati adquiescunt, illiq; se subijciunt, in eorum æternam salutem: aut fit gladio sæuissimo diuinæ punitionis, in æternum interitum, non suscipientium ueritatem.*

Secundo dicit, se seruaturum claudicantem, & eam quæ eiecta erat cõgregaturũ. Quod uerbum Micheæ. 4. *exposuimus, ubi etiam habetur. Ex his autem quæ eodem loco diximus, maxime roborantur, quæ hoc capite, de ultima Israëlis conuersione habentur.*

Tertio, ponet eos in laudem &c. hoc est, faciet ut in eis Dei *nomen laudetur, & magnificetur, ab omnibus quibus ante contemptui fuerant.* Dabit *quoq; eos in nomen et laudem, dum faciet, ut per eos annuncietur in gentibus cunctis laus ueritatis eius, & nomen suum magnũ.*

Quarto,

Quarto, promittit se omnia præscripta facturum, eo maxime tempore, quo eorum captiuitatem, coram eorũ oculis conuertet. Coram eorum oculis dixit, ut nihil dubitent, se eam liberationem uisuros, saltem in eorum semine. Quæ omnia de ultima & cunctis electis desideratissima Israëlis conuersione, intelligũtur. Quam impleturus est in tempore suo, ille qui eam promisit, et immutabilis est. Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum Amen.

Commentariorum Fran. Lamb. Aue. in Sophoniam Prophetam Finis.

Commen-

COMMENTARIORVM FRAN. LAMB.

Auenionen. in Aggeum Prophetam,

PROLOGVS.

INsignis est tota Aggei prophetia, aduersum omnem eorum quæ primum in nobis requiruntur, negligentiam. Ecce enim quòd Iudæi, sub Cyro Persarum Rege, è Babyloniorum seruitute facti liberi, & redeuntes in Iudæam, cœperunt ædificare templum domini. Quo fundato, & illis opus instanter agentibus, præpediti fuere ab opere domini, ab his quos Salmanasar, pro Israëlitis, quos in Assyrios transtulerat, posuit in Samaria & decem tribuum regno. 4. Reg. 17. Fuit aũt ipsum impedimentum, omnibus diebus Cyri, sed eo nesciente ut ait Iosephus, libro undecimo antiquitatum, tametsi alij dicunt id notum ei fuisse, Ego magis puto quòd nescierit, maxime quòd eius præcepto, Iudæi cœperint ædificare, pro qua re et Cyrus ipse dicebat se mandatum à domino adcepisse. 2. Para. ult. & primi. Ezræ. 1. Porrò idem opus magis fuit impeditum, & apertius, mox à principio regni eius qui Cyro successit, quẽ ex. 1. Ezræ. 4. liquet

4. liquet uocatum fuisse Assuerum, non tamen uirum Hester, & Artaxersem, nomine Persarum regibus communi, ut imperatores Cæsares adpellantur, & olim Aegypti Reges Pharaones. Hunc autem Iosephus uocat Cambysem, qui regnauit annis sex, post quem regnarunt Magi anno uno, post quos regnum accepit Darius filius Histaspis: Cuius regni anno secundo, ut liquet. 1. Ezræ. 5. Aggeus & Zacharias prophetarunt, in nomine dei Israël, ut filij Iuda & Beniamin instarent ad templi domini opus. Speciatim autem Aggeus eos durius increpauit, quod præpedito ab impijs domus domini opere, non agerent constanter quod cœperant, interim uerum tamen propria quisq; curaret, & domos singuli ædificarent. Oportuerat autem primum fieri templum Dei. Quia autem Dei templo, uerus nominis sui cultus, qui in Ecclesia est figuratur, & illud primum Deus uoluit extrui, tum promittens se alia donaturum, quæcunq; necessaria erant, nihil aliud docet nos hæc prophetia si allegoriam inspicimus, quam illud quod Dominus præcipit Matthæi. 6. Quærite, inquit, primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

EIVSDEM ARGVMENtum in eundem Prophetam.

PRophetat Aggeus duobus capitibus aduersum negligentiam Iudæorum in templi Dei reædificatione, & quod interim curam carnis agerēt, ac quisq; propria curaret. Ostendit quàm male eis cesserit, domini opere intermisso, & quod eorum sacrificia essent polluta. Admonet ideo, ut idem opus instantius agant, promittens fore, ut melius haberent in omnibus. Suscitatur à domino spiritus Zorobabelis & Iesu seu Iosuæ filij Iosedech, ac totius populi, & opus domini faciunt. Prædicit illis uenturum desideratum cunctis gentibus, & eam domum quam ædificabant, se impleturū gloria, & eam quidem maiorem futuram in ea domo, quàm fuerit in priore quā Solomon ædificarat, quodq; in ea pacem daturus esset. Promittit se contriturum omne robur gentium, & positurum Zorobabelem, nō dubium, quin Dominum IESVM CHRISTVM uelut signaculum.

Incipit



INCIPIT AGGEVS PROPHETA.

CAPVT PRIMVM.

Summarium capitis. Primum, increpat curantes propria, domus Domini opere derelicto. Secundo, ostendit, quàm nihil prospere tũ illis cederet. Tertio, admonet ad ipsum opus domus Domini. Quarto, iterum mala Dei opus tardantium recenset. Quinto, Deus suscitat eorũ spiritum & prædictum opus adgrediuntur.

PARS PRIMA.

IN anno secundo Darij Regis, in mense sexto in die una mensis, factum est uerbum Domini in manu Aggei Prophetæ, ad Zorobabel filium Salatiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, dicens: Hoc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum uenit tẽpus, domus Domini ędificandæ. Et factum est uerbum Domini in

manu Aggei Prophetæ, dicens: Nunquid tempus uobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?

Vòd toties inculcat, hunc sermonem esse Domini, *officium agit ueri* Prophetæ, *ostendentis quòd nihil præterquam purißimũ* Dei *sermonẽ uelit nunciare.* Porrò *de prophetiæ eius tẽpore & causis, in prologo diximus, nempe, quòd potior causa, fuit populi negligẽtia, qui sub* Cyro *rege* Persarum, *rediens* Hierosolymam, *& postea impeditus ab impijs nonnullis, facile defecit ab opere, & domos proprias quisq; ædificauit. Sic iuxta carnem sapiebant & adficiebantur, ut sumpta leuicula occasione, intermiserint opus* Dei, *& quod suum erat quisq; requireret.* Vbi *aũt, à nõnullis carpebantur pro negligentia, declinabant os suum in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, & dicebant:* En *tot sunt, qui nos impediunt. Si uellet* Deus *nunc templum suum ædificari, impedimenta uniuersa auferret.* Quia *ergo impedimur ab eo opere, non tempus adest, quo fiat.*

Mittitur *ideo à* Domino Aggeus, *ad* Zorobabelem, *populi ducem, & ad sacerdotum* Principem, *quòd primi in populo eßent, ut per eos reliquorũ negligentia carperetur, & illis iubentibus redirent ad opus.* Neq; *dubito in re totum populum concernente,* Prophetam *ideo primum, ad* Principes *missum, ut sciamus in eiusmodi* Principum *corda maxime stimulanda & prouocanda, atq;*

etiam

etiam ut ipsi Principes nõ dubitent se disperituros, si per eorum incuriam, opus Domini negligenter fiat, & populus in sua execrabili segnitie foueatur.

Quid ergo ait? Populus iste dicit. Nondũ uenit &c. Mendax uerbum, quod in suorum adfectuũ fallax operimentum adinuenerant. Interim ædificabant domos suas, omni studio & cura, de quibus mandatũ non adceperãt. Sic semper faciunt, quicunq; à Dei spiritu haudquaquam aguntur. Quæ à Deo iubentur, missa faciunt, & stimulante etiam eos spiritu, ea quo usq; ualent differunt, omni interea solicitudine quæ excogitarunt perficientes. Hoc errore laborauimus sæculis multis. Fit ille cucullatus, ædificat alius sacella, alius uouet hoc aut illud, alius ædificat claustra, domos, arces, Dei autem iussiones, uniuersi calcant, aut posteriore loco seruandas putant. Oportuit primum fecisse, quæ ille præcepit, deniq; alia.

Videbis sæpe multos, etiam ex his qui pro uere Euangelicis haberi uolunt, qui etiam nunc reuelato sermone Dei, qui multis sæculis delituerat, ubi reædificandæ sunt ruinæ Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ, & templi, id est, ueri cultus Dei, tam negligenter agunt, ut putes eos Dei oblitos. Interim nihil non agunt, pro literis humanis prophanisq; promouẽdis, quas tanti faciunt, ut nullus sanæ mentis non apertissime uideat, quòd pluris eas ducant, quàm eloquia Dei. Quod si quis eos carpit, aiunt: Nondum uenit tempus, ædificandæ Ecclesiæ, & in palam docendi uerbum. Prudenter, inquiunt, agendum est, tam multis

obsistentibus. Hi sunt qui non cessant adulari summis, neq; omnino frigidi, neq; calidi, sed tepidi, propter quod & ab ore Domini euomuntur, & à ueritate alieni fiunt. Hi dum uident aliquos multum feruere ad uerbum Domini, & nolle adquiescere eorum stultæ & execrabili prudentiæ, aiunt: En uiros præcipites, gloriosos, & temerarios. Veh Balaamitis istis, qui in tempus Domino prophetant, etiam nolente Rege Balach, omnibus scilicet Principibus & Antichristis, mox autem ubi nonnihil timent, adulantur Antichristis, & tyrannis suis, & pro eis carpunt Prophetas Dei, & id quidem tanta calliditate, ut putes eos multum zeli habere, cum nihil minus habeant. Ego non amo præceps iudicium, atque intempestiuum, uerum neq; laudare possum, nec debeo tarditatem, in tam serijs & necessarijs rebus.

Execrabilis quoq; est nonnullorum tarditas, qui dum pueros erudiendos suscipiunt, negant eos debere alijs quàm prophanis literis à principio edoceri. Sicq; proinde fit tam prophana iuuentus, ut annis succedentibus, nihili ducant omnia, quæ non redoleant quæ imbiberunt, cum adhuc nouæ testæ essent. Si docet quis fabulas, polito eloquio, citius ab eis auditur, uniuersis qui omni puritate Dei sapientiam prædicant, nisi & illi, expolierint sermonem suum. Et uix unquam ad id perducantur, ut simplicitatem diuinis literis congruam ament. Veh id genus huius sæculi pædagogis, qui in hoc tantum proficiunt, ut

unt, ut fidelium prolem in propriæ salutis pernitiem pro phanent. Nunquid damno literas humanas, si in eis nihil à pietate diuersum habeatur, aut linguas uarias, quas do num Dei esse nemo ambigit?

Absit. Sed doleo prophanari iuuentutem, quam opor tuit etiam ab infantia doceri Verbum DEI. Placent enim linguæ, placet & omnis eruditio, quæ nihil impieta tis admixtum habet. Verum displicet, quòd tam mul tum istis nonnulli tribuunt, qui de paruulis dicunt: Non dum uenit tempus, quo erudiantur uerbum Dei, quo in Ecclesia ædificentur. Veh tibi ò fallax pædagoge. Sic sic institui debent pueri, ut cum linguis, etiam diuina im bibant, quæ sapiant inueterati, quod & apud Argentora tum seruatur, sub uigilãtissimo eruditore Othone Brunf felsio, quod & non dubito alibi seruari. Nemo ergo dicat, nondum aduenisse tempus. Nullum enim tem pus, nullaue ætas, aliena esse debet à uerbo DEI. Cur non sinemus paruulos uenire ad CHRISTVM? Viderit ergo quisque ne prohibeat eos à Domino, & ubi eos docent linguas, & prophana, simul eos doceant, ne illis tribuant spiritum intelligentiæ ueritatis.

Sunt ne & alij, qui Iudæorum inertiam, in ueræ Hie rosolymæ scilicet Ecclesiæ, ac ueri templi DEI, id est, cultus eius, ædificatione, in suum interitum imi tentur? Sunt profectò. Ex quibus nunc uel de his so lum agemus, qui timore hostium uerbi, à prophetandi

munere quod habent deficiunt. De his loquor qui sentiunt uocationem internam, & de ea certi sunt, quòd Dominus uelit eos fratribus annunciare, quæ non reticenda acceperunt. Vadunt autem ad loca nonnulla, in quibus neque scriptis neque uerbo, Ecclesiæ utiles esse possunt. Interim putant se tutos, cum uident nonnullos eis obsistere, & agere ut non ædificent, & doceant Ecclesiam dei.

Porrò magnæ difficultatis negotium fuerit, inuariabilem pro uniuersis dare sententiam, & arguere hunc aut illum speciatim, nisi id alioqui pateat, quòd Dei opus negligenter agant. Ideo obseruandum, quòd quemadmodum de Iudæis hic habes, culpabantur, cum tempus erat ædificandi templi, & non faciebant, ita & ministri uerbi tum sunt in culpa, & arguendi coram Domino, si dum tempus est, non progrediuntur ad opera hæc Dei. Inquirendum est igitur, quando est tempus huius sacrosancti operis adgrediendi.

Tempus est, dum quis certus est se uocatum ad ministerium uerbi, quod quando sit, libello nostro de fidelium uocatione, declarauimus. Vocatus ergo, uiderit ne pigritetur, ad perficiendum opus DOMINI, sed omni instantia, omnibusq; dimissis, atque etiam cum propriarum rerum detrimento, cum multa in Dei bonitatem fiducia, atque magna omnium creatorum diffidentia, adgrediatur ministerium sanctum, ad quod uocatus est. Uiderit ne proprijs adfectibus & inuentis, differat

opus

opus ſanctum, ne coram Domino, reus iudicio fiat. Maledictus, qui Dei opus negligenter facit. Hiere. 48. 10.

Igitur ſic pigritantibus, quod & tum Iudæis procraſtinantibus opus domus Domini, & interim proprias domos ædificantibus, ait Dominus. Nunquid tempus uobis eſt, ut habitetis &c. O uerbum terribile, uerum ſanè intelligenti. Tu delitijs affluis, & propria commoda requiris, & domus Domini eſt deſerta. Tu qui habes uerbum, torpes, & Eccleſia D E I uerbi defectu ſitit, languet, & non ſicut oportet inſtauratur. Sal es mundi, atq; lux. Vt quid ſal tuũ infatuari præ nimio torpore ſinis, & lucem ſub modio abſcondis? Cur non magis hoc ſale condiuntur populi, mendacijs hominum corruptiſſimi, ne omnino in æternum interitum putreſcant? Cur & lux non ponitur ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt? Sanguis populi, de manu tua requiretur, & erit anima tua, pro illis. Ergo, ſequere te uocantem, & Propheta ut iubet, qui te uocat, aut uoce, aut ſcripto, aut utroque modo, tantum ut ſequaris te uocantem D E V M & ſis uigilans miniſter Eccleſiæ eius. At de his alibi plura.

P A R S S E C V N D A.

Et nunc hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda uestra super uias uestras. Seminauistis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, et non estis inebriati, operuistis uos, & non estis calefacti, et qui mercedes congregauit, misit eas in saccum pertusum.

REuocantur ab inertia, per id quod nihil prospere successit, contempto opere Dei. Ponite, inquit, corda uestra, super uias uestras, hoc est, opera, cogitationes, adfectus, quàm scilicet nihil uobis profuerint. Intendite & uidere, quàm nihil pro uoto, uobis successerit, posteaquam defecistis ab opere templi Dei. Hinc habes, quòd pro contemptu iußionum Dei mala & flagella immittantur.

Obserua autem flagella. Seminarunt multum, & intulerunt parum, nec quantumlibet eßent in rebus proprijs soliciti, deserto opere Dei, habuerũt quod satis illis esset, ad comedendum, bibendum, & induendum se & suos. Et bona quæ congregarunt, illis inutilia fuerunt, quemadmodum cum pecuniæ mittuntur in saccum pertusum, in quo seruari nequeunt. Sensus est. Grana, uina, et reliqua, tum ab eis connregata seruari non potuerunt, & quasi illis

illis fuerunt, perinde atque illa non haberent.

Profecto quod tum uides factum in Iudæis, nunc apertissime conspicimus in his, qui non sequuntur Dei uocationem. Irrita quippe facit Deus uota eorum. Putant se melius quiddam facturos, si impleant, quæ cogitant, & sentiunt Deum aliud concludentem, quàm uelint. Cumq; putant se prospère cuncta impleturos, tum dissipantur, quæ stare non dubitabant, & muscis ac uento manus se impleuisse reperiunt. Omnia enim mox elabuntur. Nouit ille modos, quibus percutiat opus suum dimittentes pro inuentis proprijs. Impedit auxilia quæ sperantur, aut uenientibus auxilijs, mittit fures, incendia, ægritudines, quibus mox omnia absumuntur, immo uix sufficiunt in mensem.

O quàm mirabilis es Domine in sanctis tuis. Tu non deseris eos, etiam cum maxime derelicti uidentur, Stas à dextris eorum, portas eos in humeris tuis: uigilas super eis, ne quando eos disperire contingat. Quid ergo nonnunquam tam contristamur, cum aliquid immittit Deus, aut damna, aut pauperiem, aut oblocutores & aduersarios? Nouit quippe sanctis omnia uertere in salutem. Lætor secundum interiorem hominem, sentiens uirgam pij patris: sed contristatur externus ille homo meus, uarijs malis, uarijs curis, à quibus tandem solus deus alleuiat me.

Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Sed quid? Iustus es Domine in omnibus uijs tuis.

Vocas me ad opera tua, quæ non raro negligenter ago, & tum maxime tristia mittis. Flagellas uarijs modis & affligis corpus, atq; etiam cor meum, ut uel nolentem impellas ad opus templi tui, ad ædificationem Ecclesiæ tuæ. Ad quod dũ me totum dedo, facis ut nihil me cõtristet, nihil mihi noceat, dum adijcis consolationem per uerbum tuum. Peccatum meum, & gloriam tuam confiteor corã Ecclesia tua, ut discant qui negligenter agunt opus Dei, meo exemplo, & Dei bonitate agnoscere peccatum suum, & omni diligentia adniti ad sacrosancti operis consummationem. Ad quod ubi se adiunxerint, habebunt quidem crucem et mala, sed faciet uerbum quod fideliter tractant, & spiritus Dei, ut nihil eis noceat, sed omnia illis uertantur in bonum. Ideo omnis uerbi minister tribuat infidelitati & negligentiæ suæ, quòd scilicet non operatur fideliter, si mala quæ sustinet, illi quicquam nocent, animúmque illius immoderatius contristant. De malis externis intelligo. Nam tristitia quæ pro contemptu DEI, uerbiq; eius, ac Ecclesiæ desolatione proficiscitur & assumitur, sancta est, Deóque acceptissima. Verum & ipsa suam mensuram habet, quam docet spiritus ueritatis.

PARS TERTIA.

Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda uestra super uias uestras. Ascendite in montem, afferte lignum, & ædificate do-

mum, & acceptabilis mihi erit, & glorifica-bor, dicit Dominus.

PRæcipit ædificari templum in gloriam suam. Et nos putemus nobis dictum. Aedificauit uerus Salomõ Christus domum suam, id est, Ecclesiam, quam coegit ad ruinam Babylonica, & eadem confusissima gens, nempe Antichristi omnes & amatores sapientiæ carnis. Quam rursum deus uult erigi, misitq; ad id oparios multos, quos filij perditissimi extinguere uolunt, & pro uiribus ab opere præpediunt. Sed quid præcipit Deus? Ponite corda uestra, intendite et uidete, ut innouetis uias uestras, ut aliud quàm hactenus, faciatis, sitisq; solito ad opus meum instantiores.

Ascendite in montem, nolite manere in infimis. Nam sublimis, alta, & præclara est Ecclesiæ domus. Non potest ædificari ex lignis uallium, sed montium. Mons Ecclesia, mons quoq; est sermo ueritatis, & spirituales sententiæ eloquiorum Dei, quasi ligna montium sunt: doctrinæ uero & mandata hominum, quasi ligna uallium. In Ecclesiæ structuram affert ligna uallium, qui humanis inuentis & somnijs, uult eam erudiri ac dirigi, quod est abominabile coram Domino. Absit à nobis, ut ita putemus ædificare nos posse domum, in qua glorificetur nomen Domini. Nunq̃ enim magis blasphematur, quàm dũ hominũ doctrinis quis nititur ædificare Ecclesiam. Nimirum tũ pro Dei Ecclesia, malignantium Ecclesia erigitur, ut in

Papæ

Papæ Synagoga est uidere. Veh his qui afferunt hæc ligna uallium in Ecclesiam Dei.

Ascendamus ergo in montem eloquiorum Dei, librorum Scripturæ sacræ, & illinc, non aliunde, afferamus ligna in ædificium domus Domini. Non dico, ut nemo legat fidelium Commentarios, sed quòd neq; etiam illis credat, nisi quatenus ipsis diuinis eloquijs bene consentiunt. Absit enim, ut quispiam uelit alioqui suos legi Commentarios.] Etenim omnia hominum scripta cum iudicio legenda sunt: iudicium autem nostrum in scripturæ Dei obsequium captiuare necesse est. Tum recte ædificabitur ipsa domus altissimi, & placebit ei, ac glorificabitur in ea ædificatione nomen eius.

PARS QVARTA.

Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam ob rem, dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, & uos festinatis unusquisque in domum suã. Propter hoc super uos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra continuit germen suum. Et uocaui siccitatem super terram, & super mõtes, & super triticum, & super uinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, et super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

Quæ

Quæ suprà parte secunda diximus, hic apertius habes, nempe quòd nihil prospere cedat contemnentibus uerbum Domini: *& quòd* Deus *eorum cogitationes dissipet. Respexistis, inquit, ad amplius &c. Sensus est : Credidistis uos ditare, & melius cuncta facturos, si contempto domus meæ ædificio, de quo uobis præceperam, unusquisq; propria curaret. Sed pauperiores facti estis, & quæ in domos uestras intulistis, exufflaui, destruxi, euerti, feciq; ut uobis inutilia essent.* Reliqua *sunt notiora, quàm ut opus habeant interpretatione.*

PARS QVINTA.

Et audiuit Zorobabel filius Salatiel, & Iesus filius Iosedech, sacerdos magnus. & omnes reliquiæ populi, uocem Dei sui, & uerba Aggei Prophetæ, sicut misit eum dominus Deus eorum ad eos, et timuit populus à facie domini. Et dixit Aggeus, nuncius Domini, de nuncijs Domini, populo dicens: Ego uobiscum sum, dicit Dominus. Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salatiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt, & faciebant opus, in domo domini exercituum Dei sui, in

die uicesimaquarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darij regis.

PRimum dicitur, quòd ad uerbum Domini ab Aggeo annunciatum resipuerunt, & timuerunt dominum contristatiq; fuerunt pro sua inertia. Humiliati sũt & conterriti ad increpationem domini. Felix qui sic Dei uerbo terretur, quod & omnibus Sanctis commune est, quos prius pauefacit Lex, quàm Euangelium cõsoletur. Præcedente autem sancto & necessario Legis terrore, succedit Euangelicus nuncius, & ait: Hæc dicit Dominus: Ego uobiscum sum, quo aßistente, nihil est uobis timendum. Qui uestram resipiscentiam habeo gratam, tãtum ut amodo omni diligentia impleatis opus meum.

Et suscitauit Dominus &c. Quantumlibet clament Prophetæ, nemo potest Dei iussionem implere, nisi deus suo spiritu nostrum spiritum suscitarit, hoc est, nos ipsòs ad implendum quæ iubet, efficaciter illustrarit & mouerit. Recte dixit, Suscitauit, quòd spiritus hominis non illustratus à Domino, non nisi in mendacio & morte eße posßit. Etenim omnis homo mendax. Psalm. 115. & mendacium mors est, eò quòd à mortifera carnis prudentia proficiscatur. Cæterum spiritu suscitato, pellitur inertia, abscedit carnis affectus, & opus Dei magna cum fiducia incipitur. Idcirco Iudæi à Domino suscitati, non distulerunt ædificare domum excelsi. Siquidem 23. die à tempore, quo primum Aggeus illis de hac re prophetauit, ædificare

care cœperunt. Anno enim ſecundo, & menſe ſexto, & die prima menſis, Aggeus prophetare cœpit, & illi eiuſdem menſis, die uiceſimaquarta ædificare cœperunt.

Agamus & nos ſollicite in opere Domini, petamusq́; eum, ut ad id ſpiritum noſtrum ſuſcitare dignetur. Ecce quòd ab impijs retardatur opus ſanctum: quis euertet illos, ut non ultrà impij ſint? Sunt enim aperti hoſtes Eccleſiæ. Primum Antichriſtus, et tyranni ſui, ac omnes ſectæ eius: deniq; alij, qui norunt quidem procedendum ad opus, ſed retinentur ab eo, aliosq́; impediunt, quòd timeant ſuis peris, pompis & uentribus. Omnia etenim carnis ſtudia calcat eloquium Dei, & ſpiritus eius. Sunt quoq; alij, qui fingunt quidem ſe fideles, ſed uerbum Euangelicum non niſi in carnis occaſionem uolunt, Euangelij ſacroſancta libertate in ſuum interitum abutentes. Ab his omnibus, & ſolis quidem, maxime autem ab ultimis negocium Euangelicum retardatur, eo quòd pro Euangelicis habeantur, & propter eos blaſphemetur uerbum. Forſan autem ſuſcitabit, immo ſuſcitabit Dominus ſpiritum noui cuiuſpiam Darij, & breui quidem, ut eo præcipiente, uerbum ſanctum ubiq; nuncietur, ſicq́; perficiatur ſancta domus altiſsimi. Domine quando hæc erunt? Accelera & noli tardare.

CAPVT SECVNDVM.

Summarium capitis. Primum, dicit fore, ut maior ſit gloria

gloria secundi templi, quàm fuerit prioris, ad id nonnulla permiscens. Secundo, ostendit omnia eorum sacrificia polluta, itidem uniuersa opera. Tertio, docet, quàm male eis cederet, cum non laborarent in templo Dei, quibus operantibus promittit se benedicturum. Quarto, subiungitur insignis de Christo prophetia, quem per Zorobabelem significat.

PARS PRIMA.

In septimo mense, uicesima & prima mensis, factum est uerbum Domini, in manu Aggei Prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel, filium Salatiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech, sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: Quis in uobis est derelictus, qui uidit domum istam in gloria sua prima, & quid uos uidetis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis uestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Iesu fili Iosedech sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dixit dominus exercituum, & facite, quoniam ego uobiscum sum, dicit Dominus exercituum. Verbum quod pepigi uobiscum, cum egrederemini de terra Aegypti, & spiritus meus

erit

erit in medio ueſtrum. Nolite timere, quoniam hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum, & ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes. Et ueniet deſyderatus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Summa totius huius textus eſt, quod Dominus oſtendit gloriam domus ſecundæ, ſiue templi, quod poſtequam erepti fuere à Babyloniorum ſeruitute, ædificauerunt, futuram ſublimiorem gloria prioris templi. Verum ſpeciatim ſunt omnes partes eius enarrandæ.

Igitur primum prophetiæ tempus ſcribitur, nempe dies uiceſimaprima ſeptimi menſis, anni ſecundi Darij regis, uidelicet uno fermè menſe à die, quo opus ædificationis domus domini reaſſumpſerant.

Secundo, confortat eos in opere, & hortatur, ut progrediantur & nihil abſterrerentur, pro eo quòd nihil eſſe uidebantur, quæ faciebant, cum his quæ erant in priore templo, promiſitq; ſe illis affuturum.

Tertio, reuocat illis in memoriam promisſiones, quas fecerat eorum patribus, cum ab Aegypto egrederentur,

q̃ scilicet eligebat semen eorũ in populũ suum, quẽ nunq̃ esset deserturus, tametsi eos flagellaturus erat in tempus, quasi pater corripiẽs filios aberrantes. O amabile uerbũ. Prius se cũ illis esse dixit, deniq; & uerbũ suum illis incul cat. Q.d. Verbum meum æternum, & inuariabile est. Eius ergo memoremini in fide, nihil dubitantes, q̃ implebi tur. Agnoscite me summam ueritatem esse, & fidelem in omnibus promissis meis. Flagellaui uos, sed nõ omnino cõ terã, aut delebo. Deu. 4. Ideo spiritus meus in medio uestri erit, per quẽ fiet ne in solidũ à me abijciamini, etiã si non nulli à me apostatarint. O q̃ miræ potentiæ est sermo dei, his qui credunt in eum. Propter quod & frequenter in mẽ tem est reuocandum, ut Dei ueritatem & immutabilitatem agnoscamus, discamusq; fidere illi, qui nunquam deserit sperantes in se.

Quarto, asserit gloriam secundæ domus fore maiorẽ gloria prioris. Quod certe non fuit in apparatu externo, & sumptibus ædificij, sed ob Christi præsentiam, qui in ipsum templum sæpissime uenit & ĩ eo docuit. Id aũt insigni promissione facit, dicens: Adhuc modicum (supple temporis) & ego commouebo cœlum &c. Varie de hac commotione multi sentiunt, sed frustra. Nimirum exponenda est per eum, qui uenturus mox prædicitur, Christum scilicet, qui fuit desyderatus cunctis gentibus. A quo desyderatus? Non dubium, à sanctis Patriarchis, & Prophetis, atq; etiam omnium gentium electis, qui eius aduentum desyderarunt, pro uniuersarum gentium salute. Ab

omnibus autē gentibus non fuit ſimpliciter deſyderatus, niſi quis diceret, eos in genere concupiuiſſe uerū bonum, ueramq́; ſalutē. Cupit enim oīs homo, bonū aliquod, quod ſibi ſatis ſit, tametſi qd' eligere debeat, neſcit. Specialiter ergo nō fuit illis deſyderatus, ſed ſolum generaliter.

Igitur cum uenire dignatus eſt, cōmouit cœlum, terram, & mare, id eſt, regiones maritimas & inſulas. Cōmotum eſt cœlum inæſtimabili angelorum gaudio, ad aduentum illius bonumq́; noſtrum exultantiū. Commota eſt terra et mare, quia gladiū miſit in terram, quo carnales à ſpiritualibus, & fideles ab incredulis ſeiunguntur. Nonne magna fuit cōmotio hæc? Et certe ueritate exorta, non poteſt mundus non commoueri, quod & Chriſti & apoſtolorū diebus uiſum eſt, et nunc luce clarius experimur. Sic quippe etiā aduerſus ipſum Chriſtum cōmota eſt terra, ut non ualuerit ſuſtinere uitam eius. Neminem autem moueat, quòd hic primum dicitur: Ego commouebo &c. & poſtea ſubiungitur Et ueniet deſyderatus &c. Simul enim hæc ſunt capienda, nempe ꝙ ipſa commotio foret, cum adueniret Chriſtus. Deniq; hæc particula: Et ueniet deſyderatus &c. eſt reſponſio ad dubium, quod hic poſſet inquiri. Cum enim dixit: Adhuc modicum, & ego mouebo &c. Petit hic ſtudioſa mens. Quid eſt quòd dicitur? Adhuc modicū, ſiue breui, & mouebitur cœlū &c. Per quid erit iſta commotio? Et reſpondet ſpiritus Dei. Veniet deſyderatus cunctis gentibus, ac ſi diceret: Per eum fiet iſta commotio.

Huic aũt expositioni bene conueniũt quæ subiũgũtur. Et implebo domum istã gloria, quod absq; dubio de Christi præsentia intelligitur, qui ut diximus, in eam sæpe uenit, & per semetipsum in ea euangelizauit. Et addit Dominus: Meum est argentum &c. Non intelligit aliud, ut puto, quod spectat ad literam, seu historiam, quàm quòd prouideret eis de omnibus necessarijs ad eiusdem templi ædificationem, & ideo de impensarum multitudine nihil dubitarent, quòd omnia illis erat abunde largiturus. Sed quod attinet ad allegoriam, per aurum & argentum non incõgrue Dei sapientia & uerbum capitur, quemadmodum angelo Laodiciæ dicit Christus, Apoca. 3. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias. Porrò huius domus nouissimæ gloria fuit maior, quã prioris, quòd Christus in secundam in carne assumpta personaliter uenerit, in priorem uero nequaquam. Multis quoq; in eo loco fuit per Christum pax data, dum pacis Euangelium in ea fuit annunciatum, tam ab eo, quàm ab Apostolis eius.

Ad hæc, quia sicut pauloante habuimus, uera Hierosolyma, Ecclesia est, & eadem etiam templo figuratur, de ipsa & hic locus capitur: Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, & in loco isto dabo pacẽ, dicit Dominus. Verus quippe Solomon dominus Iesus Christus ædificauit domum suã Ecclesiam mira cum gloria, & sua uisibili præsentia, & prædicatione maiorem in modum collustrauit eam. Magna quoq; fuit gloria ec-

clesiæ

clesiæ tum in tot & tam gloriosis signis, quæ tam per se=
ipsum, quàm per discipulos suos operatus est. Demum
studio pseudoprophetarum & Antichristorum, ingentē
ruinam passa est Ecclesia, & abscondita ueritate eloquio
rum dei, omnis decor eius sic ablatus est, ut uix Ecclesiæ
Dei uestigia cernerentur. Siquidem omnes fidelium terras
nocentissimæ humanarum traditionū spinæ repleuerāt,
& sermo domini nullibi pure & simpliciter nūciabatur.

Porrò absq; ipso Dei sermone non potuit domus eius etiam externa recte ædificari. Ideo missi fuere à Domino Aggeus & Zacharias, qui Iudæos in opere sancto roborarent & confortarent. 1. Ezræ. 5. Neq; ante cœperunt ædificare, donec illi prophetarunt, aut saltē primus ex eis, nempe Aggeus. Similiter ædificari nequit sacrosancta Dei Ecclesia, nisi ueritate annūciata: proinde ante annos aliquot erat Ecclesia in ruinis suis, donec misit uerbū suum, per seruum suum Martinum Lutherum, & alios, quibus prophetantibus, ruinæ eius incipiunt reparari. Per id cōmouentur cœlū, terra, maria, & orbis totus, q. carnales nolint, ædificari templum Dei nostri. Nos autem putemus nobis missum Aggeum, qui cohortatur nos ad domus Dei restaurationem, & cum illo uniuersos electos adhortemur, neq; cessemus donec consummetur hoc dei opus. Nihil quoq; dubitemus, q. tametsi non ædificemus eam cū ea externa gloria, qua olim Christus & apostoli, scilicet cum uisibili præsentia Christi, & manifestissimis prodigijs, tamen ubi tandem opus erit consummatum,

maior erit gloria eius quàm à principio, in fidelium multitudine & uera sanctitate. Quandoquidem tum & gentes & Israël in unum cōuenient. Hactenus abiectus Israël fuit, & eius abiectio fuit reconciliatio mundi, donec ingressa plenitudine gentium, & ipsi assumantur, eorumq́; aßumptio fiat mundo quasi uita ex mortuis. Et quemadmodum abiectio eorum publica, sic & assumptio manifesta erit. Abscisi sunt manifeste, ut insereremur: uerū denuo inserentur & illi in naturalem suam radicem, & id palam quidem. Quis abnegabit futuram sublimiorem Ecclesiæ gloriam Israële assumpto, quàm eodem abiecto? Si magna gloria fuit assumptis gentibus, maior indubie erit, aßumpto simul Israële. Magna fuit eius gloria, multis gentibus per uerbum sanctum deuictis, quis ambigit tum futuram maiorē, cum & totum Israëlem, & gentes uniuersas deuincet? Hæc est gloria, quæ in ultima uisiōe Ezechielis per admirabilem templi descriptionem figuratur, de qua & in eodem Ezechiele, Deo uolente agemus.

Magna ergo fiducia, futuræ Ecclesiæ gloriæ, ædificemus eam, & ad idem uniuersos adhortemur. Nihil timeamus ac diffidamus pro necessarijs sumptibus, sed audiamus Dominum dicentem: Meum est argentum, meū est aurum. Ego uobiscum sum, nolite timere. Argentum & aurum eiusmodi, eloquia Dei sunt. Argentum quippe sunt, igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Psalm. 11. Desyderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauū.
Psalm.

Psalm.18. Quæ, seruus diligit, super aurum & Topazi-on. Psal. 118. Huius nimirum sanctissimæ domus structura non terrestri, quod in uenis terræ homines fodiunt, sed nouo & cœlesti ueritatis argento, nouoq́; auro, à Deo reuelato & infuso, ualet consummari.

PARS SECVNDA.

In uicesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij, factum est uerbum Domini, ad Aggeum Prophetam, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam, in ora uestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem aut pulmentum, aut uinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Aggeus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. Et respondit Aggeus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus. Et omne opus manuum eorum, et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.

Nondum completo domus Dei opere, multi offerebant sacrificia, quæ deus non alibi quàm in templo suo præceperat offerri. Semper autem id summe exegit à fidelibus Deus, ut non proprijs inuentis, sed solo Dei uerbo regerentur. Putabant Iudæi, se rem Deo acceptã facturos, si multiplicarent sacrificia sua, ut puto eodem sensu, quo nostri sæculi Pharisæi, qui execrabili cõmento ac mendacio dicunt id deo acceptius, quod gratis, & illo non iubente facimus. At Deus abominatur omne inuentum hominis, quod non nisi mendacium esse possit. Siquidem omnis homo mendax. Psalm. 115. Ideo misit Aggeum, qui increparet Iudæorum superstitionem, ostenderetque eorum sacrificia Deo odibilia esse. Porrò id facturus interrogat primum sacerdotes, an res, quam uestimentũ ex tactu carnis holocausti sanctificatum, contingit, sanctificetur. Cui illi: Non. Sola enim quæ sacrificij carnes tãgebant, sanctificabantur, non illa quæ contingebant, prius sanctificata per tactum, ut patet Leui. 6. Quare puto significari, eos solum sanctificari, qui dominum IESVM Christum, uerum sacrificium nostrum fide contingunt, non eos qui tangunt prius sanctificatos per eum. Contingunt autem eos, qui illis fidunt & hærent: ut sunt, qui sanctos inuocant, & putant se eorum precibus iustificari ac sanctificari posse, quod solius Christi est. Sanctificata fuit beata Maria & sancti omnes, quia fide Christo hæserunt, & nos non possumus alioqui sanctificari. Quisquis ergo iustificari & sanctificari desyderat, uide

rit,

rit ne fide contingat sanctificatos, sed adcedat ad ipsum iustificationis ac sanctificationis fontem Dominum IESVM Christum. Alioqui ubi se putabit sanctificari, tum omnium maxime contaminabitur. Et uere nunquam non fuere contaminati, qui alienis à Christo adhæserunt, & crediderunt se eorum meritis, sanctificationem consecuturos.

Deniq; interrogauit eosdem sacerdotes, an res tacta ab eo, qui pollutus est ex contactu morticinij, aut aliâs, ut habetur Leui. 5. 15. & 22. contaminaretur. Cui illi. Contaminatur. Ex quorum responsione, sumpsit prophetandi rationem, sic iubente Domino, & ait: Sic populus iste, & gens ista, ante faciem meam, supple polluta est, dicit Dominus, itidem omnia eorum opera & sacrificia, quantulibet in faciem iusta uideantur, contaminata sunt. Quid hoc sibi uult, quòd id quod tetigit res polluta, contaminatur, quod uero tetigit res sanctificata, non sanctificatur? Diximus, necessum fore ad sanctificationem, ut petatur omnis sanctificationis fons, nempe, Deus & Christus eius. Quidquid enim est alioqui sanctum, in mensura adcepit sanctificationem, pro se ipso scilicet, uerum alteri incommunicabilem. Cæterum fide in Christum purificamur. Acto. 15. & ex ea absq; legis operibus est iustitia, ut late patet. Rom. 3. & 4. & Gal. 3. At omne aliud à Domino cum eo collatum impurum est, & omnis homo à se ipso impurus, & à solo Domino purus effici potest, cum scilicet peccati impuritas illi remittitur, & non

imputatur. Siquidem is tantum est beatus, purus, & sanctus, cui ille peccatum non imputat, Psal. 32. Quod si denuo uult imputare aliquid impuritatis, ut olim ex mortuorum contactu, figuratiue ostensum fuit, pollutus est, donec iterum purgetur. Et quemadmodum, polluti olim in anima seu persona, uita, aut conuersatione, ob mortuos, polluebant, quidquid contingebant (etenim immunda erant, donec purgarentur) ita omnia opera & sacrificia incredulorũ, qui fide haudquaquam purgati fuere, omnium scilicet, qui Dei sermonibus non simplicissime adquiescunt, & credunt, peccata, adeoq; immunda, abominabilia, & execrabilia coram Domino sunt. Nimirum quidquid non est ex fide, peccatum est. Roma. 14. Nullum aũt increduli opus, ex fide esse potest. Sic & opera ac sacrificia Iudæorum, quæ sine uerbo & fide faciebant, quantumuis se bene agere putarent, impia & polluta erãt coram eõ, cuius oculi respiciunt fidem. Hie. 5. et cuius omnia opera sunt in fide. Psal. 32. Quandoquidem omne opus Dei, quòd scilicet omnia ab eo sint, sola fide intelligere ualeamus, & inter hæc sola fide iustificamur, & sanctificamur, quæ sola cum fructibus suis, Dei opera sunt. Ioan. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

PARS TERTIA.

Et nunc ponite corda uestra à die hac & supra, antequam poneretur lapis super lapidẽ in tem-

in tẽplo Domini. Cum adcederetis ad aceruum uiginti modiorũ & fierẽt decem, & intraretis ad torcular, ut exprimeretis, quinquaginta lagenas, & fiebant uiginti. Percussi uos uento urente & aurigine, & grandine, omnia opera manuum uestrarum, & non fuit in uobis qui reuerteretur ad me, dicit dominus. Ponite corda uestra, ex die ista, & in futurum, à die uicesima & quarta noni mensis, à die qua fundamenta iacta sunt templi Domini. Ponite super cor uestrũ. Nunquid iam semen in germine est, & adhuc ficus, et uinea, & malogranatum, & lignum oliuę, non floruit? Ex die ista benedicam.

Quæ præce. cap. partibus secunda & quarta habuimus, hic pariter habes, nempe, quòd nihil prospere successerit Iudæis, quàm diu non adquieuere simpliciter uerbo Domini. *Adijcit autem uerbum promissionis, redeuntibus ad opus* Dei. *Amodo, inquit, benedicam uobis, hoc est, multiplicabo bona uestra, & uobis auxiliabor. Inculcat autem toties, ut ponant cor suum, id est, obseruent, qua ratione de illis iudicium fecerit* Deus. *Nimirum omni synceritate & uigilantia illius iudicia meditari debemus, sicut scriptum est. Beatus uir qui in lege domini die ac nocte meditatur. Psal. 1. Rursumq; psal. 118. Beati qui scrutantur testimonia eius. Iudiciorum aũt*

domini

domini summa est, quod uarie agit cum incredulis & fidelibus, cum his qui non mox suæ iussioni obediunt, & his qui eidem parent.

Obseruandum quoq; nobis, quàm mirifica sint iudicia Dei, quàm uidelicet omnes qui uerbo suo adquiescunt iuuet, ac consoletur, etiam si externe aliquid pati uideantur, itidem quàm miro ordine torqueat et puniat impios, etiam si alioqui gloriosi adpareant coram hominibus. Iudicia Dei abyßus multa. Psal. 35. Verum desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Psal. 18.

Quod hic habes, Iudæos fundamenta templi iecisse, non est intelligendum de prima fundatione eius, quæ fuit mox, posteaquam rediere à Babylone, nec de præparationibus ad ædificium, quas inceperunt, die uicesima quarta sexti mensis, anni secundi Darij Regis suprà cap. primo, sed de die uicesima quarta noni mensis eiusdem anni secundi Darij, in qua simpliciter puto eos misisse aliqua fundamenta, nondum posita, & super fundamentis prius iactis iterum ædificaße. Alia quæ in textu habentur, sunt aperta.

PARS QVARTA.

Et factum est uerbum Domini secundo ad Aggeum, in uicesima quarta die mensis (nõ dubium, quin noni) dicens: Loquere ad Zorobabel

robabel ducem Iuda dicens : Ego mouebo cælum, pariter & terram, & subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam et ascensorem eius, & descēdent equi, & ascensores eorum, uir in gladio fratris sui. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salatiel, serue meus dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

Omnium consensu, hic de Christo agitur. Solus contradicit, cæcus ille Iudæus Rabi Solomon, *& complices eius*. Et *quemadmodum Christus per David significatur*. Hiere. 30. Ezechi. 34. *&* 37. *&* Oseæ. 3. *ita & hoc loco capitur per* Zorobabelem, *in ultimo uersu, uidelicet*. In *die illa &c*. Nam *quæ præcedunt, ipsi Zorobabeli sunt dicta*. Promittit *autem idem quod præcedenti capite, nempe, quòd esset moturus cælum & terram, non dubium quin dum ueniret ille, qui erat, & est desideratus cunctis gentibus. Cæterum qua ratione futura esset ipsa cõmotio, suprà diximus, quòd ueruntamen hic apertius monstratur*. Ait *enim quòd in ea commotione, subuerteret solium regnorum &c. Cum enim* Regnum *omnium sæculorum Christo datum est, suscepit potestatem ut omnia contererc posset*. Psal. 2. *imò & de facto conterit, mox ubi fides eius suscipitur*. Quod *& aperte* Danielis

secundo

ſecundo habetur. Nonne ipſe eſt, qui omnem in fidelibus altitudinem conterit, & facit eos uere humiles? Nam quot quot non omnibus iuſſionibus eius adquieſcunt, ſed à ſeipſis regnare, dominari, & regi uolunt, nihil minus quã fideles ſunt. Verbum Dei maxime oppoſitum eſt, carnalium tum principum tum aliorum adfectibus, ideo eo reuelato commouentur, & perturbantur. Damnatur per illud omnis ſæculi altitudo, & quidquid non eſt ex fide, etiam ſi alioqui bonum, pulchrum, magnum, ſublime, & omni ex parte laudabile adpareat, quod mundus ſuſtinere non poteſt.

Igitur Chriſtus omnia regna deſtruit, aut melius ſubuertit, mox ut in ea mittit manũ ſuam. Deſtruit quod malum eſt, ut ædificet quod eſt bonum. Tum ſubuertit ſolium regnorum, cum facit ut Reges & Principes ad eum uere conuerſi, quaſi non Reges ſint, nihilq; fidentes regnorum faſtigijs, ſe Dei miniſtros & ſeruos agnoſcant. Conterit fortitudinem regni gentium, dum infidelitatem, & quidquid gentilicium eſt, ſui uerbi ac ſpiritus inuicta potentia deſtruit. Subuertit quadrigas & aſcenſores earũ, & equos & aſcenſores eorũ dum facit, ut non ultrà quis fidat curribus, equis, equitibus, aut cuiuis munitioni.

Eſt quoq; alia cõmotio futura per Chriſtũ, qua omnem principatum poteſtatem & uirtutem auferet, & conteret, de qua 1. Corin. 15. Quæ tũ ſolũ eſt futura, cũ omnia erunt conſummata, & finito iudicio mundi, filius reddet patri regnum, ut ſit ipſe omnia in omnibus.

Ait autem Christo homini Dominus Deus exercituũ. Adsumam te, in unam personam mecum in illa die, in temporis plenitudine, ò Zorobabel, fili Salatiel, Christe scilicet, qui ita es filius Salatiel, sicut Dauidis. Zorobabel etiam uocatur, eo quòd ex semine Zorobabelis natus sit, sicut Dauid uocatur locis pauloante allegatis, eo quòd secundum carnem ex eius semine prodierit. Et ponam te sicut signaculum, non dubium, quin salutis omnibus fidelibus, & in signum cui contradicetur, quem locum apertius declarauimus Lucæ. 2. ibi. Ecce positus est hic &c.

Quare autem id facies ut eum ponas in signaculum, ò Deus? Quia, inquit, te elegi. Electus ergo est Christus solus, non Angeli, non sancti, non Papa, non alij quicunq; in signaculum, quod sequamur & imitemur; illiq; fidamus, per eum solum sperantes, nos Dei gratiam consecuturos, foreq; participes, iustitiæ ueritatis, et omnium bonorum: Cui cum patre & spiritu sancto, sit honor, gloria, decus, & imperium in secula seculorum, AMEN.

Commentariorum Fran. Lamb. Auenionen. in Aggeum Prophetam, Finis.

Commen-

COMMENTARIORVM FRANCISCI LAMberti Auenionensis, in Zachariam Prophetam,

PROLOGVS.

QVo tempore, & qua ratione missus fuerit Zacharias, diximus in prologo Aggei, qui ipsi Zachariæ fuit contemporaneus, tametsi ante Zachariam Aggeus cœpit prophetare. At Zachariæ prophetia, multis nominibus admirabilis, nonnulla subobscura, et nonnulla, imò plura de Christo et Ecclesia manifestissime continet. Fuit namq; eius officium lege inculcata, Christi & Ecclesiæ mysteria prænunciare. De prophetia proprio libello egimus. Et ideo si de hac re plura à nobis desideras, hunc lege.

Porrò huius Prophetæ obscuritas, in uisionibus ac mysticis locutionibus est. De uisionibus autem, id obserua, quòd raro omnes earum partes intelligi possunt, imò neq; ipsi prophetæ easdem sæpe intellexerunt. Quis enī satis agnouit omnium partium cuiuslibet uisionis speciales causas, si tamen aliquæ sunt? Nam sæpe non nisi summa est requirenda.

Ceterum

Cæterum uide, ne id genus Dei mysteriorum intelligentiam unquam tribuas industriæ, arti, ingenio, literis politioribus, experientiæ, linguis, ne per id blasphemes Deum, & seducaris, tribuens alienis, quod ad unum dei spiritum attinet. Quemadmodum enim sensum hominis, agnoscit hominis spiritus, qui in eo est, & non alius homo, ita & quæ Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei. 1. Corin. 2. Horum namque interpretatio non est priuatæ uoluntatis, sed ipsius spiritus Dei, per quem reuelat in Ecclesiæ cælo mysteria sua. Daniel. 2. At de his plenius dicto libello de prophetia.

EIVSDEM ARGVMENTVM in eundem Prophetam.

INstaurationem Hierosolymæ & templi Dei, Zacharias prænunciat, ad idq; animat populum Iuda. De Christo et Ecclesia insignia ualde habet. Specialiter autem capite primo, admonet ut conuertantur ad Dominum, & ne sequantur errata parentum. Videt Angelum inter myrteta, & equos rufos, uarios albosq; sequentes. Prophetat uerba bona & consolatoria, pro Hierusalem & Sion. Videt quoq; quatuor cornua & fabros, & super his prophetat aduersum hostes populi Dei.

Cap. 2. De Angelo proficiscente ut Hierosolymám metiretur, quodq; absque muro foret habitanda, quòd Dominus ipse, est murus & gloria eius. Admonet populum

ſuum per orbem diſperſum ut fugiat è Babylone. Subiun gitur inſignis prophetia de Chriſto, & gentium conuer ſione, & quòd ſint futuræ cum Iuda in populum domini.

Cap. 3. Increpatur Satan, & Ieſus filius Ioſedech ſa= cerdos magnus, exuitur ſordidis ueſtibus, induitur nouis & mutatorijs, auferturq́; ab eo illius iniquitas, & per ui as Domini ire iubetur, ut in ſacerdotio permaneat. Pro= phetat de Oriente ſeruo ſuo, nempe, Chriſto Deo & ho= mine, lapideq́; uno, ſuper quo ſunt oculi ſeptem, hoc eſt, ſeptem ſpiritus Dei. Hunc lapidem dedit coram dicto ſa= cerdote. Prædicit ſe abſconſurum eiuſdem lapidis cæla= turam, non dubium quin impijs, & ablaturum iniquita= tem terræ, id eſt, filiorum Eccleſiæ, illiſq́; pacem & læti= tiam daturum.

Cap. 4. Videt candelabrum aureum, cum lampade, lucernis, infuſorijs, & duabus oliuis. Petit ſibi interpre= tari uiſionem, quod & fit. Magna hic habes.

Cap. 5. Videt uolumen uolans, quo figurabatur male= dictio, & iudicium Domini aduerſum fures, & iuran= tes in nomen Dei mendaciter. Videt quoque amphoram impietatis, deferri in Babyloniam, ut in ea ſedem habeat. O magnum myſterium.

Cap. 6. Videt quatuor quadrigas cum equis differen= tibus, in typum quatuor regnorum. Præcipitur quoque Zachariæ, ut ſumptis argento & auro fabricet coro= nas, ponatq́; eas ſuper caput pontificis, & tũ prophetat

de regno

de regno & sacerdotio Christi. Seruātur post hæc coronæ in templo in memoriam perpetuam.

Cap.7. Sacerdotibus et Prophetis, quæstio de ieiunio & fletu proponitur. Damnatur hypocrisis ieiunantium & flentium sibi, non Domino. Multæ dehinc sacræ iussiones adnectuntur.

Cap. 8. Prophetat de reuersione Domini ad Hierusalem & Sion, quòd sit futura populosa, quòd Deo nihil difficile, quòd dispersi electi, sint in eam congregandi, quæ potissimum de Ecclesia Dei capiuntur. Admonet ut confortentur uerbo DOMINI, & ut expendant iudicia sua, & necessaria mandata subiungit. Post hæc dies ieiuniorum, mutat in dies lætitiæ. De gentibus se inuitantibus ut ueniāt ad Ecclesiam Dei, & de uiris decem, apprehendentibus fimbriam uiri Iudæi.

Cap 9. De gentium conuersione & sanctificatione, de aduentu CHRISTI Regis nostri super asinam, quòd omne robur carnis sit ab Ecclesia dissipandum, de dilatatione regni CHRISTI, quòd per eius sanguinem uincti soluuntur. Præcipitur uinctis spei, ut se conuertant ad munitionem, & illis duplicia spondet. Prophetat de ueræ Sion uictoria, aduersum Græcos, id est, omnes Gentes. De potentia uerbi Dei ac ministrorum eius.

Cap.10. Iubetur populo, ut petat à Domino uerbi Dei aquas, ne sint infrugiferi. Damnantur doctrinæ

Dæmoniorum, & spirituum impostorum, & ostenditur, quòd propterea captiuitatem incurrerant. Promittitur Dei populo, uictoria, pax, reuersio in terram suam, & congregatio: Assur uero & Aegypti, hoc est, incredulorum humiliatio prædicitur.

Cap. 11. De Hierosolymæ & templi euersione per Romanos, quòd non parcet habitatoribus terræ, pro eo quòd ouibus pastores non parcebant, quòd tradet unumquenque in manu proximi ac Regis sui. De mysterio duarum uirgarum, decoris & funiculi, de precio. 30. argenteorum, quibus ab eis adpreciatus est. De pastore stulto, & idolo. Facit hoc caput maxime contra Antichristos, & impios Iudæos.

Cap. 12. De obsidione Hierosolymæ, & quòd sit futura in lapidem oneris cunctis gentibus, ac de populis illi aduersantibus percutiendis amentia & cæcitate. Quòd sit misserturus Iudeæ & Hierosolymæ, cuius duces uastabunt hostes suos, haud secus atque ignis. Quòd Deus sit protecturus eam, ab hostibus. De effusione spiritus gratiæ super domum Dauidis, de planctu super Domino, quem confixerunt: De planctu magno in Hierusalem per singulas familias Israël.

Cap. 13. De fonte patenti domui Dauidis, Ecclesiæ scilicet: De ablatione omnis idololatriæ & mendacij. Quod tanta erit ueritatis dilectio, ut parentes sint confixuri proprios filios mendacium prophetantes. De frame-

mea

mea suscitata super pastore: De pastore percusso, & dispersis ouibus gregis. Et ibi multa de Christo.

Cap. 14. De captione ac uastatione Hierusalem, & diuisione spoliorum in medio eius, de Domino, pro populo suo aduersum gentes præliaturo, de scissione montis oliuarum, de die uota Domino, in cuius uespere erit lux. De aquis uiuis, perpetuo egredientibus ex Hierusalem, & se diuidentibus ad mare orientale & nouissimum, quòd Deus sit ubiq; regnaturus, de uera Hierusalem exaltanda & habitanda in loco suo: de plaga hostium Hierusalem, et præter id multa admodum insignia de ipsa Hierosolyma.



INCIPIT ZACHARIAS Propheta.

CAPVT PRIMVM.

Summarium Capitis. Primum, in mentem illis reuocat iram ſuam, & admonet, ut conuertantur. Secundo, uetat ne patrum errata ſequantur. Tertio, uidet Angelum & equos inter myrteta, & ſuper his prophetat. Quarto, uidet quatuor cornua & fabros.

PARS PRIMA.

IN menſe octauo, in anno ſecundo Darij Regis, factum eſt uerbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filium Addo, Prophetam, dicens. Iratus eſt Dominus ſuper patres ueſtros iracundia, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum. Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad uos dicit Dominus exercituum.

De tem-

DE tempore prophetiæ in prologo uisum est. Igitur hoc loco in primis est obseruandum, quòd fuerit solicitus dominus, ad operis domus suæ consummationẽ multiplicare Prophetas, mittens nedũ Aggeum, sed et Zachariam, et alios, etiã si nomina singulorũ ignoremus. Parum quippe fuisset ædificare, nisi et ex fide id fecißent, idcirco opus fuit, ut continue docerentur, quã opoteret eos in magna fidei synceritate, ipsum opus perficere, ut Deo gratum eßet. Sæpissime aũt inculcat, quòd uerba sint Dei, ut nihil aliud quàm ipsissima Dei eloquia hic esse putemus. Quæ replicatio insignis est, in Prophetis omnibus. Quo et nos docemur, ne ullum omnino uerbum aliud, annunciemus populo Dei, quàm ipsum Dei uerbum, et solum quidem. Veh his qui diuinis eloquijs, humana sterora, et æternis ueritatibus, figmenta seu mendacia hominum permiscent.

Deinde ab ipso prophetandi initio proponit exemplum, patrum impiorum, qui eos præcesserant, quòd scilicet aduersum illos fuerat uehemẽter adiratus, ille cuius ira, non est aqua mutatio, sed æterni eius decreti signũ et manifesta adimpletio, qua in tempore facit, quæ in æternitate, at immutabiliter proposuit. Cuius iracũdia non passionem sed effectum eius punitionis, ac perpetui inuariabilisq; odij iniquitatis significat. Idcirco aũt meminit de eorũ patribus, ne fierẽt apostasiæ eorũ imitatores, et contingeret eis similiter experiri, horrendam manũ, uehementis furoris atq; iracundiæ eius.

Alia quoque ratione eorum memoriam facit, ut scilicet agnosceret, quòd ipse idem erat, qui dixit. Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij. Qui etiam seminis impiorum misertus est, non eorum meritis, sed propter semetipsum, quia ita ab æterno proposuit, & ut seruaret uerbum quod promiserat Abrahamo, & sanctis patribus, in testamētum æternum. Etenim fieri nunquam potuit, ut impiorum patrum cor durum & infidele, Dei fidem siue promissionem irritam faceret. Roma. 3. Sed oportuit, ut secundum præfinitionem dei, sua iustitia, per nostram iniustitiam redderetur commendabilior, prout ibidem aperte haec ex Paulo.

Ait post hæc Deus. Conuertimini &c. Quid est quod prius dixit: Conuertimini ad me, denique subiunxit, & ego conuertar ad uos? Quis potest prius ad eum conuerti, quàm deus se ad eum conuerterit, & misericorditer inclinarit?

Conuerti enim ad dominum, est in eum ire credere, quod nemo facit, præter eum quem suo spiritu docuerit, & ad se traxerit. Infrà quoque .9. capite ait, se qui ante eos proiecerat, eos conuersurū. Certum est autem, quòd posteaquam eos proiecerat, prius haudquaquam ante conuerti ualebant, quàm eis deus illustraret & doceret spiritu suo, quæ illustratio nihil aliud, quā dei conuersio ad nos est.

Igitur

Igitur obſerua, duplicem eſſe conuerſionem, quarum neutra ſola eſſe poteſt. Prima eſt conuerſio Dei ad nos, quæ noſtræ ſalutis initium eſt. Secunda, qua ad Deum cõuertimur, & hæc ad priorem mox conſequitur. Harum utraq; neceſſaria eſt, ut uere ad dominum conuertamur. Eſt ergo ipſa conuerſio, non tam noſtrum quàm Dei opus, quo circunciduntur corda noſtra, eorũq; durities aufertur, daturq́; nobis cor carneum & tractabile omnibus Dei iuſsis uoluntarie acquieſcens, de quo Ezec. 36. Auferam cor lapideum de carne ueſtra, & dabo uobis cor carneum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri. Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.

PARS SECVNDA.

Ne ſitis ſicut patres ueſtri, ad quos clamabãt Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit dominus exercituum. Conuertimini de uijs ueſtris malis, & de cogitationibus ueſtris peſſimis, & non audierunt neq; attenderunt ad me, dicit dominus. Patres ueſtri ubi ſunt & Prophetæ? Nunquid in ſempiternum uiuunt? Veruntamen uerba mea, & legitima mea, quæ mandaui ſeruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres ueſtros? Et conuerſi ſunt, & dixerunt: Sicut co-

gitauit Dominus exercituum facere nobis secundum uias nostras, & secundum adinuentiones nostras, ita fecit nobis.

*V*bi sunt, qui nunc sermone domini reuelato, nō erubescunt asserere, q̄ iuxta patrum nostrorū, ac eorū qui nos antecesserūt fidē & obseruatiōes sit ambulandū? Quid dicēt ad hoc uerbū domini? Ne sitis sicut patres uestri &c. Habuerunt illi pseudoprophetas, sicut & nos multis sæculis habuimus, uiuitq; adhuc ex eis multitudo non parua, qui insaniunt in cunctos, qui in dei nomine ueritatem prophetant. Eiusmodi pseudoprophetis consenserant impij ex Israël, calcantes Hieremiam & alios Prophetas Domini. Proinde captiuatæ fuere decem tribus, & destructa Hierosolyma, regnum Iuda euersum, & desolatum per annos septuaginta. Hic dignatur optimus ipse DEVS, & pater omnium, commonefacere eos, quos immensa bonitate ex Babyloniorum seruitute liberos fecerat, ne parentum errata sequerentur.

Profecto & ad nos spectat hæc admonitio, immo præceptum, quo nobis iubetur, ut antecessorum nostrorum errata & obseruationes haudquaquam imitemur. Nimirum intutissima res est, & qua nulla intutior, sequi homines, aut eorum mores, scripta, sermones, solum autē ibi omnia tuta sunt, ubi æternus Dei sermo diligitur & seruatur.

Dicebant

Dicebant prophetæ sancti: Conuertimini ad Dominum à uijs uestris pessimis, alioqui disperitis, & hæc aut illa mala, uel nolentes perferetis. Sed nihil horum uolebant impij, magis acquiescentes falsis prophetis, qui dicebant: Non ueniet super uos malum. Propter quod & ingrauata est super eos manus Domini. Idcirco eorum filijs à captiuitate reuersis, ait: Patres uestri ubi sunt, & Prophetæ? non dubium, quin falsi. Patres qui non attendebant, sed aspernabantur sermones Domini, & prophetæ loquentes mendacium.

Nunquid in sempiternum uiuent? Quasi diceret: Disperiere, neque erunt participes sempiternæ gloriæ dei. Sic & disperibunt pseudoprophetæ sæculi huius, & quotquot illis subscributnt.

Sed nunquid omnes disperiere? Nunquid omnes in incredulitate manserunt? Absit. Nam & nonnulli postea quam uiderunt, quæ Dei prophetæ prædixerant, adimpleta, resipuere & dixerunt: Sicut cogitauit Dominus &c. O uere sanctam confeßionem. Fac DOMINE, ut uniuersi, quos Anticristi prophetæ seduxere, resipiscant, & idem profiteantur. Conuerte illos ad te, & conuertentur. Alioqui quis poterit redire ad te? Trahe nos post te, & tum curremus, quocunque præceperis.

PARS TERTIA.

In die uicesima quarta undecimi mensis sab bath, in anno secundo Darij, factum est uer bum Domini ad Zachariam filium Bara= chiæ filium Addo Prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce uir ascendens super equũ rufum, et ipse stabat inter myrteta, quę erant in profundo, & post eum equi rufi uarij & al bi. Et dixi: Qui sunt isti, domine mi? Et di xit ad me angelus, qui loquebatur in me: E= go ostendam tibi, quid si nt hęc. Et respondit uir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambularent ter= ram. Et responderunt angelo domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambu= lauimus terram, & ecce omnis terra habita= tur, & quiescit. Et respondit angelus domini & dixit: Domine exercituum, usque quo tu non misereberis Hierusalem, & urbium Iu= da, quibus iratus es? Iste septuagesimus an= nus est. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me uerba bona, & uerba con= solatoria. Et dixit ad me angelus, qui loque= batur in me. Clama, dicens. Hæc dicit Do= minus exercituum: Zelatus sum Hierusalẽ, & Sion zelo magno, & ira magna ego ira= scor super gentes opulentas, quia ego iratus sum

ſum parum, ipſę uero adiuuerunt in malū. Propterea hæc dicit Dominus: Reuertar ad Hieruſalem in miſericordijs, & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, & perpendiculum extendetur ſuper Hieruſalem. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Hieruſalem.

Mira eſt hæc uiſio & ardua, pro qua primum annota, quæ in Prologo *diximus, de uiſionibus, libello quoq; noſtro de* Prophetia, *itidem ea quæ in* Ezechielis *prologo annotauimus, quem,* Deo *propitio, poſt* Malachiam *ædemus.* Deniq; *facta eſt hæc uiſio in menſe Sabath, qui* Februarius *apud nos eſt.* Ad *hæc obſerua, hunc locum, quo* Propheta *dicit, angelum in eo locutum, non alioqui intelligendum, quàm ſi dixiſſet:* Loque*batur per me.* Dum *enim uerbum* Domini *medio* Zacha*riæ populo notum faciebat, quaſi in eo, uel per eum ipſi populo loquebatur.* Putauit *quidam, ſic intelligendum:* Loquebatur *in me, id eſt, ad cor meum, & cuius ſermo in me recipiebatur.* Quam *expoſitionem non damno, uerū non crediderim id uoluiſſe* Prophetam. His *præmiſſis, oēs huius uiſionis locos diſtinctis paragraphis enarremus.*

Primum, diem poſuit, nēpe uiceſimamquartam & c. 1

ubi

ubi nihil aliud inquirendum, quã quòd id explicuit ad plemiorem uiſionis fidem. Diuino quoq; *factum eſt conſilio ut prophetiarum tempora à ſanctis conſcriberentur, ut ex uarietate ſermonum & temporum agnoſcamus, quã ſolicitus fuerit* Dominus *pro populo ſuo.*

Secundo, ait ſe nocte, uel per noctem uidiſſe. Non di
2 *xit in ſomnis, ideo non dicimus fuiſſe in ſomnijs, ſed neq; negamus. Sunt qui plus tribuunt uiſionibus* Domini, *factis in uigilia, quàm his quæ fiunt in ſomnis, aſſerentes, q̃ quæ fiunt in uigilia, ſint maioris certitudinis.* Nos con*trà ſentimus, nempe quòd ſint paris certitudinis, ſi à deo ſunt.* Nam *ſpiritus à quo ſunt, certos facit de utroq;, quãtum opus eſt.* Certitudo *quippe uiſionum non à tempore quo fiunt, aut à perſona cui fiunt, ſed ab eo, à quo ſunt, pendet.* Sed *quorſum hæc prophana aſſertio?*

Pari *errore lapſus eſt quidam, qui aſſeruit,* Ioſeph Ma*riæ uirum integrioris fuiſſe fidei, quã ipſam beatam* Mariam, *conijciens per id, q̃ illi in ſomnis, iſti in uigilia ſermo* Domini *per angelum fuerit reuelatus.* Illi, *inquit, ut maiore & ſolidiore fide ſuffecit, uel in ſomnis uoluntatem* Domini *agnouiſſe.* Iſti *uero, eo q̃ fide eſſet infirmior, oportuit, ut in palam & uigilia reuelaretur.* Ego *hanc aſſertionem, præter id q̃ temeraria, inſulſa, curioſa, ſtolida, & effrenata eſt, dico eam plenam offenſione ſimplicium, & blaſphemia ſanctiſſimæ genitricis* Dei. Tum *enim conſequeretur, q̃ omnes quibus aliquid à* Domino *in ſomnis reuelatum eſt, fuerint integrioris ac firmioris*

fidei

fidei, quàm beata uirgo, quæ fide concepit unigenitũ dei, & cui in spir. tu sancto Elizabeta dixit: Beata quæ credidisti. Nónne prætulit Deus Mosen alijs Prophetis, in eo quòd palàm ei loqueretur, alijs autem per uisiones & somnia. Nume. 12. Viderint qui talia asserunt, ne fiat in eos plaga Dei, sicut aduersum Mariam sororem Mosi, pro eo quòd detraxerat Mosi, ut ibidem habes. Redeundo autem ad priora, dicimus, q per id quod Zacharias se nocte uidisse scripsit, uoluit ostendere uisionis tempus, & per id magis adstruere fidem eius.

3 Tertio, uidit uirum super equum rufum, inter myrteta, quæ erant in profundo. Myrtetum locus est, ubi myrti producuntur. Est autem myrtus arbustum preciosum, multiq; odoris. Porrò uir ille, angelus erat, ut paulopost habes, per quem alij Michaelem angelum, alij alios capiunt. Ego puto angelum pro angelis, singulare uidelicet pro plurali positum, quod est frequens in scripturis. Et quia angelus nuncium significat, hoc loco angelus, & sanctos angelos, quos Deus mittebat in auxilium Israëlis, & ueros Prophetas designat. Quid enim myrteta, nisi populi Dei, & tribus Israël? Nimirum, ut in Salomonis Canticis diximus, per odoratas arbores, fideles capiuntur. Denique hortus quidam Domini fuit Israël, & quælibet tribus quasi myrtetum: quilibet autem uerus Israëlita, quasi myrtus. In medio horum myrtorum erant administratorij multi spiritus, erant & Prophetæ, omnes dei angeli uel nuncij. Recte in medio, quia omnium quærebant

bant bonum, & pro eis Dei misericordiam precabantur. Et omnes angeli, uerique Prophetæ, seu Euangelistæ, qui etiam nunc sunt in medio Ecclesiarum fidelium, sunt quasi inter myrteta. Nam omnes sancti, sunt quasi odorata myrtus. Sunt enim Christi bonus odor, alijs odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. 2. Cor. 2.

Cæterum ipse populus Israël per myrtum arborem paruam, uerum odoratam capiebatur, quòd humilis populus tum esset. Captiuitate nanque & multis malis contriti fuerant. Odorati autem erant ac preciosi ob uerbum Dei. Quandoquidem illis reuelata erant eloquia eius, & illorum odor ad nos usque peruenit. Sic & myrtus parua, sunt fideles ob humilitatem & crucem, quæ illis est ordinaria, atque perpetua: odorata uero ob uerbum fidei, uerbum, inquam, Dei.

Propter hanc humilitatem & contritionem populi de myrtetis hic dicitur, quòd erant in profundo, in tribulatione scilicet & malis multis.

Quarto, hunc angelum stantem inter myrteta sequebantur equi rufi, uarij & albi.

Penè oblitus eram, quod hic angelus dicitur uectus equo rufo. Id ergo primum uideamus, quid significabat equi rufi equitatio, demum ad alia procedemus. Qui uehitur equo, plus itineris implet breui tempore, ac diligentius et citius peruenit, quo ire desyderat. Diligentia ergo & celeritas præscriptorum Dei nunciorum hac equitatione figurata fuit. Sed quid est, quòd equus rufus dicitur Apo

ca. σ. sanguinis effusio, & martyrum cruciatus per equi rubedinem capiuntur. Certum est autem, omnes DEI nuncios (de hominibus loquor, in quibus angeli loquebantur, ut suprà de Zacharia diximus) ab impijs mala grauia fuisse perpessos. Porrò hæc mala equi rubedine figurantur. Vecti ergo erant hi nuncij equo, in medio myrtetorum, quia diligētissime populi negocia agebant, per instantiam uerbi DEI: sed hic equus rufus erat, quia inter prophetandum multis malis à carnalibus afficiebantur. Et uere omnem, qui uoluerit, sicut necesse est, implere ministerium uerbi Dei, non uehi equo rufo, impossibile est. Veritatis siquidem indiuidua comes est crux.

Qui deinde sunt equi alij? Dicit quidam, per equos significari eos, quos Dominus prius ex terris proprijs eiecerat, sed omnino non congruit. Non enim miserat eos Dominus, ut perambularent ac circuirent terram, sed expulerat à proprijs terris, ut exilium paterentur in terra aliena, tempore multo. Alij uolunt per hos intelligi populos uarios, per quos Dominus Israëlem & alios afflixerat. Sed neq; id congruit. Aliud nanq; est circuire & perambulare, aliud affligere & flagellare. Tametsi & illi circuiere, qui plebem, DEO uolente, afflixerunt. Verum quicunque tandem per hos capiuntur, missi fuere à Domino, & sciebant se missos ab eo, & impleto suo ministerio, rediere ad medium myrtetorum, & sequebantur angelum illum priorem, per quem sanctos pro

phetas & spiritus angelicos, qui praeerant Israëlitis, intelligimus. At Chaldaei, Assyrij, & reliquae gentes cum afflixere Israël, non id fecerunt, quasi Deo mittente, sed propria malignitate. Deniq; hi qui per hos equos designantur, ex ordine uisionis uidentur quaerere bonum Israël. Quandoquidem tota haec uisio ad prophetiam paulopost hic positam ordinatur.

Ego puto per hos intelligi angelos, quos Dominus miserat ad uarias gentes, in salutem electorum, qui in eis erant (siquidem electi fuere etiam in Gentibus) & ad iudicia sua adimplenda. Administrant quippe illi, in populis cunctis, sed id propter electos. Hi uidentes pacem in alijs regnis & populis, uenerunt ad spiritus ministrantes filijs Israël, bonum eorum cupientes.

Adijciam tamen aliam expositionem, quae forsan reliquis eo erit purior, quo simplicior, nempe quòd per hos equos intelligantur plerique ex Israël, qui uolente & monente Domino, uaria regna percurrerunt: redeuntes autem in Iudaeam, & uidentes ruinas Hierusalem & templi, dicebant sanctis, qui per angelum inter myrteta stantem capiuntur. En quòd regna uaria percurrimus, & ubique pax est, ubique tuta habitatio. Quasi diceret: Quid est, quòd & Hierosolymae non miseretur Deus? Vnde illi moti, orabant pro reaedificatione Hierusalem. Haec posterior expositio plus caeteris mihi arridet, etiam ea quam de angelis à DEO missis attigimus. Magis enim congruit, per equos homines, quàm angelos interpretari.

pretari. Post hanc uero interpretationem illa de angelis magis placet. Neque id diuersum est ab eo, quod paulo ante negauimus, per hos equos, eiectos & ductos in captiuitatem intelligi. Nam iuxta simplicitatem textus, hi soli uidentur capiendi, qui ad id percurrerant alias terras, ut uiderent, quid uiueretur in eis. Et aliqui fuere ex his, qui in Iudæa erant, dum sub Cyro cœperunt ædificare templum & Hierusalem: præpedito autem ædificio, moti à D O M I N O, uarias regiones circuierunt. Qui cum redirent, & narrarent sanctis, gentium quam uiderant pacem, prouocabantur illi, ut Dei misericordiam precarentur.

Quòd ex equis alij rufi, alij uarij, alij albi fuisse dicuntur, non puto aliud, quàm uarietatem & multitudinem eorum, qui sic cucurrerant, intelligi. Cursores enim per equos aptissime figurantur. Hinc prouerbium illud. Currit ut equus.

Quinto, hæc uidens Propheta, dixit angelo, qui sibi Dei mysteria reuelabat. Qui sunt isti, Domine mi? Quos designant? Cui ille spopondit, quòd mysterium hoc ei interpretáretur. Mox angelus qui erat inter myrteta, præueniens, dixit eos esse illos, quos deus miserat ad terrã perambulandam. Vide solicitudinem nunciorũ dei, ad erudiendos fideles ueritatẽ eius. Promittit unus se mox interpretaturum, & dũ id forsan mox ordiri uellet, alius id fecit. Quod nõ tulit grauatim prior, quin potius subticuit, ꝑ id

ostendens satis fuisse, quod alius dixerat. Nulla est inuidia inter fideles nuncios ueritatis. Cupiunt enim singuli gloriam Domini, & proximorum bonum. Quod dum fit, illis satis est, etiam si ab ipsis non fiat. Tametsi coram domino, dum idem facere cupiunt, illis imputatur, haud secus atq; ab eis factum esset. Deniq; approbans factum alterius, quasi illud facit.

Sexto, ipsi qui terram perambularant, aiunt: Perambulauimus terram &c. Ad quid putas eos dixisse, quòd omnis terra habitaretur & quiesceret, nisi quia idem fieri cupiebant de Hierosolyma & Iudæa? Vbi ardens boni Israëlis desyderium ostenderunt, quod non congruit hostibus Israël. Hinc argumentum suscipitur, q; per equos præscriptos amici Israëlis capiuntur.

Septimo, angelus stans inter myrteta, sumpta occasione ex sermone prædictorum, orauit pro Iudæa, dicens: Domine exercituum &c. Nedum erat septuagesimus annus, sed & præterierat. Porrò sic dixit, eundem annũ esse, q; intellexit illum præteriisse. Quemadmodum si quis promitteret se uenturum ad diem duodecimum, ueniret autem ad uicesimum, & illi uenienti quis diceret: Bene est dies duodecimus. Ita & dixit: Est annus septuagesimus. Quasi di. Est ultra eundem annum. Tempus est Domine miserendi eius. Vult Deus pia fidelis pectoris desyderia, & in eis gaudet, ad quæ etiam suo spiritu mouet, & excitat. Qui sciunt Deum fidelissimum in uerbis suis, quia tamen nesciunt profunditatem iudiciorum suorũ,

ut quæ

ut quæ promisit, adimpleat, uigilantissime deprecantur. Quod & sæpe in scripturis sanctis Dominus iubet Orate, inquit, clamate ad me, petite & accipietis. Neque enim aßequi uel minimum quiddam ualemus, qđ ille non prædestinarit, & ante promiserit.

Cæterum annus septuagesimus tum, sicut diximus, præterierat, Deus autē promiserat, ꝗ redempturus erat è Babylone Iudæos, & restauraturus Hierosolymam, urbesq́; eius, qđ tamen nedum fiebat, impijs nōnullis præpedientibus cœptum domus Domini opus, nemo proinde cogitet Dei promissiones haudquaquam adimpleri eo tempore, quo promittit. Nimirum fieri non potest, ut nō impleantur. Potius enim cœlum & terra ruerent, quā hæc haudquaquam implerentur usq; ad iota uel minimum. Sed interim obserua, Deum habere annos, dies & tempora sua, quæ non hominum more, sed proprio & inuariabili decreto metitur, prout de hebdomadis habes. Dani. 9. Et sæpe diem pro anno, aut pro toto tempore longißimo intelligit. Sic totum tempus à Christo nato dicitur annus Domino acceptabilis, diesq́; salutis & remißionis. In quo stultam ostendit hominum prudentiam, quæ neque annos scriptorum Dei intelligere ualet, tametsi nonnunquā aliquid eorum capit ex circunstātia locorum. Forsanq; secundum idem tempus tum annus solum septuagesimus erat, q ab alijs diu præcessisse credebatur. Quod uerunta men non asseruerim. Verum non est pro eiusmodi contendendum, sed tantum firmo tenendum animo, ipsam Dei

promissionem, ab anno septuagesimo secundū intentionē excelsi adimpleri cœpisse. De qua promissione aperte habes Hie. 29. Porrò q̃ is angelus, per quē, ut suprà uisū est, ueri prophetæ capiuntur, ꝓ Hierosolymæ & urbiū eius restauratione precatus est, docentur qui ad uerbi ministeriū uocati sunt, ut omni diligentia pro uera Ecclesiæ gloria, filiorūq; eius æterna salute maxime aduigilent & deprecētur. Et quemadmodū is angelus suæ orationis ansam exaudita aliarum gentium pace accepit, ita & serui dei audita execrabili pace Ecclesiæ malignantium, Synagogæue Antichristorum, efficacius moueri debent, ut beatissimæ dei Ecclesiæ bonum uelint.

Octauo, dominus ad uerbum præscripti angeli inter myrteta existentis, respondit angelo, qui in Zacharia, aut per eum loquebatur uerba bona & consolatoria, non dubium quin de tum futuro Hierosolymæ & Israëlis bono, & gloria. Sed quid est, quòd non respondit angelo, qui eum orauerat? Certe non ob aliud, quàm propter unanimitatem eorum. Nam quemadmodum, quod unus seruorum DEI facit, alijs imputatur, ita & qđ uni eorum fit, alijs fit, quod in his angelis uides. Promiserat unus eorum Zachariæ, se interpretaturum equorū uisionē, qđ alius adimpleuit. Qui postmodū orauit deum ꝓ Israël, & deus alteri respondit. Verū satis priori respondit, dum iuxta cor eius alteri locutus est.

Nono, angelus cui dominus locutus est, dixit ad Zachariam: Clama, dicens: Hæc dicit dominus exercituum. Noluit

luit, ut proferret etiam ipsum dei sermonem, nisi prius testaretur, q, dei erat. O utinam pari solicitudine ab uniuersis Euangelistis, uerbiq; ministris uitaretur, ne aliud omnino populos docerent, quàm id de quo uere dicere poßunt: Hæc dicit Dominus exercituum. Nimirum quicquid non est eiusmodi, est ab eis, quasi pestis nocentißima euitandum.

Sed quid ait dominus? Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum. Zelus amor est, quo uir diligit uxorem, & quicquid non conuenit puritati coniugij, abominatur. Ab hoc translatum est hoc uocabulum, ad omnem amorē uehementem & purum, quo aliquis sic ab alio diligitur, ut tamen in eo detestetur, quicquid malum est. Sic deus adamauit Hierosolymam & Sion, id est, Israëlitas, quorum prima urbs Hierosolyma fuit, et odiuit quicquid impiū perpetrarunt. Porrò huius odij signum fuit punitio eorum. Etenim, ut sæpe diximus, flagella Dei, per eius iram, furorémue capiuntur. Ob id dixit. Zelatus sum &c.

Deniq; et sæpissime zelus pro amore alicuius rei capitur cum detestatione eorum, quæ illi contraria sunt. Sic dominus populum suum dilexit, & odiuit hostes eius, qui in superbia magna afflixerunt eum. Ideo hic se zelasse Hierusalem, & iratum fuiße aduersum gentes, dixit.

Ipsam autem Hierosolymæ punitionem per gentes fecit, nempe per Aßyrios, Chaldæos, & alios, quos in deri

sionem omnis eorum potentiæ opulentos uocat. Voluit eos sumere in furoris sui uirgam, & iustißime eorum ministerio ad Israëlitas castigandos usus est. Verum hi non castigantium more egerunt cum ipsis Israëlitis, sed cum omni sæuitia tyrannidem exercuere in eos. Voluit Deus eos cædi per gentes, ut seruarentur tandem: contrà gentes ad id nisæ sunt, ut perpetuò interirent. Proinde ait Dominus: Iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum. Ac si diceret. Ego quidem uolui eos cædi, sed displicuit malignum cor Gentium, uolentium ut disperiret memoria Israëlis. Idcirco ira magna irascor super has Gentes opulentas, superbas, fidentesq; in diuitijs & potētia sua. Sensus est: Puniam eos grauißime, & grauius, q̄ punierim Israëlem. Magnitudo quippe diuinæ iracundiæ grauitatem punitionis eius significat.

Sed quid præterea ait Dominus? Propterea, hoc est, quia tam malignæ fuere Gētes aduersum populum meū, reuertar ad Hierusalem in misericordijs, hoc est, eius miserebor, & domus mea ædificabitur in ea, dicit Dominus exercituum. Adiecit autem idē angelus adhuc dicens prophetæ: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & consolabitur Dominus Sion, & eliget adhuc Hierusalem. Apertiora sunt hæc, quàm ut in eorum historica interpretatione immoremur.

ALLEGORIA
eiusdem uisionis.

Tametsi

TAmetsi uideo nihil opus esse eruditis in scripturis, & sensus exercitatos in eis habentibus, allegorias præscriptæ uisionis adnectere, itidem nonnullarum sequentium, id tamē uisum fuit non fore inutile, quin potius necessarium, pro indoctioribus quibus maxime instruire optamus, eo quòd ipsis uisionibus hic positis, allegoriæ maxime congruant. Quid enim nostris (si tamen nostra sunt, & non potius dei) indigent, magni illi Prophetæ, quibus dei spiritus est copiosissime diffusus? Ego paruulis in Christo maxime desudaui. Ideo qui nō habent opus, his quæ nunc subiunximus, sinant operam nostram simplicibus utilem esse.

Igitur, Zacharias uidit nocte insidentem equo inter myrteta. Quis hic Zacharias domini memor (sic enim interpretatur Zacharias) nisi fidelis filius Barachiæ, id est, benedictionis domini, Ecclesiæ scilicet, in qua sola est benedictio eius? Nimirum extra eam nō nisi maledictio est. Huic ostenditur nocte, in tempore uidelicet quietis, quo silentium omnia tenent. Sapi. 18. per quod tempus, pax animi fidelis hoc loco intelligitur, qua in spiritu uere quiescit & dormit. In hac inquam nocte illi ostenditur, qui sint nuncij dei. Hos uidet inter myrteta, in medio scilicet Ecclesiarum fidelium, quæ myrteta quædam sunt, & singuli fidelium odoratissimæ quædā myrti. Esse in medio Ecclesiarum, est illis administrare, quemadmodum & dominus ait: Ego in medio uestrum sum, sicut is qui ministrat. Nō ministrat Ecclesiæ, qui saluti fidelium contraria docet,

 prout

prout multis sæculis scholastici Sophistæq; fecerũt. Idcirco nihil minus, quàm ministri Ecclesiæ Dei sunt. Vis igitur nosse Dei nuncios, Prophetasq; ueros, uide an ministrent Ecclesiæ Dei. Iam cum uides Papam, suos Episcopos, & totum illud perditionis imperium, ac hypocriseos regnum, dicere se Episcopos Ecclesiæ Dei, Sacerdotes, Presbyteros, Diaconos, atq; sub spiritualium titulis se uenditantes, uides autem quòd nihil utiles sint Ecclesiæ Dei, cui non nisi sua mendacia inculcare nituntur, constanter dic eos nõ esse missos à Deo, nunciósue illius. Quo enim sunt ministri, qui in medio Ecclesiarum, intenti scilicet illarum ministerijs haudquaquam sunt? E diuerso cũ uides, purissimos Dei eloquiorum ministros, Ecclesiarũ bonum, pacem, & uerum gaudium quærentes pro uiribus, modisq; omnibus, nitentes ad deducendum fideles cunctos, ad ueritatis synceriſſimam dilectionem, & obseruationem, eiusmodi nuncios Dei esse nullatenus dubites.

Hi sunt equites, potentissimi ad currendam uiam domini, & diligentissimi ad cõmonefaciendum in omnibus populum eius, quorũ diligentia, charitas, & ardor, equitatione equi rufi designatur, sicut in historica enarratione diximus. Hi spectant ad equitationẽ illam domini, quæ salus est, ex qua scilicet esse, est esse saluũ. Abacuc. 3.

Cæterum de myrtetis dicitur, quòd erant in profundo, Ecclesiæ namq; filiorum est hæc uox. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerũt aquæ usq; ad animam meam.

Infixus

Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Psal. 68. Et illa. *De profundis clamaui ad te domine, domine exaudi uocem meam.* Psal. 129. Reprobi ponunt solium suum in sublimibus, & nidum quærũt in altissimis. Contrà serui dei locum hic petunt nouissimum. At Deus noua omnia faciet, aliquando deponens potentes de sede, humilesq́; exaltans. Luc. 1. Ob aliud quoq; in profundo esse dicuntur fideles, quod summe dei causa seipsos abijciant, et calcent, nihilq́; sibi tribuant ac fidant, sed omnia deo. Itidem sunt sæpe in tribulationum profundo, sic in eorum perpetuum bonum uolẽte deo, ut magis discant fidere illi, et sperare in eum. Deniq; perpetua fidei comes est crux, & simul pax ac gaudiũ, omnem sensum exuperãs. Contrà superbi, increduli, humilitatis et crucis profundũ abominantur. Et si illis à deo crux mittitur, nunquam est pacis & ueri gaudij sale condita. O uere felicem myrtum, quæ in profundis est. Sunt quippe adulterinæ quædam, quæ nõ in profundis illis sunt, & ideo sunt maledictæ.

Demum, post eum angelum qui erat inter myrteta, ueniebant equi rufi albi, & uarij, qui scilicet ad dei equitationem attinẽt, quorũ sessor Deus est. Hi quærũt Israëlis, id est, Ecclesiæ dei bonũ. Diximus qđ per Angelũ stantẽ inter myrteta, uerbi dei ministri intelligũtur. Qui prædicant syncerißimũ uerbum dei, cui quotquot se subijciunt, quidã equi domini sunt, per ipsum namq; uerbũ in eis sedet. E quibus hi qui præ cæteris reliquorum salutem desiderant, per equos præscriptos aptissime figurantur.

Forsan

Forsan aūt paulo conuenientius erit, si per ascensorē illum equi rufi, inter myrteta existentem, Dominū IESVM Christum, in allegoria capiamus. Is quippe inter præscripta myrteta perpetuus est, & eum sequuntur, quotquot ueritati adquiescunt, & bonum Ecclesiæ sanctæ cupiunt, qui equis prædictis designantur.

Porrò equis mysticis uisis, uerus quisq; Zacharias, mysterium nosse cupit, et humiliter interrogat, qui sint. Seruus namq; Dei, eius mysteria quantū licet inuestigat, & requirit, quòd in eo solo gaudium habeat. Fideliter autem inquirenti, non deest omnipotens Deus, sed erudit eū sermonibus uere consolationis. Pauca hic sunt, quæ transferre in allegoriam noluimus, quòd non tam congruere ut in reliquis putaremus. Maxime enim id uidendum est, ne inanibus & incongruis allegorijs, quispiam utatur. Sed scopus prospiciendus est, nempe, quod fidelem domini memorem, Deus ipse erudiat, de futuris Ecclesiæ bonis. Quis enim Hierusalem & templū nisi Ecclesia dei? Templum namq; est, quòd in ea uere colitur Deus: ciuitas uero Hierosolyma, ciuitas dei Regia, quòd in ea Christus regnet, & ciues habeat electos omnes. Contra filios Ecclesiæ huius, insurgunt passim gentes, ueniunt in hæreditatem domini, omnia polluentes, perturbantes, & subuertentes. Occidunt, mactant, rapiunt, & perdunt in tempus, sic ad maius electorum bonum, præordinante deo. Tempore autem ab eo præfinito, truncabuntur ungues, & manus impiorum, omnis scilicet eorum facultas ad nihilum

hilum redigetur, et calcabuntur, ut puluis terræ, domino zelante pro Ecclesia *sua. Zelo quidem* Ecclesiæ, *hoc est, amore ueri boni eius, & odio impietatis, uult filios eius in tempus adfligi, donec sæculo mutato, in reproborum caput, eorum malignitatem tyrannidemq́; conuertat.*

Roboretur *autem fidelis anima uerbo domini, & in eo confidenter agat, nihil dubitãs, quòd dominus reuertatur ad* Ecclesiã *in misericordijs, instaurabunturq́; ruinæ eius, & templum domini, id est, uerus cultus eius, in ea ædificabitur. Fiat, fiat citius. Veni domine* IESV, *& noli tardare, Hierosolymæq́; ruinas instaura.*

PARS QVARTA.

Et leuaui oculos meos & uidi, & ecce quatuor cornua. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt hæc? Et dixit ad me. Hæc sunt cornua quæ uentilauerũt Iudam, & Israel & Hierusalem. Et ostendit mihi dominus quatuor fabros. Et dixi. Quid isti ueniunt facere? Qui ait, dicens. Hæc sunt cornua quæ uentilauerunt Iudam per singulos uiros, & nemo eorum leuauit caput suum. Et uenerunt isti deterrere ea, ut deijciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, ut disspergerent eam.

PEr quatuor cornua nonnulli uolunt quatuor regna specialia intelligi, Aßyrios scilicet, Chaldæos, Græcos, & Romanos. Sed obsistit, quod ex textus ordine, de his qui eos ante huius prophetiæ tempus adflixerāt capitur. Nihil autem pro eorum adsertione facit, quòd in prophetis, præteritum pro futuro sæpissime ponitur. Nunquam enim tempus est immutandum, nisi exigat circunstantia textus. Nihil autem compellit hoc loco, ut futurum pro præterito adcipias, nisi in allegoria, quæ huic textui nedum congruit, sed & necessaria est.

Ego per quatuor hæc cornua, intelligo uniuersos Iudæorum aduersarios, qui ideo per quatuor intelliguntur, quod à quatuor partibus, circa terras Israël, positi erāt. Quia enim omnes terræ eorūdem, respectu Israëlis, erāt aut ab oriente, aut ab occidēte, aut à meridie, aut ab aquilone, ideo per quatuor recte capiuntur. Quorum superbia et tyrannis cornu uentilante designantur, ut aliâs nō raro habes in scriptis Dei, ut Hiere. 48. Abscisum est cornu Moab. Item Ezech. 32. Ventilabas cornu in fluminibus. Et Amos. 3. Amputabuntur cornua.

Tametsi non raro cornu pro sublimitate & potentia etiam regni Christi capiatur. Neq; id nouum est in scripturis, ut per quatuor omnes adcipiamus, ut plenius deo propitio Ezech. 1. in expositione uisionis quatuor animalium explanabimus.

Quemadmodum autem per quatuor cornua, omnes Iudæorum aduersarios, ita & per quatuor fabros, uniuersos

uersos per quos Deus ipsos eorum hostes contriuit intelligimus.

Promisit ergo Deus, in his uisionibus, quòd omnes Israëlis aduersarios contereret, quantumlibet cornuti, superbi uidelicet, fortes, diuites, potentesq; essent.

ALLEGORIA, QVAM hoc loco maxime prospicere debemus.

Cornua gentium superbissima, & sæuißima, sunt omnes Synagogæ Antichristorũ primores, ipsamq; tyrannidem suam, ne dum per se ipsos, sed & per uniuersos suæ impietatis consortes, maxime autem Pharisæos, sacrificulos, pseudoprophetas, & ministros eorum exercent. Cornibus suis multis sæculis undiq; uentilarunt, neq; cessant in hunc diem, quantum eis licet, donec prætereat hora eorum, & potestas tenebrarum. Sed uenient dies, quibus Deus mittet fabros, non eos qui malleos inuentionum, doctrinarum, mandatorum, & opinionum hominum consarcinant, ut hodie faber unus ædito ingenti uolumine fecit. Cuius malleus, nec sufficit quidẽ, herbas terere delicatissimas, tantum abest, ut ualeat terere durissima incredulorum cornua, & ferream ceruicem. Ex folijs, ex somnijs scilicet, ædidit malleum suum, putans quod nedum hominum cornua, sed & durissimũ, summum, inuictissimum, atque æternum cornu domini

nostri

nostri IESV Christi, uerbiq; eius conterere possit. Sed mittet dominus ipse IESVS Christus, nouos fabros, qui ex omni parte hunc Fabrum, ac complices eius, cum eorũ malleis ac cornibus conteret, & in proximo quidem. Desine tu ò cæce & infelix Faber, uelle conterere cornu Seruatoris nostri IESV Christi, quod omnibus malleis tuis fortius est, & te ac malleum tuum, quantumlibet auctum & crassum, ut puluerem calcari faciet. Dissipa domine IESV, & contere, ac conuerte ad te, omnes Fabros, Latomos, Cocleas, Tregarios, Eckios, Murneros, & id genus artifices Synagogæ perditionis.

CAPVT SECVNDVM.

Summarium capitis. Primum, conspicit uirum, qui proficiscebatur ad Hierosolymæ longitudinem ac latitudinem metiendam, & ibi pleraq; insignia, de uerbi ministerio & Dei Ecclesia. Secundo, admonet Sion, ut fugiat è Babylone, quia id iubet dominus exercituũ, qui dicit. Post gloriam &c. Is est dominus IESVS Christus, de quo ibidem multa præclarissima.

PARS PRIMA.

Et leuaui

ET leuaui oculos meos et uidi. Et ecce uir & in manu eius funiculus mensorum. Et dixi quo tu uadis? Et dixit ad me. Vt metiar Hierusalem, et uideam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum. Curre loquere ad puerum istum, dicens. Absque muro habitabitur Hierusalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait dominus murus ignis in circumitu, & in gloria ero in medio eius.

Magnus est locus hic de Hierosolymæ *dimẽsione, quem plenius deo uolente, in ultima* Ezechielis *uisione, & prope finẽ* Apocalypseos *exponemus.* Quo *etiam loco* Ezechielis, *de ipsa templi* Dei Hierosoly*mæ structura, copiosissime agitur.* Incipit *autem ipsa uisio ultima* Ezechielis *cap.* 40. Paucis *ergo adcipe, quæ ad huius textus intelligentiam, sunt necessaria.*

Quod Ezech. 40. *per calamũ, &* Apoc. 21. *per arundinem auream, hic per funiculum geometræ intelligimus.* Mensor *enim, geometra est.* Funiculus, *uerbum* Dei *est.* Geometra *uero, qui per illud, sane intellectum, de uera* Hierosolyma *iudicat.* Metiri *enim iudicare est, ut paulo=*

 post

post habes. Porrò Geometræ eruditor, *est spiritus sanctus.* Igitur *qui illustratus ab ipso spiritu, de uera* Hierosolyma *secundum uerbum domini iudicat, quasi illam funiculo metitur.*

Certum *est autem, quòd hæc prophetia de lapidea illa* Hierosolyma *minime capitur.* Vnde et eorũ, *quæ superiore capitulo diximus, ueritas mõstratur.* Hoc *est, quòd allegoria, uisionibus in eo positis necessaria sit.* Maxime *enĩ de uera* Hierosolyma, *id est,* Ecclesia Christi, *eiusmodi prophetiæ capiuntur, nam & in ea sola perfecte implentur.* Fit *enim sæpe, sic uolente* Deo, *quòd prophetiæ scripturarum, non nisi in parte ad literam impletæ sunt, ut perfectius implendæ non dubitentur.* Ecce *enim quòd hic posita nunquam fuere impleta, nempe, quòd absq; muro habitabitur* Hierusalem, *quod nõ impleri impossibile est.* Simile *est, quod habetur* Ezech. 38. *Hi omnes habitant sine muro, uectes & portæ non sunt eis. Similiter templum &* Hierosolyma *iuxta* Ezechielis *descriptionẽ, nunquam fuere ædificata.* Quia *autem eiusmodi non impleri impossibile est, necesse est ut perfectius hæc impleantur, etiam usq; ad iota & apicem unum.*

His *præmissis, audiamus* Prophetam. Leuaui, *inquit, oculos meos, & ecce uir &c.* Per *unum uirum plures intelligimus, omnes scilicet fideles uerbi dei ministros, qui habent funiculum mensorũ, id est, uerbum domini.* Ab *eis quærit seruus domini* Zacharias, *quisquis uidelicet domini memor est.* Quo *tu uadis?* Vt *metiar, inquit,* Hierusalem

salem

ſalem &c. Cupit omnis dei ſeruus, ſcire funiculi, id eſt, uerbi dei uſum. Quod hic maniſeſtiſſime docetur. Nimirũ eius primus uſus, ad id eſt, ut agnoſcamus quæcũq; ſpectant ad Hieroſolymam, id eſt, Eccleſiam dei, & ſciamus quanta ſit longitudo & latitudo eius, nempe, immenſa carni & ſanguini, ſed non his qui habent uerbi dei funiculum; quo ſolo uniuerſa recte metiri, id eſt, de eis bene iudicare ualemus. Siquidem omnis alia menſura, omne ſcilicet iudicium, quod non congruit uerbo dei, iniuſtum eſt.

Tum angelus ille, qui in Zacharia uel per eũ loquebatur populo dei, egrediebatur. Et mox alius in occurſum eius egreſſus eſt, & dixit ad eũ. Curre & loquere ad puerum iſtum, non dubiũ, quin Zachariam, qui puer, id eſt, ſeruus domini erat. Frequens namq; eſt in ſcripturis ſanctis, ſeruos pueros adpellare. Hinc pſal. 112. Laudate pueri, id eſt, ſerui dominum. Secundus angelus, noluit Zachariam adloqui, quòd non eſſet miniſterij ſui, ſed id commiſit angelo, qui munus docendi Zachariam à deo adceperat. Multi hic argutantur de angelorum miniſterijs, quod illis permitto. Verum id puto rem intutiſſimam, quòd de nobis incognitis, tam confidenter philoſophemur. Ecce, inquiunt, maior erat angelus, qui præcepit, eo cui iußum eſt. Sed uere non eſt ſufficiens argumentũ, ut hunc maiorem, illum uero minorem adſerere poſſint. Nam ſæpe frater fratri dicet. Curre, uade, fac hoc et illud, & id quidem non niſi fraterna & amica confidentia. Crede mihi. Eſto contentus menſura tua. Quid enim tibi, & tam multis

dubijs inutilibus, tibiq; impenitrabilibus? Ego in eiusmodi admiror, ministrantium Deo ordinem, & eorum quæ per hæc designantur. Multi enim sunt qui populos docent, & multi qui id nequeunt, idueruntamen facit in eis Deus, quòd per eos aut scriptis, aut in scholis docet ipsos, qui populis uerbũ administrant. Qui in hoc corã oculis hominũ pluris esse uidẽtur, tametsi multoties, sunt coram Domino absque similitudine minores. Porrò in Ecclesia ille maior est, qui est coram Deo maior, ideo nemo pro alijs alios deprimat. Scit Deus maiores. Ecclesiæ autem filij, sentiunt in spiritu, qui sunt maiores, nempe, hi quorum doctrina, eos mouet efficacius ad pietatem. Non est ergo sita magnitudo uerbi Dei ministri, in linguarum uarietate, eloquentia, experientia, et id genus alijs, sed ĩ synceriore uerbi sancti administratione.

Sed quid dixit? Absque muro habitabitur Hierusalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Satis notum fecimus ex superioribus, quòd Hierusalem Dei Ecclesia sit. Quæ absque muro habitari dicitur, eo quòd non muris lapideis, sed Dei firmißima protectione claudatur, & quòd filij Ecclesiæ nullis externis muris ac munitionibus fidant. Nimirum soli Domino fidunt, qui ait. Ego sum ei murus ignis in circumitu, & gloria in medio eius. Maledicti qui habitant absque hoc muro, benedicti uero omnes qui eo uallantur. Ad id congruit totus Psal. 90. qui incipit. Qui habitat in adiutorio altißimi.

Sunt

Sunt qui hic per homines, spirituales, per iumenta uero carnales interpretantur. Sed quid carnales ad Ecclesiam Dei? Ego puto simpliciter, per homines uniuersos fideles, per iumentorum uero multitudinem, omnem substantiam illis necessariam intelligi. Nonne iumenta & pecora ad substantiam spectant? Et certe olim, præcipuæ diuitiæ, maxime in armentis & pecoribus erant. Significatur ergo, quòd multi erant futuri Ecclesiæ Dei populi, et quòd Deus cunctis quantum opus esset prouideret, etiam in corporeis, tametsi fidelium diuitiæ maximæ in spiritu sunt. Verum nõ damnarem, si quis intellexerit per iumenta infirmos in uerbo, per homines uero, eos qui Dei spiritus in fide uera solidauit. Itidem si quis dicat eundem fidelem ob dei imaginem, hic dici hominem, ob carnem uero iumentum. Verum magis adridet prior interpretatio. Ex duobus uero ultimis, posteriorem puto synceriorem.

Murus ergo Deus in circuitu Ecclesiæ est. Quis fideliũ nunc timebit? Si deus pro nobis, quis cõtra nos? Nedũ aũt in circuitu, sed et in medio, imò ubiq; in ea. Vbiq; præsens est Deus, & oĩa implet, ibi ueruntamẽ potissimũ esse dicitur, ubi aliquid insigne operatur. Quia ergo Ecclesiam seruat, est in eius circuitu: quia uero illi semper adest, & in ea operatur mirabilia spiritus sui, estq; eius gloria, ideo in medio eius esse dicitur. Cæterum quia Deus fidelium murus, ipsi in eo habitare dicuntur: quia uero ipsi simul, sunt gloriosa ciuitas Dei, ipse Deus in eorum medio habitare dicitur.

PARS SECVNDA.

O ò, fugite de terra aquilonis, dicit dominus, quoniam in quatuor uentis cæli dispersi uos, dicit dominus. O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt uos. Qui enim tetigerit uos, tāgit pupillam oculi eius. Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruiebant sibi, & cognoscetis quia dominus exercituum misit me.

Nolunt quidam hæc dicta, his qui adhuc in Babylo niorum terris erant, quòd tum Babylonia eßet euersa, ideo nullam huius textus partem uolunt iuxta historiam capi. Sed si rem ipsam diligenter expendimus, uidebimus hæc tum iuxta literam dicta, his qui amore uxorum, aut poßeßionum, detenti fuerant in Babylo niæ finibus, etiam urbe euersa. Qui fines hic per Babyloniam capiuntur. Quia autem magis debuerāt omnia contempsiße, eis nunc iußum fuit, ut abirent è regione aquilonis,

lonis, in qua tum erant, & uenirent in Iudæam, ad urbes, & Regiones eius ædificandas. O ò, uos tardi, quid pigri tamini? Quid ultra facitis in Babylonia? Nonne uestrum est restaurare urbes regionis, quæ uobis in sortem contigit, fugite & cito abite de terra aquilonis, dicit dominus. In quatuor namq; uentis dispersi uos, in uarijs regionibus uos captiuando, dicit dominus. Ac si di. Ego sum qui uos dispersi, & nūc uoco uos, ut redeatis in terrā quā uobis, pulsis gentibus tradidi. Redite ergo propere, è terris captiuitatis uestræ. Videte ne quid uos præpediat. O Sion plebs scilicet regni Iuda, quæ habitas apud filiam Babylonis, fuge in Iudæam, & ædifica ciuitates eius. Quare? Quia hæc dicit dominus exercituum. Post gloriam, misit me ad gentes. Quis est qui misit Deum? Nonne ille sic mittit alios, ut à nemine mittatur? Proinde, nonnulli hunc locum de Christo enarrant, à quibus nullatenus dissentire ualemus. Cogit namq; ad id, quod subiungitur. Quia ecce ego leuabo &c. Hoc namq; prophetæ uerbum esse non potest. Omnia quoq; sequentia usq; ad finem huius capitis indicant, quod domini IESV Christi sit hic sermo. Dei ergo unigenitus, unus cum patre summo Deus, se missum adserit, non dubium quin in carnem.

Ad id necesse est, ut memoreris eorum quæ sæpe diximus, nempe, quòd Iudæi, typum gessere fidelium, qui hæredes sunt promissionum Dei. Certum namque est, quòd reprobis ex Israële, non sunt factæ promissiones,

quia non omnes Iſraëlitæ, ad uerum Iſraëlem attinent. In mente quoque habe, quæ paulo ante ſcripſimus, nempe, quòd id commune ſit ſpiritui ſancto, nonnulla in prophetijs miſcere, quæ ad literam capi nequeunt, ut ſciamus adhuc ſupereſſe perfectiorem impletionem, quã eam quæ olim fuit, ſub Iudæis ſecundum carnem.

Igitur tametſi huius capitis prophetia, nonnihil Iſraëlem iuxta carnem contingeret, tamen ſumpta ab eo occaſione, mox ad totius Eccleſiæ ſacroſancta myſteria tranſit. Admonuit iuxta literam adhuc torpentes in Babylone, imò illis præcepit, ut confeſtim abirent ab hoſtium terris, quod etiam in myſterio & allegorice capiendum, ſequentia docent.

Iuxta ergo allegoriam & myſterium hic primum à Dei ſpiritu intentum, ait Deus omnibus qui in ſcelerum ac errorum malis captiui fuere. O ò, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus. Aquilo ut in Solomonis Canticis, & aliâs non raro diximus, aduerſa, atque etiam aduerſarios deſignat. Quid autem magis aduerſarium CHRISTO, & Eccleſiæ, quàm Synagoga Antichriſtorum? Heu nobis, qui ſub eorum mendacijs, per ſpiritus impoſtores ſeducti, captiui fuimus ſæculis multis. O quàm apte à fidelibus cunctis, nunc adſeritur, quòd in captiuitate Babylonica, imò pluſquam Babylonica fuimus. CHRISTVS nos proprio ſanguine redemit & liberos fecit in ſpiritu ſancto.

Quod

Quod non ſuſtinuit Satan, & egit arte ſua, ut Antichri-ſtianam perfidiam in Eccleſiam, ſub nomine Eccleſiæ po neret: & tam multis uinculis nos aſtrinxit, tamq; graui captiuitate ac ſeruitute nos preſſit, ut nulla unquam gra-uior poſſit excogitari. Nimirum à cæteris ſolum caro ſit captiua. ab his autẽ, quid eſt, quod non captiuũ factũ ſit? etiam animæ, etiam ipſum Dei uerbum. Sed quia omni-potens eſt, non poteſt non oportune liberum fieri, & con terere omnes, qui illud captiuare tentarunt. Magis ta-men Dei iudicio expaueſcendo abſconſum eſt, quàm fa-ctum captiuum. Lege librum illum ſerui Dei Marti-ni Lutheri, quem de Captiuitate Babylonica appellitant. Lege, inquam, pio animo, & uidebis quàm captiui fueri mus. Nihil te moueat uehementia libelli, ſic enim tum oportuit. Et uere ego ipſe admiratus ſum ſcripti huius uehementiam, cum autorem eius nouerim, Dei dono man ſuetisſimo atq; item placidisſimo ingenio eſſe.

Porrò multi ab ea captiuitate egresſi ſunt, etiam ego peccator: qui certe ea miſerabili ſeruitute tã preßus fui, ut forſan nullus æque. Sunt autem adhuc heu plurimi in ua-rijs regionibus umbræ mortis, per quatuor uentos diſper ſi, hoc eſt, per orbem, à uarijs hominum traditionibus ſe ducti & uincti, qui ab ea ſeruitute exire nolunt. His di-cit ſpiritus ſanctus: O, ô. Excitantis ſimul & uocantis uox eſt. Eia ſurgite, hora eſt de ſomno ſurgere. Nox præceſſit, dies uero appropinquauit. Fugite de terra ac Synagoga Antichriſtorum confuſiſſima, ipſisſima Baby

lone. Egredimini ab ea, & properate in Ecclesiam meam, dicit Dominus. Ego iudicio æquissimo tradidi uos in tempus, ut à me dispergeremini, post uentos & mendacia execrabilis Babylonis. Sed iam tempus adest, ut soluatur uinculum hoc, in quod uos conieceram, eo quod non subscriberetis cum omni synceritate eloquijs meis. Ego qui dispersi uos, uolo ut iterum congregemini in ciuitatem meam Ecclesiã. Volo quoq; ut uniuersæ ruinæ eius instaurentur.

O Sion fuge, quæ habitas apud filiã Babylonis. Quis nõ acquiescet deo, toties ac tã instanter uocanti & iubẽti, ut alieni efficiamur ab impijssima Babylõe, Synagoga Antichristorum, atq; ut manifestius loquar, à toto Papæ regno, decretis, traditionibus, iussisq; illius ac omnium Episcoporum suorum, & sectarum eiusdem regni? Sion autem uocat omnes Ecclesiæ filios, nempe electos. Væ nõ exaudientibus uocem Domini. Sed si qui adhuc in huius infelicissimæ Babylonis seruitute, ueniẽt ad Ecclesiã dei, si filij lucis fuerint. Alioqui filij lucis, id est, electi minime sunt. Tenentur adhuc nonnulli in ipsa Babylone, immo ferè nemo alia ratione in ea tenetur, quòd in ea habeat substantiam huius sæculi, ut in Episcopis Papæ, suisue Cardinalibus, Protonotarijs, Præpositis, Canonicis, & alijs id genus laruis, ac his qui per eiusmodi familias suas ditari sperant, est notissimum. Est quoq; alia caussa, quod in ea Babylone libere scorta fouentur ac multiplicantur, mutãturq; & innouantur passim: itidem & cinædi. Denique omnis immũditia, ludi, comeßationes, ebrietates, rapinæ,

usuræ,

usuræ, hypocrisis, sectæ, litigia, imposturæ, & ut uerbo uno omnia eiusmodi complectamur, totum chaos abominationum regni Satanæ in ea abũdat. O Sion, ô electi Dei, fugite ab hac Babylone, ubi oĩa inuersa, cõfusa, pturbata.

Si optas nosse, ô Sion, quid caussæ est, q ab ea est fugiẽdum, plura superius habes: quæ si sapis quæ recta sunt, satis superq; sũt, ut te mouere possint. Verũ hoc est summũ cui nemo obsi[illegible]ere potest, qa hoc iubet, præcipit & uult dñus deus exercituũ. Ipse enĩ est qui dicit: Fugite, abscedite ab ea. Cui uerbo bene consentiũt, quæ Apoc. habentur: Fugite, inquit, de medio Babylonis populus meus, & ne participes sitis delictorũ eius, & de plagis eius ne accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius usq; ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatũ eius. O quando adimplebitur illud: Cecidit, cecidit Babylon.

Sed quid ultrà ait Dominus exercituum, factus homo dominus IESVS Christus Dei unigenitus? Post gloriam misit me ad gẽtes. Quis misit? Pater. Quãdo? Post gloriã. Post gloriã cuius? Quidã post gloriã eius, qui missus est, nempe Christi, hũc locum intelligunt hoc modo. Post gloriam, inquiunt, diuinæ substantiæ, quã habuit in cœlo, missus est in carnẽ, in mundum, ad conterendũ quicquid gentilicium est, electosq; seruandos. Verũ in hac expositione nõ bene cõgruit, q post gloriã diuinitatis ĩ carnẽ aduenerit, eo q etiã ĩ forma serui deus esset. Ego ita capiendũ sẽtio, q sit uerbum ipsius filij dei iã ĩcarnati, passi, et q post mortẽ rediuiua in carne gloriosus surrexit ĩ cœlosq; ascẽdit.

dit· Frequēs nāq; ē id locutiōis genus de Christo, ut de eo loquatur scriptura, quasi tū glorificatus esset· Tale est illud psal· 109· Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis· Donec ponam inimicos tuos scabellū pedū tvorum· Sæpe etiam, immo sæpius, nedum in psalmis, sed & in Prophetis de Christo fit sermo, quasi iam uenisset, ut Esa· 61· Spiritus Domini super me, eo q. unxerit me, euāgelizare pauperibus misit me &c·

Dicit ergo CHRISTVS dominus exercituum, non tantum angelorum, ut quidam scripsit, sed omnium turbarum & castrorum Dei, hoc est, Ecclesiarum· Quid enim Ecclesiæ, nisi exercitus & castra altissimi? Pater meus post gloriam, id est, posteaquam à morte uictor & gloriosus surrexi, in cœlumq; ascendi, & sedi ad eius dexteram, misit me ad gentes, ad nationes scilicet alias ab Israël, secundum carnem, quæ spoliauerunt uos, ô ueri Israëlitæ, electi scilicet tam ex Israël, quàm ex gentibus· Per gentes spoliatrices, uniuersi fidelium hostes capiuntur· Audite gentes, auscultate increduli & Antichristi· Spoliatis sanctum Israël, populum Dei uerum: affligitis electos, hora uestra & potestate tenebrarum, q. ita uelit Deus in electorum bonum· Sed uiuit Dominus ille exercituum, Dominus ille noster IESVS Christus, Deus & homo uerus Non uicit eum mors, tametsi ab ea percussus fuerit in tempus: propter quod & ita necesse est, electos suos in tempus cædi, percuti, affligi, quòd non sint maiores Domino suo· Resurrexit autem ille, & à morte malis

q́; omnibus triumphauit, & uicit in electis suis omne malum. Filij cæci usq; quo graui corde? Scitote, quia Dominus sanctum hunc suum, dilectum suum, unigenitum suum fecit gloriosum & admirabilem: dedi q́; sibi omnes gentes, & uniuersos terminos terræ, ut cunctos sibi obsistentes tanquam uasa figuli contereret. Certissime postquam glorificatus est, & de morte triumphauit, missus est à patre ad gentes, ministerio Apostolorum, ac fideliũ ministrorum uerbi, quos ad id elegit, ut nomen suum portent coram gentibus uniuersis. Si moram fecerit, & mox non uenerit in fidelibus Euangelistis, uel per ministeriũ eorum ad gentes, pro certo ueruntamen sciant, q̃ ueniet, & non tardabit, ut non assit tempore quo præfiniuit. Si enim à patre mißus factus fuit obediens usq; ad mortẽ, mortem autem crucis, qui fiet, ut non sit obediens ipsi patri, cum mittitur ad seruandum populum suum, reprobosq́; conterendos.

Post gloriam ergo missus à patre ueniet & faciet uindictam electorum suorum. Vnde & ait illis: Qui tetigerit uos, aliquid nocendo, tangit pupillam oculi eius, nempe Dei. Quasi dic. deo misit me, ut eorum qui uos tangunt, id est, uobis nocent, uindictam faciam. Tribuit opus suum patri mittenti, quemadmodum Ioan. 14. dicit: Pater in me manens ipse facit opera. Quæ opera? Nedum ꝓdigia illa, sed etiam quicquid per seruos suos usq; hodie facit. Vide quàm zelet Deus pro electis suis, dum eorum hostibus tam imputat furorem hostilitatis eorum, ut ita

habeat

habeat mala, quæ ipsis inferunt, quasi tangerent pupillã oculi eius.

Sed qui sunt eius oculi, & quæ pupilla? Oculi DEI *aut pupilla non sunt aliud ab eo: Verum speciatim ueritatem eius significant. Puto autem ueritatem primam, q ui delicet Deus est, pupillæ appellatione designari. Quam tangit, qui negat Deum esse. At qui tangit & persequitur electos Dei, haud secus est, atq; qui tangit hanc Dei pupillam, qui scilicet eum esse negat. Ergo fideles persequi, est negare Deum. Hæc huius loci expositio bona quidem & uera est, uerum non dico huic textui necessariam. Summa namq; prædicti uersus de pupilla hæc est: Deus ita abominatur & puniet malignitatem persequentium fideles suos ueros Israëlitas: quemadmodum si quis, quod in Deo est delicatissimum, persequeretur, aut fieri poßet ipsum Deum maxime affligeret. Scriptura namq; de ipso deo, more hominum loquitur, uerum ipsæ locutiones non sunt alioqui enarrandæ, quàm sicut ipsi* DEO *conueniunt.*

Audiamus autem uindictam, quam Christus dominus facit in gentibus. Ecce, inquit, ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruiebant sibi, & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me. Manus Christi est potestas, seu operandi uirtus, quæ sibi data est in cœlo & in terra. Hanc super gentes, seu incredulos leuat, dum mittit eis uerbum suum, quo sic uincuntur, ut fiant prædæ fidelium, seq; subijciant illis, quos prius oppreßerant,

rant, eorum uerbo acquiescentes. Super eos uero, qui nõ acquieuerint, fiet manus eius ad perdendum eos. Iustus dominus in omnibus uijs suis. Tum cognoscent fideles Christum à patre missum. Vide paulopost. Quòd autem ita capi debeat hic textus, ex sequentibus notum fit.

Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum. Et habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata, & eliget adhuc Hierusalem. Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

Sion Ecclesiam esse, notum est, quam dominus exercituum, unigenitus dei alloquitur, promittens aduentũ suum. Lætare, inquit, & lauda filia Sion. Vnde illi lætandum? Vnde laudandus Deus? Et tu lector obserua, unde lætandum, & laudandum nomen Domini. Quia ecce, inquit, ego ueniam, in carnem, & habitabo in medio tui, etiam uisibiliter in tempus, perpetuo autem spiritu et inuisibiliter, sicut habes Mat. ul. Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationẽ sæculi. Venit in horas Christus, ut assit fidelib. suis, cuius aduentus exhibitio auxilij sui est. Semper uero adest, quia sẽper iuuat. Hinc lauda dominũ, hinc gaude, ô fidelis anima, quòd uenit Christus, q. pmisit

se nobis

ſe nobis affuturum, & dic: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Hinc quoq; lauda & lætare, quod in die illa, in die Chriſti, nempe poſt gloriam ſuam præſcriptam, multæ gentes applicabuntur ad Dominum, ſuſcipientes uerbum fidei, & ſe pietati ſubijcientes. In hac die eſt, qui uere credit, alioqui non niſi in nocte eſſe poteſt. Et in ea ſola die poteſt ſe quis applicare ad Dominum, alioqui nunquam ſe applicabit ad eum. Quotquot autem ſe ad eum applicant, fiunt DEI populus, immo hi ſoli populus eius ſũt. Hoc eſt, quod habes Oſeæ 2. Vocabo non plebẽ meam, plebem meam, & non dilectam, dilectã Quod à Paulo Roman. nono allegatur. Non applicamur Domino, aquis aut externis, ſed fide: tametſi baptiſmus ſit fidei ſignum, ſine fide inutile. Nemo tamen hoc uerbo putet me ſubſcribere his, qui paruulorum baptiſmum negant, de qua re alibi egimus.

Quia autẽ & gentium & Iſraëlis conuerſorum, caput unum Chriſtus eſt, ideo poſtquam de gentium conuerſione egit, & dixit eos uniendos ueris Iſraëlitis in populum unum: iterum dicit, quod paulo ante ſolis Iſraëlitis dixerat: Et habitabo in medio tui, & ſcies, quia dominus exercituum miſit me ad te. Magna res eſt noſſe Chriſtũ miſſum à patre. In hoc enim uel ſolo ſita eſt noſtræ ſalutis ſumma.

tis summa. Proinde ubi tot'es de scientia Dei uel salutis aliquid legis, non dubites hoc esse primum in ea, nosse Christũ. Nosse aũt ẽ Christum cõplectitur nosse, ad quid missus sit: & q̀ solus sit Dei & hominum mediator, & aduocatus noster unicus, & quæcũq; ad hæc sequũtur, nempe oĩ uerbo eius toto corde acqescere, et à nullo oĩno dissentire.

Quæ sequuntur: Et possidebit dominus Iudã &c. & ad literã et secundũ mysteriũ capiũtur. Adhuc cultus eius fuit secundum legẽ in Iudæa & Hierusalẽ templo reædificato. Verus quoq; Dei cultus abiectus & calcatus ministerio Antichristorũ, ĩ electis dei gratia et dono instauratur; ĩstaurabiturq; deinceps pfectius, uerbo plenius reuelato, et ĩ terris pluribus annũciato. Siquidẽ ipsi electi quædã Iudæa et Hierusalẽ sunt, quemadmodũ et Israël ac Abrahæ semen. Porrò cũ hæc implentur, ubi scilicet est uerus Dei cultus: & ubi uerbum eius suscipitur, sit et omnis caro à facie Domini, quemadmodum hic Propheta adhortatur, dicens: Sileat omnis terra &c. Quem uersum Abac. 2. ubi etiã habetur, explanauimus. Quæcunq; hic prænũciauit de Israëlitis spiritus sanctus, in ultĩa Israëlis cõuersiõe ĩ eis perfectiss implenda cõfidimus. At de his alijs locis plura.

CAPVT TERTIVM.

Summariũ capitis. Primum, uidet pontificem legis exui sordidis uestibus, & indui præclaris, in Christi figurã. Secundo, insignis de Christo pphetia subiũgitur, ĩ qua oriẽs

& Domini ſeruus ac lapis appellatur. Tertio, oſtenditur quibus abſcondita ſit huius lapidis ſcalptura. Et ibi multa de fidei ac uerbi fructu, ſuauitate & potentia.

PARS PRIMA.

ET oſtendit mihi Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram angelo Domini, & Satan ſtabat à dextris eius, ut aduerſaretur ei. Et dicit Dominus ad Satan: Increpet dominus in te Satan, & increpet in te dominus, qui elegit Hierusalem. Nunquid non iſte torris eſt erutus de igne? Et Ieſus erat indutus ueſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem angeli. Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens: Auferte ueſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs. Et dixit: Ponite cydarim mundam ſuper caput eius. Et poſuerũt cydarim ſuper caput eius mundam. Et induerunt eum ueſtibus. Et angelus Domini ſtabat, & cõteſtabatur angelus Domini Ieſum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Si in uijs meis ambulaueris & cuſtodiam meam cuſtodieris, tu quoq; iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi

ambu-

ambulantes de his, qui nunc hic assistunt.

Magna est inter expositores de sensu huius capitis cõtentio. Hebræi nanq; totũ interpretantur de Iesu filio Iosedech usq; ad eum locũ. Ecce ego adducam seruũ meum orientẽ: alij uero totũ de dño Iesu Christo enarrãt. Ego utrũq; uolo, q, utrũq; uelle spiritũ dei nihil dubitẽ. Nam quemadmodũ multæ aliæ prophetiæ, de Israële, Hierosolyma, Iudæa aut Dauide in figurã primũ, iuxta historiam uel in parte adimpletæ sunt, perfectius autem in Christo & Ecclesia adimplentur: ita & de hoc textu, ac de multis sequentibus iudicandum est. Nimirum impletio una ut figura præcessit, alia ut ueritas figurata sequitur.

Indubie enim Iesus uel Iosue filius Iosedech, sacerdos magnus pollutus fuerat criminib. nõ leuibus, uel in hoc q, permisit filios suos ducere uxores alienigenas, ut patet. 1. Ezræ decimo. Et puto q, ob id potissimum uisus est sordidis uestitus. Fuit quoq; & ipse, uelut torris uel titio semiustus, raptus ab incendio. Interpretabimur ergo primũ hunc textum iuxta figuram, secundo iuxta rem figuratam, propter quam potissimum hæc uisio fuit Zachariæ ostensa.

Igitur dominus ostendit hæc Zachariæ in uisione. Vidit Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, stantem ante faciem angeli. Quis fuerit hic angelus nemo nouit: incertum nanq; est, an fuerit is, qui in Zacharia loquebatur:

Neq; tutum est illis subscribere, qui per eũ uolũt Michaelem intelligi. Sed uere absq; fructu est pro eiusmodi tam diuexari. Id enim tantum certum est, q, fuit angelus domini, ad id missus, ut impleret hoc ministeriũ. Verũ si in eiusmodi liceret opinari, mag's sentio fuisse angelũ per Prophetam ad populum loquentem, quàm aliũ quemcunq;.

A dextris uero Iesu erat diabolus satagens, ut perderet eum. Quærebat angelus domini bonus, ut seruaretur Iesus: contra malus angelus eidem aduersabatur, ad idq; moliebatur, ut reprobaretur à Domino. Vide in his duobus angelis, omniũ & bonorum & malorũ angelorũ diuersa studia. Et quia angelus nuncius interpretatur, uide etiã in utroq; nunciorũ dei, hoc est fideliũ pphetarũ et nũciorũ Satanæ, hoc ẽ, pseudopphetarũ oppositos affectus.

Porrò angelus sanctus uidẽs, ad qd niteretur Satan, ait ĩ persona Dei, unde & hic scribitur, q, dominus id dixerit: Increpet dominus in te Satan. In te arguat & puniat maliciã, qua plenus es. Tibi imputet peccatum Iesu, q, eius punitionem non peccati odio, sed mera inuidia & malignitate deposcis. Is est accusator fratrum nostrorũ, Apoca. 12. Dei ergo uerbum est istud: Increpet &c. magis quã angeli. Vbi uide, quàm ea sit misericordia eius, mox hosti cõtradicit, ostendens quòd uelit seruare eum, quem ille perdere cupiebat. A me, inquit, qui sum dominus in te aduratissimo omnis boni aduersario, non in sacerdote magno, mea increpatio, siue punitio manifesta fiat. Perdaris tu à me, ô impie, quem reprobaui, non Hierusalem, quam

elegi,

elegi, nec filij eius. Sunt qui hunc locum sic tractant, quasi una persona de alia loquatur. Sic dominus filius ait: Dominus pater increpet in te &c. Tu uide, ne illis subscripseris, quòd è nullo Scripturæ loco probari ualeat eiusmodi enarratio. Simplicior quippe est, ut dicas angelum in persona DEI apparentem hæc dixisse, ut ostenderet clementiam Dei erga peccatores resipiscentes, & in Dei persona de ipso DEO, quasi de tertio quodam locutus est.

Ait quoq;: Nunquid non iste torris est erutus de igne? De ipso Pontifice loquitur. Qu. d. Fuit in captiuitatis miseria, in qua malorum grauitate quasi semiustus fuit. Nunc ab ea liber factus est, malis plenus. Nunquid eum liberum feci, ut perdam, & non magis ut instauretur, quod in eo propter captiuitatis incendium deperditum est? Volo instaurare eum, in sacerdotij gloriam, & illi signa dilectionis ostẽdere. Absit à me, qui bonus sum, ut paream uotis tuis. Tempus uenit, quo ante sæcula apud me definitum est, quòd misericordiam suscipiet. Nondum aperuisti os tuum, sed uideo maliciam tuam, q. scilicet ades, ut aduerseris ei.

Tum præcepit angelus idem ex persona Domini, his qui coram se erant: Auferte uestimenta eius sordida. Quod ubi factum fuit, ait: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs: Iussit quoq;, ut cydarim, seu mitram mundam ponerent super caput eius, quod & fecerunt. Ego arbitror hanc uestimentorum innouati

onem, significare sibi remissa, quæ contra legem Dei admiserat: & quòd præterierat sordidum flagelli Hierosolymæ tempus, aderat autem dies, quo instauranda erat in gloriam suam. Maxime autem figurabat instauranda Sacerdotum ministeria, quæ in diebus captiuitatis cessauerant.

Eo ergo induto, angelus illum contestabatur. Hæc, inquit, dicit Dominus exercituum: Si in uijs meis ambulaueris, & cætera. Aßerunt nonnulli, quòd hi assistentes Pontifici, qui paulopost amici eius, & portendentes uocantur, erant Ananias, Misael, & Azarias. Sed intutum nimium est, quicquam similium asserere, ubi certitudo est nulla. Textus alioqui nihil difficultatis habet.

Nunc alia ratione, nempe iuxta rem figuratam, exponemus, quæ secundum figuram enarrauimus, & non iam Iosue illum filium Iosedech, sed I E S V M C H R I S T V M Dei unigenitum, pontificem æternum secundum ordinem Melchisedech intelligemus. Qui fuit in misera huius mortalitatis Babylone, semiustus malorum incendijs, cuius perditionem quærebat Satan, nesciens certò, quòd filius D E I & mundi instaurator esset. Qui & ipsum Dominum nostrum tentauit sæpius: & contra eum prouocauit innumeros, nempe Iudam, & Iudæos, Herodémque ac Pilatum cum ministris eorum.

Habebat tum Christus uestem sordidam mortalitatis, sordidiorem autem in tempore passionis suæ, & nolebat Satan

bat Satan, ut indueretur melioribus, nempe gloria resurrectionis. Sed suscitauit eum dominus tertia die, cum ad mirabili gloria & immortalitate uestiuit eum. Cæterum antequam resurgeret, nempe cum pateretur, factus erat sicut peccator & maledictus, eo quòd maledictus eßet qui pendebat in ligno: & cum sceleratis reputatus erat, dum peccata nostra in corpore suo pertulit super lignũ. Mox autem ubi suscitauit eũ deus, ablata est ab eo omnis maledictio & sordes uniuersæ.

Deniq; id noluit palàm fieri Satan, sed nisus est, ut pro sordido haberetur, agens arte, ut sepulchri custodes corpus eius à Discipulis sublatum uulgarent, sed neq; ualuit præpediri gloria eius, diaboli & suorum execrabiles conatus, irridente & irritante Deo.

Demum cum hypocritarum & Antichristorum Synagogis non cessauit id agere, neq; in hunc diem cessat, ut CHRISTVS & sua omnia sordida putentur, cui re probi subscribunt, quicquid Christi est persequentes. Et quidẽ aliter fieri nequit, quòd sint tam ipse Christus, quàm sua omnia posita in signa, quibus ab incredulis cõtradicatur. Verum semper tandem uincit, & uincet ueritas, & quantumlibet Satan & Synagogæ eius insaniant. Christus nõ sordidus, sed gloriosiss. agnoscetur, itidem & quæcunq; ad eum spectant.

Quæ sequũtur ab eo loco: Si in uijs meis ambul. usq; ad illũ: Ecce ego adducã seruũ meũ orientẽ, nõ bene cõueniũt domino nostro Iesu Christo, sed tantũ ad literã capiũtur.

PARS SECVNDA.

Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia uiri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Iesu super lapidem unum, septem oculi sunt.

Pontifex & amici eius, uiri portẽdentes, hoc est, prænunciantes & in futurum expectantes excitantur à Domino, *ut audiant rem certe magnam, nempe prophetiam de summo & æterno pontifice, non Iesu filio Iosedech, sed domino* IESV CHRISTO, *Dei unigenito, quem operiebantur sciebantq; uenturum.*

Ecce, *inquit, ego adducam seruum meum* Orientem. *Is est per quem omnia facta sunt.* Ioan. *primo.* De *quo infrà capite sexto.* Ecce *uir* Oriens *nomen eius. Ipse enim principium est.* Ioan *octauo.* Et *principium quidem uitæ, lucis, ueritatis, gratiæ, iustitiæ, uirtutis, sapientiæ & omnis boni. Sibi ergo optime competit* Orientis *nomen. Quid enim oriens, nisi lucis principium uel fons seu initium, à quo progreditur lux?* Et *lux est Christus.* Ioan. *octauo: & sol iustitiæ,* Malach. *quarto.* Qui *ex alto est ortus, ut lumen tribueret his qui in tenebris & in umbra mortis sedent: atq; ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.* Lucæ. 1. Et *ipse fons sapientiæ.* Eccle. 1. Verbum

caro

caro factum, plenum ueritate & gratia, de cuius plenitudine omnes accepimus. Ioan. 1. A quo procedit lux spiritus dei. Nonne hæc omnia conueniunt orienti? Et hic Oriens, ut homo seruus est domini, Patre minor. Ioan. 14. Verum ut deus illi per omnia æqualis, & unum, uel unus Deus cum eo. Ioan. 10. Sic propter humanitatem, uocatur domini seruus, & Dauid Eze. 34. & 37. Aggei quoq; ui[illegible] eadem ratione, & Zorobabel, & seruus dei adpellatur.

Quòd dicit, adducam, promißio est uerbi sui incarnandi. Et uere tam magna, aperta, sublimis, & mirifica est promißio hæc, ut nulla in scripturis apertior, qua simul & carnis, & uerbi naturæ, & utriusq; unio ostenduntur. In seruo enim carnem, in oriente deum agnosce. Oriens quoq; deus scilicet, unum cum patre omnium creatorum principium, & unigenitus eius, semper à patre ipso egrediens, seruus eius dicitur, ut homo. Qui Christus homo, propter naturam qua oriens est, Dei filius uocatur.

Demum eius qui sub orientis & serui nomine intelligitur, gloriam, fortitudinem, ac scientiæ plenitudinem prænũciat, sub metaphora, lapidis, & oculorum. Et puto quòd id quod de oculis meminit, non fecit in alium finem, quàm ut ostenderet, unde potißimum, eum dixerat Orientem, nosq́; instrueret, ad quid eum adducturus erat. Obseruandum, quod toties in his prophetijs replicat, ecce, ut ostendat, quòd ea de quibus hic agitur, sint eiusmodi, ut ad ea oporteat cunctos esse intentißimos.

Sic autem iungitur, cum uerſu præcedenti. Ecce ego *adducam ſeruum meum* Orientem. Quare? Quia ecce *lapis*, Chriſtus *ſcilicet, idem qui* Oriens, *lapis abſciſus de monte, omnia regna mundi comminuens*. Daniel. 2. La*pis reprobatus ab ædificantibus, ſed factus in caput anguli*. Is, *inquam, lapis eiuſmodi eſt, quod ſuper unum lapidem, ipſum* Chriſtum, *qui eſt unus, uel unum, nempe, una perſona, non plures, & non ſuper alium lapidem, ſunt oculi ſeptem*. Qui *ſunt hi ſeptem oculi, niſi ſeptem lampades ardentes ante thronum dei*, Apoc. 4. & 7. *oculiq́; immaculati agni?* Apoc. 5. Per *ſeptem, uniuerſitatem, aut aliquid magnum ſeu graue deſignari*, Amos. 1. *ac alijs nonnullis locis probauimus*. Porrò Apoc. 5. *dicitur, quòd ſunt ſeptem ſpiritus dei, uniuerſa ſcilicet chariſmata eius*. Plenitudo *ergo ueritatis iuſtitiæ & omniū chariſmatum ſpiritus dei, ſeptem quidam oculi ſunt, orientis & lapidis* Chriſti.

Nunc *ſi quæris, qua ratione erat adducturus orientē in carnem, & quare eum ita uocarit*. Reſpondet. En pro*inde adducam in mundum ipſum orientem, quòd ſumme neceſſarius mundo ſit, & quòd non poßit irrita fieri promißio mea*. Ipſe *autem quem uocaui orientem, eſt idem, qui lapis ille, quem promiſi per* Danielem. Daniel. 2. Quē *nunc ideo orientem uocaui, ut ſciatis quàm uobis neceſſarius ſit*. Nimirum *ipſe ſolus & unus eſt, in quo poſui omnem ſpiritus mei plenitudinem, ideoq́; fons, oriens, & principium eſt, omnis ueritatis & omnium eiuſdem ſpiritus*

ritus charismatum. Quæ ideo per oculos designantur, ut sciatis quòd absq; eodem spiritu, non nisi cæcitas esse potest. Et quisquis noluerit cæcus, & absq; sano ueroq; iudicio esse, ipsi cohæreat necesse est.

Sed quid est, quod ait, quòd dicit se dedisse hunc lapidem coram Iesu? Quis hic Iesus? filius Iosedech. Coram eo erat, dum prophetiam Danielis nouerat, & illi credebat, atq; dum spiritu uidebat Christum lapidem uiuum, sicut de Abrahamo dicitur. Ioan. 8. Abraham exultauit ut uideret diem meum. Vidit (spiritu) & gauisus est. Nihil autem facit, ut quis habeat coram se hunc lapidem, esse post eius incarnationem, aut fuisse antequam incarnaretur, sed fides. Iudæi uiderunt eum iuxta carnem, sed non habebant eum coram eis, dum eum CHRISTVM esse, minime crediderunt. Fuit namque illis, quasi alius quispiam esset. Summa. Nullus incredulus & hypocrita, illum coram se habuit unquam, neque habebit, nisi adquiescat uerbo fidei, lapidis huius.

Verum id est obseruandum, quòd fieri non potest, ut quis hunc lapidem habeat coram se, nisi largiente deo. Vnde & Dominus ait: Dedi hunc lapidem coram Iesu, hoc est, illustraui eum, ut nosset mysterium lapidis huius, & illi uere crederet. Hæc fuit causa, & unica quidem, salutis Iesu, filij Iosedech, & Abrahami, & omnium electorum, quòd DOMINVS dedit coram eis lapidem istum. Da ò domine lapidem istum, coram nobis, ne pereamus.

Pars

PARS TERTIA.

Et ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait dominus exercituum, & auferam iniquitatem terrę illius in die una.

SEruans lapidis metaphoram, dicit. Cælabo ſculpturam eius. O uere magnum myſterium. Quid putas hoc eſſe, quàm quod habetur Apoc. 2. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui adcipit. Noſſe ſculpturam lapidis Chriſti, eſt noſſe uere & ex ſpiritu, quid ſit IESVS Chriſtus, & myſterium aduentus eius. Hoc ſolus nouit, qui in eum ſyncere credit. Credit autem ſolus ille, qui à Deo trahitur & docetur. Cæterum accipit hoc à deo, quiſquis ab illo eruditur. Hanc igitur ſculpturam cælat & abſcondit Deus. Quibus? Omnibus omnino, ita ut nemo ualeat noſſe eam, niſi idem qui eam cælauit, eandem ſuo ſpiritu notam faciat. Vnde in dicto loco Apocalypſeos. Nemo, inquit, ſcit hoc nomen, præter eum, qui adcipit, non dubiũ quin à domino. Porrò quiſquis id adcipit à deo, mox credit, et guſtat ſuauitatem, & lætatur in mirabilibus, magni nominis eius.

Cæterum una die, tempore ſcilicet, quo mens lucis &

diei

diei ueritatis, fit dei munere particeps, quod prius occul tarat, misericorditer aperit, & cognita sculptura nominis, lapidis huius excelsi, aufert omnem iniquitatem terræ, purgat & mundat ab omnibus peccatorum sordibus, efficacia lapidis, conterentis quæcunq; ad carnem et hoc sæculum spectant.

In die illa dicit dominus exercituum, uocabit uir amicum suum subter uineam & subter ficum.

Multis locis diximus, uino seu uitibus, figurari dei uerbum, eo quòd uere lætificet, non carnem solam, sed cor hominis. Quod etiam, ficu fructu suauissimo designatur.

Subter ergo uitem, & ficum uocat amicus amicum, dum unus alium prouocat, ut se dei uerbo subijciant. Manentes autem sub uerbo Domini, lætantur in eo, & quiescunt in pulchritudine pacis, & in requie opulenta, & in tabernaculis fiduciæ. Per mansionem enim sub uite, & ficulnea, nedum uerbi suauitas, sed & pax Christi omnem sensum exuperans significatur, quæ etiam in medio umbræ mortis habetur. Nimirum fideles in aduersis omnibus, possunt Dei uerbo pacem consequi. Incredulis autē, & impijs non est pax, quantumlibet, sub Dei eloquiorū arboribus se manere adserant. Legunt sacros libros, sed non ex fide & spiritu, ideo per eos pacem neutiquam habent. Ardua est hæc res, ab omnibus Antichristis, Pharisæis, & hypocritis abscondita, etiam si perpetuo legerint, & prædicarint sermones dei Altissimi.

CAPVT QVARTVM.

Summarium capitis. Primum, Zacharias suscitatur ab Angelo Domini, & uidet candelabrum aureum cum partibus suis. Secundo, petit sibi interpretari ipsam uisionem, quod & facit Angelus, ubi complura insignissima de Christo & Ecclesia habes.

PARS PRIMA.

ET reuersus est angelus qui loquebatur in me, & suscitauit me quasi uirum, qui suscitatur de somno suo, & dixit ad me: Quid tu uides? Et dixi. Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius, & duæ oliuæ super illud, una à dextris lampadis, & una à sinistris eius.

QVo magis progredior in Prophetæ huius enarratione, eo magis demiror mysteriorum magnitudinem. Multi quippe putant, hæc ad literam, de solo Zorobabele capienda. Sed quemadmodum capite superiore diximus, multa sæpe in prophetijs habes, quæ externe haud-

haudquaquam impleta fuerunt. Implentur autem perfe-cte in Christo & Ecclesia. Nam quod impletum fuit in populo Israël, pars sola impletionis fuit. Sic est de huius capitis prophetia sentiendum. Proinde sicut praecedenti capite, priore parte fecimus: Primum eandem prophetiam iuxta figuram, deniq; iuxta rem maxime & primū figuratam exponemus.

Principio igitur, per id quòd uir dei, non prius uidit mysteria dei, quàm suscitaretur ab Angelo, docemur nullum eße, qui poßit noße ueritatem, nisi excitatus admonitus, & doctus à Domino. Caeterum is quem sic Deus admonet, quasi à somno excitat. Nam quisquis non illustratur à domino, non est alioqui cum eloquijs Dei, quàm homo dormiens, quòd ea capere non poßit. Vnde uir hic dei, se quasi à somno excitatum, conuenientißime dixit.

Mox autem ut fuit excitatus, uidit uisiones Dei, nempe, candelabrum ea forma, quae habetur Exo. 25. paucißimis demptis, quae patebunt conferenti hunc locum, cum illo. Hic ponit lampadem unam, puto quòd pro septem, eo quòd septem lucernas uidit, quarum quaelibet, super lampade una ponebatur.

PARS SECVNDA.

Et respondi, & aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt haec domine mi? Et respondit angelus qui loquebatur in

me,

me, et dixit ad me. Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, non domine mi. Et respondit, & ait ad me, dicens. Hoc est uerbum domini ad Zorobabel, dicẽs. Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu meo, dicit dominus exercituum. Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum? Et educet lapidem primarium, & exęquabit gratiam gratiæ eius. Et factum est uerbum domini ad me, dicens. Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam, & scietis, quia dominus exercituum misit me ad uos: Quis enim despexit dies paruos? Et lætabuntur & uidebunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt domini, qui discurrunt in uniuersa terra. Et respondi & dixi ad eum: Quid sunt duæ oliuæ istę ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Et respondi secundo, & dixi ad eum. Quid sunt duæ spicę oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffossoria ex auro? Et ait ad me, dicens. Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi. Nõ domine mi. Et dixit. Isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori uniuersę terrę.

NOn intellexit, quod uiderat, ideo petijt, ut hanc rem ab Angelo doceretur. Quod autem interroganti

ganti dixit Angelus. Nunquid nescis &c. non dubito ob id factum, ut in nostram eruditionem, Propheta se nescire apertius testaretur. In nostram dixi eruditionem, ut scilicet, nihil nostro sensu adgrediamur in his uisionibus, in quibus etiam ipsi Prophetæ trepidarũt. Erudimur quoq; ut si uolumus sensu domini uere docti fieri, deponamus sensum nostrum fallacißimũ, et nihil fiduciæ adponamus, iudicio nostro, arti, ingenio quantumlibet acri, neq; ulli omnino literaturæ.

Profitenti ergo ueritatem, nempe, quòd dei mysteria ignoraret, opusq; habere se, interpretatione uisionis, respondit Angelus. Hoc est uerbum domini ad Zorobabel dicens. Non in exercitu neq; in robore, sed in spiritu meo, dixit dominus exercituum. Valde pregnans est hic sermo, & eo quidem plus, quo truncatus uidetur. Ad id primum obserua, quæ sint opera spiritus dei, & quod hoc specia- tim loco, spiritus pro dei uoluntate ac decreto capiatur, quemadmodum & Gene. 1. Et spiritus domini ferebatur super aquas. Spiritus quippe seu uoluntas domini, in id ferebatur immutabiliter, ut ex aquis uniuersa conderet. Per aquas autem intellige omnia tum ab eo facta, absq; ornatu, quem deniq; per sex dies adiecit. Scio quosdam hic uertiße uentum pro spiritu, quod non puto sic capiendum, etiam si Ruach uox Hebræa ad utrumq; æquiuoca sit.

Porrò ab eo spiritu seu uoluntate dei sunt omnia, nempe, cælum, terra, aquæ, & quæcunq; in his sunt, & fiunt. Ideo nihil est tribuendum sapientiæ, robori, experientiæ,

 uirtuti

uirtuti, ac potentiæ, alterius cuiuscunq;. Quoties ergo aliquid uides, dic: Hoc non in robore creato, sed spiritu dei. Idem dic in corde tuo, cum uideris hos uincere, illos uinci: Non in exercitu, sed spiritu dei. Disce omnia illius decreto tribuere, etiam peccata. Non quod sentiam deum operari potenter peccatum, sed quod æquissimo iudicio suo, deserat aliquos absq; sui spiritus illustratione, & tũ non peccare non possunt. Primum ergo etiam peccata, eo iudicante fiunt. Verum in hoc peccatum non operatur, sed iustitiam. Tribue omnia deo, & erit tibi mira pax.

Puto Zorobabelem, nonnihil solicitum paulo pluscu-lum quam oportuißet, uidendo opus quod cœperant, magnum, multarumq; impensarum, & in populo non esse eam copiam, quam optabat ad tantum opus. Videbatq; undiq; hostes Israëlis contradicentes, & nitentes eos præpedire ab opere Domini. Et increduli nonnulli, ab implenda iussione Domini absterrebantur. Impij quoque illorum aduersarij, subsannabant eos, quasi incipientes opus quod nõ essent perfecturi. Hæc uide in Ezræ libris. Contra quos dicitur: Quis despexit dies paruos? Aestimo autem hæc fuisse in causa, ut Dominus Zorobabeli præciperet dici. Non in exercitu &c. Q. d. Quid si pauper nunc sit populus, & non est Israël in ea gloria qua olim? Mihi non est impoßibile omne uerbum. Omnia pendent à uoluntate mea, non à robore, potentia & di-

& diuitijs hominum. Agite tantum confidenter. Ego sum, qui hæc præcipio, qui & adero uobis in omnibus, & prouidebo de impensis.

Puto quoq; Dominum simul in hoc uerbo intellexisse, quòd hæc prophetia de reædificatione Hierosolymæ, & templi sui maxime spiritu intelligenda erat, & quòd tametsi nonnihil erat iuxta carnem implenda, perfectius ueruntamen solo spiritu & uerbo Dei impleretur. Certum est enim, quòd omnes eiusmodi prophetiæ, in CHRISTO solo & Ecclesia perfecte impleantur. Proinde forsan hic dicit. Non in exercitu, robore, diuitijs, ac rerum copia, perfecte & adamussim, impletur sermo quem prædico tibi, sed solo spiritu & decreto meo, sermonumq; meorum potentia inuicta.

Mirum est autem, quòd hic dicitur Zachariæ non intelligenti uisionem, quòd nihil aliud esset, quàm quòd Dominus mittebat ad Zorobabelem, hoc uerbum. Non in exercitu &c. Verum si diligenter uisionem scrutamur, puto ex alijs scripturæ locis non parum lucis, huic difficultati adcessurum. Aureum candelabrum uidit, cum suis lampadibus, lucernis, infusorijs, & oliuis, nempe tale, cuiusmodi in templo Domini, usus erat.

Erat quoque unum è præcipuis, quæ Deus iusserat, in Hierosolymæ templo haberi. Proinde æstimo uisione candelabri, templi & cultus quod in eo DEVS instituerat, restaurationem designari. Vnde & paulo-

 post,

post, Deus promittit, quòd à Zorobabele domus sua perficeretur, & id quidem nō tam humanis suffragijs, quàm sua institutione, atq; decreto

Demum quia templū illud Ecclesiæ Dei typum gesßit, quòd in ea uere colatur Deus, id quod multis locis probauimus, itidem quia eiusdem Ecclesiæ figura candelabrum est, ut patet Apoc. 1. ideo per huius candelabri uisionem, ueri cultus dei in Ecclesia sua, adeoq; ipsius Ecclesiæ instauratio figuratur. Ferme namq; iam nulla est fides, nec fuit à sæculis multis, regnantibus mendacijs hominum. Porrò hæc instauratio, non fit exercitu, robore, diuitijs, scientijs humanis, eloquentia, linguis, sed neq; litera operum nostrorum aut eloquiorum Dei, sed solo scopo eorum, nempe, literæ spiritu, ac beneplacito domini, & fide. Vnde & à domino recte dicitur: Non in exercitu & robore, sed in spiritu meo. Sequitur.

Quis tum mons magnæ &c. Superbi hostes Israëlis, qui opus Dei præpedire nitebantur, cum eorum capite Satana, montis magni adpellatione capiuntur. Hic mons, stare non poterat, & omnino absque uiribus ante faciem Zorobabel, quòd secum haberet uerbum, auxilium, & spiritum Domini. Per id ostendit, quòd nihil possent, ad impediendum, domus Dei opus, quod Zorobabel inceperat, ut non tandem uel eis insanientibus perficeretur. Hinc habes argumentum, quòd nihil sub cælo potentius est, fideli seruo Dei.

Quod

Quod si Diabolus cum suis omnibus, nihil potuerũt, ad impediendum opus, quod Zorobabel inceperat, multo minus quidquam poterunt aduersum decretum domini, et opus summi Zorobabelis Domini IESV CHRISTI, qui Zorobabelis nomine, Aggei ultimo capitur. Qui templum, id est, Ecclesiam suam instaurare cœpit, & uel insaniente alto uniuersorum Antichristorum monte, quod cœpit perficiet.

Fortior ergo fuit Zorobabel, omnibus hostibus suis, Domino sibi adsistente. Qui dominus, non Zorobabel, nedum id suo spiritu faciet, sed & educet lapidem primarium CHRISTVM, per Zorobabelem designatum, factum in anguli caput. Psal. 117. & Matth. 21. primogenitum in electis omnibus, qui sunt lapides secundarij, & uiui. 1. Pet. 2. Lapidem, inquam, fundamenti uere Sion Ecclesiæ, de quo in capite libri scriptum est. Psal. 117.

Et exæquabit deus, gratiam gratiæ eius. Cuius eius? Lapidis primarij, Domini IESV CHRISTI. Quorum gratiam exæquabit gratiæ CHRISTI? Non dubium quin electorum. Sensus est. Quisquis gratiam meam adcipiet, non habebit eam alioqui, quàm secundum aut propter gratiam eius. Nimirum illius meritis, de plenitudine eius uniuersi adcipient gratiam pro gratia. Siquidẽ gratia & ueritas, per IESVM CHRISTVM facta est. Ioan. 1.

Forsan autem purior, & magis intenta à spiritu erit interpretatio, si per montem Christũ intellexerimus. Et quidem mihi magis adridet, eo quòd simile quiddam capite præcedēti habeamus. Hic namq; habes: Quis tu mōs magne corā Zorobabel? illic uero, dedi lapidē corā Iesu. Christus quippe mons petreus est, super quo fundata est Ecclesia dei, & lapis de monte abscisus. Daniel. 2. Sæpe enim, ubi prophetauerant sancti, de his quæ figuræ erāt, prophetias de rebus figuratis, sicut à sancto spiritu dirigebantur immiscuere. Porrò quæ fiebant in populo Israël, figuras fuisse eorum quæ sunt in Christo & Ecclesia, notum est. Ideo nunc prophetiæ instaurationis Hierosolymæ & templi, miscet aliquid de Christo & Ecclesia.

Posteaquam ergo erudiuit Zorobabelem, ne trepidaret, ac nihil dubitaret, de auxilio suo, ad consummationē ciuitatis & templi, mox subiunxit de Christo, in quem proculdubio credebat ipse Zorobabel, & cuius figura erat. Quis es tu mons magne, sublimis, præclare IESV Christe, qui es coram Zorobabele? in corde scilicet eius, & ab eius posteritate es nasciturus, in planumq; & uallem terræ uenturus, uel ut Septua. uerterunt, ut corrigas & iudices impios hostes meos, ac populi. Quòd interrogatiue prophetauit, ideo fecit, ut Domini IESV CHRISTI sublimitatem, potētiam, gloriamq; efficacius ostenderet.

Confestim deniq; apertius indicat, quid per hunc montem uelut designari, dicens. Et educet lapidem primarium, eundē

um, eundem qui mons est, nempe, CHRISTVM, & exæquabit gratiam electorum gratiæ eius. Habes id pauloante apertius enarratum.

Cæterum Zacharias adcepto à deo sermone, ait: Manus Zorobabel, ducis populi Iuda, fundauerunt domum istam, & manus eius eandem perficient. Quod dum factum fuerit, cognoscetis quòd non à me ipso locutus sim, sed quòd me miserit dominus. Cognoscetis quoq; mendacia pseudoprophetarum & incredulorum dicentium. Non poterit Zorobabel, urbis & templi ædificium consummare. Qua ratione præcepit Deus, Deutero. 18. probari an Prophetæ ab eo loquerentur.

Quis enim despexit dies paruos? Quis contempsit tempus hoc, quo in faciem, non tam ut olim floret Israël, in diuitijs, populi multitudine, & similibus? Nunquid impletio uerbi domini, pendet ab externis? Nonne magis pendet, à spiritu & decreto eius? Nemo trepidet. Zorobabel consummabit domum istam.

Porrò aliam ciuitatem, aliúdue templum, nempe, dei Ecclesiam, quæ ciuitas dicitur eo quòd Regẽ habeat Christum, & ciues electos: templum uero, quòd in ea cultu uero colatur dominus, manus summi Zorobabelis IESV Christi, de semine alterius nati, secundum carnem, ideoq; pari nomine uocati, fundauerunt & incœperunt. Dum enim uniuersi electi, qui sunt uiui lapides ædificij Ecclesiæ, Christi spiritu & fide, à principio in eius structura positi sunt, quasi manu uirtute & operatione eius, ipsa

Ecclesia est fundata. Quæ etiam eadem ratione ab eo perficietur, dum per eum omnes electi usq; ad ultimum, seruabuntur, & eius spiritu, in Ecclesiæ unitatem adducentur. Cuius operi et proposito, nec totus mundus, nec ipsæ inferi portæ obsistere possunt, quòd data sit ei omnis potestas in cælo, & in terra, & manus eius super omnes, et nemo super eum.

Et nunc ecce resumpsit Ecclesiæ suæ opus, quòd Sannaballitæ cæci, hostes scilicet pietatis, suis inuentis præpedierunt sæculis multis. Non fiunt ueruntamen nunc sublimia illa signa, quæ olim ab Apostolis facta sunt, nec tanta uidetur in faciē Ecclesiæ gloria, ut tū fuit. Sed hos dies paruos, in quibus uidelicet, nō est tam magna prodigiorū gloria, ut olim, nemo paruiducat, nemo proinde desperet, cōsummari posse dei opus. Nō enim in prodigijs aut quibusuis externis, sita est eiusdem operis consummatio, sed in spiritu dei. Fideles deinde non credunt ueritati propter signa, quæ uelle frustra exigere, increduli est pectoris. Ideo nolentibus adquiescere uerbo, nisi signa habeant, terrendo altissimi iudicio signa mittuntur, & multis sæculis missa sunt, quibus in mendacio facti sunt obstinatiores, et ad uerbi ueritatē nunq̄ puenerūt. Quia autē signis mendacibus, siue pro mendacio factis, orbis fuit multis sæculis in errore firmatus, non uult deus, ut nunc miracula fiant, sed ut potētissimo uerbo suo, oīa deuincātur, & opus domus domini, Ecclesiæ uidelicet consummetur.

Vch

Veh Antichristis & pharisæis contemnentibus hos par=uos dies, & dicentibus: Vbi sunt magni illi dies, quib. multa miracula fiebant? Facite, inquiunt, miracula. Generatio hæc praua & adultera signum quærit, & signum nõ dabitur ei, nisi signum de quo prophetauit Daniel, capite octauo, nempe quòd sine manu, exercitu, robore, carnis sapientia, prodigijs, & alijs id genus, solo autem spiritu, decreto, & sermonibus Domini inuictissimis conterentur Papa, Cardinales, Episcopi illi laruati, Pharisæi, cum omnibus Synagogis, decretis & traditionibus Antichristorum. Hoc signum fiet, & certissime quidem, & nõ erit ex ueritatis hostibus, qui tandem non conteratur.

Quis ergo despiciet hos dies paruos? Affligimur, sed consolamur: conijcimur in carceres, damnamur exilio, rapimur ad tormenta & ignes, sed tandem uincet DEI uerbum, qua fiducia nos consolatur spiritus IESV Christi: scimusq; quod moriendo & mala pro ueritatis testimonio perferendo uincimus, & per id ostium ueritatis Synagogæ efficacissime prosternuntur. Audeamus ergo in Domino, nihil trepidantes, nam perficietur domus dei structura sanctissima, & cadet omnis altitudo impiorũ.

Quia enim Ecclesia Dei in faciendis prodigijs modicam nunc accepit uirtutem, is qui habet clauem Dauid, & aperit & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, nempe Christus sponsus eius, dedit coram ea ostium apertum, quod nemo potest claudere, quemadmodum Philadelphiæ sanctis promisit Apoca. 3. Quod ostium quid aliud est, quàm dif

ficultas intelligentiæ Scripturarum, quod tum aperitur, dum earum ueritas reseratur.

Sed quid ultra ait Dominus? Et lætabuntur & uidebunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Putat quidam, nescio quæ, de templi tecto plumbato hic intelligenda, quod ego nullatenus crediderim. Aestimo enim, imò nihil dubito, idem intelligendum per hunc lapidem, quod per eum, quem Dominus ait capite præce. se dedisse ante faciem Iesu filij Iosedech: super quo septem oculi sunt, ut & hic & illic habes. Qui oculi non sunt administratorij illi spiritus, ut quidam interpretatur, sed septem, id est, uniuersa charismata spiritus dei, ut præc. capite diximus. Qui discurrunt, uel iuxta Septuaginta, respiciunt in omni terra. Solo enim Dei spiritu recte de uniuersis iudicamus, idcirco hic ubiq; discurrere uel respicere dicitur. Nimirũ discursus quidã est, iudicare de omnibus. Quasi enĩ discurrit ubiq;, qui ubiq; iudicat. Et spiritus Domini, immo etiam quisquis per eum spiritualis factus est, omnia iudicat. 1. Cor. 2.

Puto autem hunc lapidem Christum idcirco stanneum dici, q, quasi stannum per malorum ignem transierit, quã diu in hoc mundo fuit. Quid enim fuit tota eius uita in carne mortali, nisi transitus quidam per ignem? Sed eductus fuit tandem in refrigerium, & stanni huius purißimi nitor apparuit, cum de morte surrexit.

In manu quoq; Zorobabelis stanneus hic lapis fuit, qa coram eo uel ante eum fide perpetua extitit. Quæ enim

ab

ab aliquo in manu habentur, coram eo ſunt. Vel quaſi in manu eius ſeu coram eo fuit, dū ex eius ſemine natus eſt, et tum in lumbis eius adhuc erat. Cæterum manus operationem ſignificat, idcirco dum Chriſtus ſecundū carnem ex his quos genuit Zorobabel, prodijt, quaſi in manu & opere eius fuit. Hunc lapidem uident in manu, ſemine aut cognatione Zorobabelis fideles, non dubitantes q̃ ex eo ſecundum carnem natus ſit. Et ob id lætantur. Quæ enim maior lætitia fidelibus, quàm noſſe Chriſtum natum de ſemine Dauidis, Zorobabelis & filiorū eorundem? Recte ait: Lætabuntur, q̃ nō niſi mœror & grauis triſtitia eſſe poſſit his, qui hunc lapidem neſciunt. Maledictus qui nō uidet Chriſtum in manu Zorobabelis. Hunc non uidet, quiſquis non uere & ſynceriſſime credit.

Quod tandem attinet ad ſpecialem candelabri expoſitionem, diximus ſuprà, Eccleſiam candelabro ſignificari. Porrò ſeptem lampadibus, lucernisq́; non puto aliud deſignari, quàm ſpeciales Eccleſias, quæ Apoc. 1 ſeptem candelabris deſignantur, in quorum quolibet non ſeptem, ſed una tantum lucerna uidetur. Hic per unum candelabrum figuratur una Eccleſia: per ſeptem uero lucernas, idē qd' apd' Apoc. p candelabra ſeptē, nēpe unius catholicæ Eccleſiæ, ſpeciales filiæ. Fouetur aūt in lāpadib. ignis oleo. Quid aūt oleū niſi ſpiritus dei? Pſal. 44. Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ. Hoc oleo fouetur in Eccleſia charitatis ignis et lux ueritatis. Et omnia chariſmata ſpiritus eiuſdem, ueritatis luci & charitatis ardori ſunt annexa.

In lucernis ergo, id est, in specialibus Ecclesijs, unius catholicæ, immittitur oleum spiritus Dei. *Sed quæ sunt in fusoria?* Fideles *ministri uerbi, quos Paulus secunda* Corinth. *ministros reconciliationis appellat. Ipsum quippe ministerium uerbi, si est fidele, syncerum & purum, quid nisi infusorium quoddam est spiritus ueritatis? Veh terris abijcientibus hoc spiritus* Dei *infusorium, & quærentibus infusoria mendacij, nempe ministerium pseudo prophetarum, traditiones, mendacia & decreta hominũ infundentium, per quæ non infunditur oleum diuini spiritus, sed si qua est amabilis ueritatis lux, ac suauissimus dilectionis ardor mox per hæc extingutur.*

Postremo, angelus dixit Zachariæ, duabus oliuis, aut oliuarum spicis, seu (ut Septuaginta uerterunt) ramis, significari duos filios olei, qui assistunt dominatori uniuersæ terræ. Mirũ *profecto, quàm uarie à multis de his filijs olei fuit definitum.* Ego *omnibus uarietatibus omissis, æstimo nihil aliud hic capiendum, quàm præscriptum* Zorobabelem *ducem populi, &* Iesum *filium* Iosedech, *sacerdotem magnum, utrumq; unctum: alterum in ducem, alterum in* Prophetam, *& utrumq; filium, nedum unctionis ipsius externæ, sed olei eius, qui uere lætificat, spiritus scilicet* Dei. *Quia enim spirituales erant, recte filij olei appellati sunt. O quàm felices essemus, si omnes* Principes, *& presbyteri seu ministri fidelium, filij olei & uere spirituales essent.* Infinitos *habemus filios olei seu chrismatis unguentarij seu apothecarij, ex quibus heu uix ullus reperitur.*

reperitur, qui sit filius olei spiritus Dei. Omnes enim sunt caro & sanguis. Putant cæci quidem omnia perdita, si non sint chrismate inuncti, qui baptizantur: ac qui populo uerbum aut sacramenta administrant. Sed quid ad Ecclesiam chrisma aut oleum unguetarij carnis? Nonne illi sat est, habere unguenta suauissima sponsi eius Domimini IESV Christi, ad quæ tam sæpe in Solomonis Canticis suspirat? Exterminet Deus omnes eiusmodi hypocriticos ritus, ut simus uere Christi, id est, uncti, oleo & chrismate spiritus sancti.

Igitur duo præscripti filij olei & uere spirituales assistebant dominatori uniuersæ terræ, perseuerantes in fide & opere eius: & sollicite implentes, quæ ille imperabat. Quod nunquam fecissent, nisi fuissent filij olei spiritus Dei. Nimirum sine eo nullus Deo assistit, aut uoluntatem eius implet. Et nos si uolumus Deo perpetuo assistere, & eius decretis obtemperare, oremus, ut olei sancti sui filios nos clementer efficiat per IESVM Christum dominum nostrum, amen.

CAPVT QVINTVM.

Summarium capitis. Primum, uidet mysterium uoluminis seu falcis uolantis, & maledictionem furum, ac dei nomine abutentium designantis. Secundo, uidet iniquitatis amphoram, ferri à duabus mulieribus in Babylonẽ, ut ei domũ et sedẽ ĩ ea ædificẽt. Præclara oĩno mysteria

PARS PRIMA.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & uidi, & ecce uolumen uolans. Et dixit ad me: Quid tu uides? Et dixi: Ego uideo uolumen uolās, longitudo eius uiginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem uniuersæ terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & ueniet ad domum furis, & ad domum iurātis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius & lapides eius.

VBi nos habemus uolumen, Septua habent falcem. Magal enim uox hebræa hic posita, significat falcem. Hieronymi autem iudicio etiam significat uolumen. Parum autem refert, utrum horū acceperis, q̧ idē sensus maneat, nempe q̧ maledictio & iudiciū domini sit aduersum fures & assumentes nomen Domini mendaciter. Nonnihil uerum plus congruere uidetur uolumen, q̃ falx, quòd Dani. 7. in iudicio libri aperiri dicuntur. Verū nolo pro hac re contendere. Accipe ergo, quod uolueris, uel falcem uel uolumen.

De eo primum dicitur, quòd uolet. Quid per uolatum nisi celeritas diuini iudicij, & condemnationis impiorum intelligitur? Impossibile quippe est differri iudicium domini, ubi tēpus ab eo præfinitum affuerit. Quod nedum de extremo iudicio, sed de singulis dei iudicijs ītelligimus.

Secundo, describitur magnitudo eius, per quam ostenditur, quàm horrendum sit, incidere in manus Dei uiuentis. Magnum quippe, forte & terribile est iudicium Domini aduersum eos, qui non acquiescuut uerbo eius, aut illo abutuntur.

Tertio, speciatim meminit de maledictione furum, & iurantium in nomine Domini mendaciter. Per fures oīa quæ fiunt contra charitatē proximi: & ꝑiurantes cum mendacio per nomen Dei, omnes peccantes in Deum intellige. Fures quidem sunt omnes usurarij, raptores, adulteri &c. Periuri uero omnes abutentes uerbo Dei, falsi Christiani & hypocritæ, ac quotquot sub nomine Dei, ac specie pietatis aliquid impium agunt.

Quarto, in horum impiorum domos descendit hæc maledictio tempore à Deo decreto, & absumit omnia, etiam usq; ad ligna & lapides. Siquidem fieri non potest, ut diu permaneant, quæ male sunt parta. Adducit nanq; Deus oportune terribile suæ maledictionis uolumen aut falcem.

Quinto, hic habetur, unde & ꝑpter qd sit maledictio, nēpe à Deo adducēte, propter contemptum ueritatis suæ, et malignitatem in proximum. Ergo non ab hominū mendacibus

cibus censuris. Hinc uides quàm execrabili commento, Antichristi se posse maledicere & benedicere gloriātur. Sed quid dicit Dominus? Maledicam benedictionibus uestris, & benedicam maledictionibus uestris. Hinc seruus Dei ait Psal. 108. Maledicent impij, & tu benedices. Maledictiones ergo illæ stercorariæ Antichristorum etiā Romani tyranni, seruis Dei non nisi benedictiones sunt. Magis ergo sunt desyderandæ quàm metuendæ, q̄ sint nobis copiosioris gratiæ caußa. Et tu maledic mihi, ô Antichriste, ut à Domino in me peccatorem copiosior benedictio ueniat. In hoc uel nolens nobis omnibus beneficis, & tibi soli maledictionem accumulas.

Sexto, cum Deus mittit in domum aliquam maledictionem suam, mox quidem ad eam uenit, sed non mox omnia absumit. Absumit autem sensim, donec nihil omnino deserat. Ad hanc uero consumptionem spectat, quòd omnia etiam prospera impijs cooperantur in malum, quemadmodū fidelibus & pijs omnia etiam aduersa quæcunq; illis cooperantur in bonum. Rom. 8.

PARS SECVNDA.

Et egressus est angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me: Leua oculos tuos, & uide, quid sit hoc quod egreditur? Et dixi: Quid nam est? Et ait. Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in uniuersa

terra.

terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. Et leuaui oculos meos, & uidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum. Et habebant alas quasi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram & cœlum. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me. Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me. Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam.

Ephi uocem Hebræam Septuaginta uerterunt mensuram, Hieronymus uero amphoram. Sed in hoc nihil est dissidendum, q̃ idem sensus maneat, utro eorum accepto. Nam id solum uoluit spiritus Domini ostendere Zachariæ, quòd mulier uocata impietas seu iniquitas, occludenda erat.

His præmissis, simplicitas uisionis obseruanda est, in qua impietas clauditur in mensura, uel amphora, massa, uel talento plumbeo. Porrò amphoram uel mensuram, dicit esse in uniuersa terra eorum oculum. Quorum eorũ? Non dubium quin Iudæorum. Lex enim his qui sub lege sunt, loquitur. Roman. 3. Deniq; id quod dicit, in uniuersa terra, de terra Israëlis intelligit. Cæterum oculus, iu-

dicium, prudentiam & affectus eorum impios designat. In capite amphoræ apparebat mulier, quæ erat in medio eius, nempe iniquitas ipsam amphoram replens. Repletio amphoræ completionem iniquitatum regni Iuda significat. Talentum uero siue massa, res magni ponderis, onus Domini aduersum idem regnum. Onus autem punitio est, ut sæpe diximus & probauimus in alijs Prophetis. Significat ergo impositio talenti plumbi, metalli ponderosißimi, super amphora plena iniquitate, quod completis iniquitatibus Iuda, Dominus posuerit onus suum, id est, punitionem super eos. Hæc autem amphora egrediens, non dubium quin ex Iudæa, dicitur, quod populus Iuda, completis suis iniquitatibus, cum suis iniquitatibus & suo onere egressus fuerit è terra sua, & translatus in Babylonē. Quod significatur per id, quod duæ mulieres tulerunt amphoram opertam talenti plumbei onere in terram Sennaar, id est, in Babylonem, in quā Iudæi abierunt, non derelicta impietate sua. Multi per has duas mulieres putant tribus aut regna diuersa capienda, quod nullatenus eputo. Vult enim spiritus sanctus id docere, quod iniquitas gressa è Iudæa, nequaquam sit in eam reuersura. Quod quidā ait intelligendū de cultu idolorum, qui post captiuitatem Babylonicam, nequaquam fuit in regno Iuda, demptis paucis, qui sub Antiocho idola coluerunt. Sed eius pace salua, non ita est, neq; potest ad literam intelligi de ipso Iudæorum populo secundum carnem. Nimirum dū Christus uenit in carnem, reperit totam Iudæam plenam impietate,

tate & hypocrisi, colentem suarum traditionum idola, plus quàm legem Dei. Et si iuxta carnem hic populus intelligendus est, uisio non congruit. Nam amphora illa iniquitatis non haberet domum & sedem in Babylone, sed rediÿsset etiam in Iudæam.

Deniq; impietas ipsa non in sola Babylone habet domum, ideo Babylon hoc loco in mysterio accipienda est, sicut & populi Iudæorum. Igitur Babylon ciuitas Gentiũ & hostium populi Dei, omnes impios & incredulos significat. Iudæa uero & Hierosolyma Ecclesiam Dei, & fideles omnes. Aufertur iniquitatis amphora à filiÿs Ecclesiæ, & permanet in Synagogis incredulorum, nec unquam reuertitur in Ecclesiam sanctam. Non enim reperitur ultrà impietas in ea. Peccatum quidem habent filiÿ eius, donec in carne uiuũt, sed fide remittitur, et nõ imputatur, sicut scriptum est Psal. 31. Beati quorum remißæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui nõ imputauit Dominus peccatum. Hinc Ecclesia in Solomonis Cãticis pulchra, perfecta & miri decoris esse dicitur.

Vide, ô lector, quàm pulchre mysteria quadrent. In Iudæa, Ecclesia scilicet Domini, nulla est impietas. Ergo nullus impius, aut non acquiescens uerbo Domini, nullus, inquã, auarus, immundus, ebriosus, scortator, aut alioq; scelerosus in Dei Ecclesia est supputandus. At in Babylone confusissima, uidelicet in Synagogis incredulorum, aut hypocritarum sedem habet. Quod si per duas mulieres deferentes impietatis amphoram, aliquid est specia

tim capiendum, profecto id erit incredulitas & hypocrisis. Nam quemadmodum per unam mulierem iniquitas, ita per alias duas portantes illam, nihil rectius capitur, quàm ipsi omnis iniquitatis fontes, nempe infidelitas & hypocrisis. Etenim istarum quælibet nunquam non fert secum impietatem & iniquitatem, sed omni cura illi domum ædificant, uolentes ut secum permaneat. Habent autem alas quasi milui rapacis uolucris. Nam uniuersi increduli & hypocritæ uolant, id est, festinant ædificare domum impietati, sed id non alioqui, quã rapacitate, quod Dei est, nempe honorem, gloriam, uindictamq; usurpando, & modis uarijs proximorum substãtiam diripiendo: quod in cunctis ueritatis hostibus ac regno hypocriseos Antichristorum, nullus non uidet, præter eum qui cæcitatis eiusdem regni factus est particeps.

CAPVT SEXTVM.

Summarium capitis. Primum, uidet quatuor quadrigas, cum equis differentibus quatuor regna designantes. Secundo, iubet Zachariæ, ut fabricet coronas argenteas & aureas, ponatq; eas super caput summi sacerdotis, in figuram perpetui regni ac sacerdotij Cristi.

PARS PRIMA.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & uidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ęnei. In quadriga prima equi rufi, in quadriga secũda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi: & in quadriga quarta equi uarij & fortes. Et respondi, & dixi ad angelũ, qui loquebatur in me. Quid sunt hæc domine mi? Et respondit angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor uenti cœli, qui egrediuntur, ut stent corã dominatore omnis terræ. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, & albi egressi sunt post eos, et uarij egressi sũt ad terram Austri. Qui autem erant robustissimi, exierunt & quęrebant ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite & perambulate terram. Et perambulauerunt terram, & uocauit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

Hic primum obserua, ꝙ prima quadriga significat regnum Babyloniorum seu Chaldæorum. Secunda regnum Medorum & Persarum. Tertia regnũ Macedonũ seu Græcorum. Quarta regnũ Romanorũ.

 Secundo,

Secundo, puto regnum Chaldæorum ideo intelligi equis rufis uel rubeis, q̄ multarum gentium sanguinem fudißent. Regnum Medorum atq; Persarum, equis ob luctum filiorum Israël, quos Aman uno die uoluit perdere, de Græcis nescio quare per albos capiantur, nisi forsan ob magnam regni eorum gloriam. Imperarunt enim uniuersæ terræ. Dā. 2. De Romanis arbitror, q̄ ideo ꝑ uarios et fortes capiantur, q̄ multis sæculis regnarint, & id quidē uarijs modis, ac uaria Principum institutione, ut notum est historias perspicienti. Fortius quoque fuit idem regnū alijs tribus, quod & liquet Danie. secundo. Verum super equorū coloribus non est contēdendum, sed summa quædam est colligenda ex locis similibus. Summa autē huius textus est, q̄ regnorum quatuor succesionem describit.

Tertio, egressi sunt è medio duorum æneorum montium, è locis uidelicet munitissimis ac fortissimis. Quid enim fortius æneis montibus? Quidam per duos æneos montes, prophetas utriusq; regni Israël interpretantur, sed nullatenus congruit. Montes ergo ænei potentiam & fortitudinē eorundē regnorū, quantū arbitror significāt.

Quarto, dicuntur uenti quatuor cœli, assistentes Dominatori uniuersæ terræ. Venti dicuntur ob celeritatem & impetum implendi iudicia Dei: assistentes uero ipsi DEO, eo quòd iudicia eius implerent, etiam si id minime cogitarent.

Quinto, de primis equis, nempe regno Chaldæorum, non dicit in quam partem egrederentur, eo q̄ tempore hu

ius prophetiæ deletum erat & deuictũ à Medis et Persis.

Sexto, equi nigri, Medi scilicet & Persæ, egressi sunt in terram Aquilonis, scilicet in Chaldæam & Babyloniam, quæ per Aquilonem idcirco intelligitur, quòd è regione Aquilonis inceperit debellare Iudæam. Hinc Hiere. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum.

Septimo, post hos ingressi sunt equi albi, Græci scilicet, inuadentes omnes terras, quibus imperabant Medi et Persæ, eorum regibus deuictis.

Octauo, equi uarij, Romanum scilicet regnum, egressi sunt in australem plagam, & procedente eorum fortitudine, quærebant omnem terram perambulare, ac sibi subijcere, quod & datum est illis à Domino, dicente eis per angelum: Ite, & perambulate terram, alioqui nunquam ad id peruenissent. Ab eius nanque decreto omnia pendent.

Nono, de equis nigris & albis, per quos impleuit iudicia sua in Aquilone, id est, in Babylonia et Chaldæa, ait dominus, quòd quiescere fecerint spiritum suum in terra, ad quam profecti sunt: Loquitur more hominis adirati, cuius ira quiescere dicitur, dum hostes eius puniuntur. Sensus est: Impleuerunt iudicium & uoluntatem suam, aduersum Chaldæos.

Ex his obserua, quàm uerum sit, omnia esse à domino, & quòd ab ipso sint omnes Principatus, regna, uictoriæ, punitiões, et quicqd sub cœlo est, etiã si hõ cæcus aliud putet.

PARS SECVNDA.

Et factum est uerbum Domini ad me, dicẽs: Sume à transmigratione ab Oldai, & à Tobia & ab Idaia, & uenies tu in die illa, et intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui uenerunt de Babylone, & sumes argentum & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens : Hæc ait dominus exercituum, dicens: Ecce uir Oriens nomen eius. Et subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum domino. Et ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo. Et erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos. Et coronæ erunt Helen, et Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ memoriale in tẽplo domini. Et qui procul sũt, uenient, & ædificabunt in templo Domini. Et scietis, quia Dominus exercituum misit me ad uos. Erit autem hoc, si auditu audieritis uocem domini Dei uestri.

PRimum fuit præceptum Zachariæ, ut sumat ab Oldai, Tobia & Idaia, aurum & argentum, intraretq́; in domum Sophoniæ, filij Iosiæ, & faceret in ea coronas duas aut tres, aut plures.

Denique iussum illi fuit, ut illas capiti Iesu filij Iosedech sacerdotis magni imponeret, diceretque ei: Hæc dicit dominus

Dominus exercituum. Ecce uir oriens nomen eius. Nitun tur quidam frustra, ut hunc locum de ipso pontifice magno filio Iosedech, hanc prophetiam interpretentur. Nunquam enim fieri potest, ut omnes partes eius conueniant. Demum, ut alia prætereamus, unde id nos docebũt, quod idem pontifex oriens dici possit? Chaldaica quoq; uersio, Messiam habet, ubi nos orientem habemus. Oriens ergo Christus est, quemadmodum apertius ostendimus, suprà cap. 3. Est quoq; & uir. Ego puto idem esse, quod hic dicit uir, oriens, ac si dixisset, homo, Deus, uel homo principium. Ecce, inquit, uir, Christus homo, nomen eius Oriens, siue principium, à quo & per quem omnia. Et subter eũ, uel post eum scilicet Iesum filium Iosedech, orietur, id est, nascetur secundum carnem, ipse uir, oriens uocatus. Post eum uenit, succedens illi, & nomine & ministerio, sed perfectius illo omnia habens.

Et ipse ædificabit templum Domino: Et ipse extruet templum Domino. Hæc inculcatio designat rei prænunciatæ certitudinem, & magnitudinem, magnamq; lætitiam uiri Dei prophetantis. Hic est sensus huius loci. Ille, ille, templum ædificabit. Aedificabit templum de lapidibus mortuis Iesus filius Iosedech, cum Zorobabele, sed aliud longe sublimius, præclarius, & uenerabilius, non de mortuis, sed de uiuis lapidibus, extruet Dominus IESVS Christus, filius dei, uir cui nomen Oriens. Hoc templum est sancta Ecclesia, ut sæpius diximus.

Et ipse Oriens portabit et adcipiet gloriam regni de-

uictis peccato, morte, & inferno. Et *sedebit & dominabitur, super solio suo, regnans super* Ecclesiam, *data sibi omni potestate in cælo et in terra, et erit nedũ rex, sed & sacerdos super solio suo.* En *quàm aperte hic prænunciatum fuit regnum & sacerdotium Christi.* Puto *autem quòd hæc duo regnum scilicet et sacerdotiũ, sint illa duo, inter quæ hic prædicitur futurum consiliũ unũ, unus sensus, una uoluntas.* Dum *enim in uno* Domino IESV *Christo, regnum & sacerdotium conuenerunt, quasi utriusq; unum consilium fuit.* Per *duos istos, quidam intelligunt,* Iudæos & Gentes, *qui in unam* Ecclesiam *conueniunt, quod non arbitror.* Ex *textus namq; ordine, prior enarratio pendet.* Sedebit, *inquit, in throno suo, non dubium, quin* Rex *ipse Christus, sedebit & sacerdos, non alius, ab eodẽ Christo.* Et *inter regẽ Christũ, et sacerdotẽ Christũ, nõ erunt duo cõsilia, sed unũ, quia nõ erũt duæ personæ, sed una* IESVS *Christus,* Deus & *homo,* Rex & *sacerdos.* Q*uod uersio septuaginta, manifestius ostendit, quæ sic habet.* Et *sedebit, & imperabit super throno suo,* CHRISTVS *scilicet* Rex, & *erit sacerdos à dextris eius.* At *nullum est sacerdotium, posteaquam à patre regnum adcepit, præterquam suum, cuius ipse est summus pontifex, & unus & solus quidem.* Per *id ergo quòd dicit, à dextris* Regis CHRISTI, *esse sacerdotem, de ipsius met* CHRISTI *sacerdotio intelligamus necesse est.* De *quo si aliquid plenius desideras, uide* Epistolam *ad* Hebræos.

Porrò

Porrò regni & sacerdotij Christi consilium, pacis consilium dicitur, tam ob unionem utriusq; in Christo, quàm ut ostendatur, quòd in pacem & reconciliationem nostram factũ est, ut hæc duo in Christo conuenirent. Nimirum ut Rex iuuat nos, & ab omni malo eripit, ut sacerdos uero, interpellat pro nobis. Tum erant in Dei populo, Princeps alius à sacerdote magno, quod unus esset Zorobabel, alius filius Iosedech. At uir ille oriens utrunq; habet, factus sacerdos secundũ ordinem Melchisedech. Psal. 109. & Principatus factus est super humerũ eius. Esa. 9. In cuius rei figuram, iußit Prophetæ ut sacerdoti magno Iesu filio Iosedech, imponerẽt coronam. Non enim factus fuit Rex, sed tantum in mysterio capiti suo, ad modicum imposita fuit corona, & hoc facto tale quiddam uolebat Dominus. Quemadmodum seruus meus filius Iosedech, sacerdos magnus, simul habuit in capite suo regiã coronam, ita ego mittam uirum Orientem, qui erit simul Rex & sacerdos.

Quo facto, iussit Deus ipsas coronas adcipi, & in memoriale perpetuum huius prophetiæ seruari in templo Dei, quasi munera Holdai siue Hælem, Tobiæ, Idaiæ, & Hen, filij Sophoniæ, qui aurum & argentum ad faciendas coronas tradiderãt. Quartus, nempe, Hen, adiectus est tribus præscriptis, nisi forsan idem sit qui Iosias filius Sophoniæ. Profecto si aliud significaret ipsa coronarum impositio, quàm ea quæ in Christo implentur, non

mox

mox ablatæ fuissent à capite sacerdotis, & repositæ in templo Domini *in memoriale sempiternum*. Ego puto, *imò nihil dubito, plures ideo fuisse coronas, & omnes im positas capiti sacerdotis, ut designaretur, quòd regnis omnibus* Christus *imperaret*.

Demum, de *ipso ædificio templi, qd' extructurus erat uir oriens, adijcitur*. Et *qui procul sunt, nempe, gentes, ue nient &c. hoc est conuertentur, ad* Dominum. Nimirum *ad eum conuerti, est ædificium sanctæ* Ecclesiæ *adiuuare*. Quisquis *enim uere conuertitur, ad ædificium eius spe ctat*. Volunt Iudæi *hunc locum intelligi de templo, quod ædificauit* Zorobabel, *quia scilicet multi è gentibus iuue runt ædificium eius*. Non *nego uerum esse, quòd gentes iuuerint, sed dico, id maxime de* Ecclesiæ *structura enar randum*. Neq; *obstat, quòd dicunt*. En *quòd* Propheta *di xit*: Et *scietis quoniam* Dominus *exercituum, misit me ad uos*. Quomodo *hoc signo* Prophetam *missum ad eos crederent, nisi quod prædixerat uiderent?* Dicimus *quòd* Prophetæ *sermo, nedum illis, qui tum erant, sed & nobis & omnibus qui erunt usq; in sæculi finem, directus fuit*. Et *cum eum ueritatem prænunciasse uidemus, profite mur, quòd à* Domino *missus sit*.

In *hoc quod sæpe inculcat, scietis quòd me* Deus *mi sit, obserua quanto studio* Prophetæ *uitarint, ne etiam dei uerbum loquerentur, nisi missi ab eo, nec uolebant, quòd quisquam putaret eos loqui, nisi deo mittente*. Vbi *nunc sunt, qui gloriantur in inuentis suis, & quasi missi*

à deo

à deo somnia & mendacia prædicant? Veh impostoribus, in proximo disperdendis. Fiat fiat.

Sed quid est, quòd tandem ait? Erit autem hoc, si audieritis uocem Domini dei uestri? Nunquid impletio dei eloquiorum à nostra obedientia pendet? Nonne uerbum Dei manet inæternum, cuius uel iota unum solui nequit, ut non fiat? Deus enim uerax est, omnis autem homo mendax. Psal. 115. Deniq; nostra iniustitia dei iustitia commendatur, dum nihil obsistentibus peccatis nostris, semper eius sermo impletur.

Semper ergo stat uerbum dei inuictum, inuariabile, semper manens. Et uerbum quòd hic prædixit Zacharias, non potuit non impleri, etiam Iudæis non adquiescentibus uerbo Domini, & tamen uerum dixit. Erit autem hoc, si audieritis &c. Ideo obserua, quòd uerbum quidem manet, sed non impletur pro incredulis, & non audientibus uocem Domini. Est ergo sensus præscripti uersus. Si uos adquieueritis uerbo domini, participes eritis eorum quæ prænunciaui uobis, alioqui non erit uobis pars in eis. Hic uita, quæ à nonnullis dicuntur, omnes promißiones Dei, sub conditione esse. Nam hoc mendacio nullum execrabilius, & perniciosius. Nam si sub conditione est dei promißio, quomodo erit solida fides in eam? Et tum impletio uerbi Domini penderet, ab opere nostro. O errorem.

CAPVT SEPTIMVM.

Summa.

Summarium capitis. Primum, sacerdotibus & Prophetis Domini, quæstio proponitur, de ieiunio & fletu. Secundo, eidem à Domino per Zachariam respondetur, & omnis hypocrisis damnatur. Tertio, docet quid faciendum, & unde Hierosolymæ euersio sit maxime profecta.

PARS PRIMA.

ET factum est in anno quarto Darij regis, factum est uerbum domini ad Zachariam in quarta mensis noni, qui est casleu. Et miserunt ad domum Dei Sarasar, & Regemmelech, & uiri qui erant cum eo ad precandum faciem domini, ut dicerent sacerdotibus domus domini exercituum & prophetis loquentes. Nunquid flendum est mihi in quinto mense, uel sanctificare me debeo sicut feci iam multis annis?

EOs qui in hoc textu nominantur, alij dicunt fuisse Persarum Principes seu duces à Rege Dario positos, timentes Dominum: alij nuncios missos ab his qui adhuc erant in Babylone, sed neutrum horum probari potest. Ego magis puto, eos fuiße missos, à nõnullis è populo,

populo, quod proinde coniecto, quòd Dominus *iubet populo responderi.* Verum *contentiose nolo agere, sciens id tantum hoc loco necessariũ sentire, quòd fuerit proposita quæstio, sacerdotibus et* Prophetis Domini, Anno Regis Darij *quarto, nono mense, & quarta die eiusdẽ mensis.*

Fuit *autem quæstio, an flendum & ieiunandum illis erat, ut annis septuaginta fecerant in* Babylone, *ob* Hierosolymæ, *& domus* Dei *euersionem, ac reliquiarũ* Israël *dispersionem.* Ob *primum enim ieiunabant mense quinto, ob secundũ uero, mense septimo, eo quòd mense septimo ferunt* Godoliam *ab* Ismaële *occisum, quod fuit causa dispersionis reliquiarũ* Israëlis, *ut patet* Hiere. 41. & . 42.

PARS SECVNDA.

Et factum est uerbum domini exercituũ ad me, dicens. Loquere ad omnem populum terræ et ad sacerdotes, dicens: Cũ ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cum comedistis & bibistis, nunquid non uobis comedistis & uobismet ipsis bibistis? Nunquid non hæc sunt uerba quæ locutus est dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Hierusalem habitaretur, & esset opulenta, & ipsa & urbes illius in circuitu eius, & ad austrum & in campestribus habitaretur?

Quàm

QVàm patenter hic damnantur ſtudia hypocritarum, qui fidunt ieiunijs, fletibus, externisq; alijs, quæ non iußit Deus, *ſed à ſeipſis excogitarunt.* Ecce *quòd ait, Iudæos ſibi & ieiunaſſe, dum ieiunarunt, & manducaße dum manducarunt, non domino. Fidelis* Domino *uiuit, ieiunat, manducat, quia ex fide & uerbo eius. At qui relictis his quæ imperat* Dominus, *miſericordia ſcilicet, charitate, pace uera, et alijs eiuſmodi, aliquid prædictorum facit, non* Domino, *ſed ſibi omnia facit. Idcirco ait* Deus *Iſraëlitas in* Babylone, *non illi ſed ſibi ipſis, ieiunaſſe, manducaſſe, & bibiſſe, quòd hæc ſine uera in eum fide facerent, & interim ſpernerent, quæ imperabat. Pro qua re, & aliâs multis locis, eorum operà damnat.* Docuerat *quoq; eos ſanè, adhuc ſtante* Hieruſalem, *&* Iudæ *regno, per* Prophetas *ſuos, quid ieiunandum, manducandum, bibendum, uiuendumq; ubilibet, quod eis reuocat in memoriam.* Concordat *his quæ habentur hoc loco, magna pars. 58. capitis* Eſaiæ Prophetæ.

PARS TERTIA.

Et factum eſt uerbum domini ad Zachariam, dicens. Hæc ait dominus exercituum, dicens. Iudicium uerum iudicate, & miſericordiam, & miſerationes facite unuſquiſq; cum fratre ſuo. Et uiduam & pupillum & aduenam & pauperem nolite calumniari,

& ma-

& malum uir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere & auerterũt scapulam recedẽtes, & aures suas aggrauauerunt ne audirent & cor suum posuerunt adamantem, ne audirẽt legem, et uerba quæ misit dominus exercituum in spiritu suo, per manum prophetarum priorum. Et facta est indignatio magna à domino exercituum. Et factum est, sicut locutus est, & non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam, dicit dominus exercituum. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, & terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens & reuertens, & posuerunt terram desyderabilem in desertum.

ADhuc stante Hierusalem *&* Iudæa, *erant ex eis, cuiusmodi innumeros habemus, ieiunantes, flentes, seruantes proprias traditiones, somnia, decreta, submurmurantes aliquot preculas sine spiritu, uouentes inutilia, imò perniciosa, & per hæc* Deo *satisfacere se posse putantes, ac fidentes iustitijs operum, & eorum quidem, nõ quæ iussit* Deus, *sed quæ excogitarant.* Interea *enim rapaces, maligni, detractores, & sine charitate in proximum erant.* Propter quod *&* Hierosolymã *euersam, & omnem terram eorũ, desolatam fuiße dicit.* Heu *quã multos habet nostrũ sæculũ, omnibus* Israëlitis, *deteriores, maxime* Antichristi *Episcopos, et* Pharisæos *oẽs.*

Sed notũ est, quod nihil à nobis Deus exigit, nisi quæ præcepit. Unde damnata falsa iustitia, nunc ait. Iudicium uerum &c. O præcepta sanctissima, si ex fide seruentur. Iudicium uerum iudicat, qui non iudicat nisi ex uerbo & spiritu dei. Reliqua hic posita, per se nota sunt.

Hæc eadem præceperat illis Deus, antequam ducerentur in Babylonem, sed indurarũt ceruicem suam, ut adamantem, ideo percussit eos. Quorum exemplũ innumeri hodie fiunt, indurantes cor suum, & nolentes adquiescere uerbo Domini. Sed oportune disperdentur. Et uere potior causa, propter quam expauescendo altissimi iudicio, fuimus tot sæculis, in seruitute plusquam Babylonica, Synagogæ Antichristorũ, fuit quòd adquieuimus mendacijs hominum, & ad sermonem Domini, ceruices nostras indurauimus. Solue Domine captiuitatem hanc, & congrega omnes filios tuos.

CAPVT OCTAVVM.

Summarium Capitis. Primum, de reuersione Domini in Hierusalẽ. Secũdo, quòd esset futura populosa. Tertio, quòd Deo nihil difficile. Quarto, de cõgregatione populi Domini. Quinto, admonet ut dei uerbo cõfortentur, prædicẽs quòd sint futuri semẽ pacis. Sexto, adijcit præcepta sanctißima. Septimo, de ieiunijs, quarti, quinti, septimi, et decimi mensis, uertendis in lætitiæ dies. Octauo, de gentibus uenientibus in nouam Hierusalem ad dominũ adorandum. Nono, de decẽ apprehẽdentibus fimbriã uiri Iudæi.

Pars

PARS PRIMA.

ET factum est uerbum domini exercituum, dicens: Hæc dicit dominus exercituum. Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit dominus exercituum: Reuersus sum ad Sion & habitabo in medio Hierusalem. Et uocabitur Hierusalem ciuitas ueritatis, & mons domini exercituum mons sanctificatus.

Quæ habentur hoc capite, nonnihil impleta sunt, in ea terrestri ac ueteri Hierosolyma, *sed perfectius in noua* Ecclesia *scilicet, per terrestrem figurata. Facile aũt est, textum hunc interpretari de eadẽ, ideo breuibus id agemus, ad spiritualẽ* Hierosolymam *& templũ transeuntes.* Igitur *ait* Dominus: *zelo zelatus sum* Sion, *& zelo quidẽ magno, maxime abominans oẽs impietates eius, uolẽs ut nõ alteri quã mihi hæreret.* Ideo *indignationem grauẽ misi in eam, euertens illam et totũ regnũ eius.* Nunc *autem cum adiratus fui, & iræ tempus præterijt, recepi iterum in gratiam* Sion *&* Hierusalem, *uolens ut denuo ædificetur.* Et *uocabitur ciuitas ueritatis, mons* Domini *exercituum, mons sanctificatus.*

Quid *est quòd* Hierusalem *promittitur futura, ciuitas ueritatis, mons* Domini *exercituum, & mons sanctificatus.* Nonne *idem fuerat antequam euerteretur? Siquidem*

quidem in ea fuerat ueritas, aliquando maxime sub Dauide. Fuerat quoq; electa & sanctificata à Domino. Exponunt quidam id de Christi diebus, quòd scilicet tum in ea fuerit ueritas. Fuit certe, uerum non nisi maxime conculcata, ita ut crucifigerent, eum qui est ueritas æterna. Sed ita sit, quòd utcunq; conueniat. Nemo tamen sanæ mentis negabit, id potissimum de Ecclesia dici.

Quid est, quòd tam zelatus est Sion illam atq; Hierusalem? Certe ob id uel primũ, quòd Ecclesiæ figura erat, & ut ostenderet, quòd nihil in Ecclesia nõ cõueniens uerbo suo esse debuit. Et uere ipsam Ecclesiam suam, zelo magno zelatus est, tot sæculis eam diuexans per Antichristos, eo quòd nonnulli ex filijs eius, hominũ figmenta prætulerint diuinis institutis. Sed nunc reuersus est ad eam, denuo palàm faciens eloquiorum suorum ueritatem, quã multis sæculis iudicio terribili, sub tenebris humanæ sapientiæ, siuerat abscondi.

In eius medio habitat Deus, adsistens fidelibus suis, quemadmodum Matth. ult. promisit. Ecce, inquit, ego uobiscum sum usq; ad cõsummationem sæculi. O utinam saperemus huius sermonis dulcedinẽ, quòd Deus in medio nostri esse dicitur, si ex Dei Ecclesia sumus. Is est sanctus ille Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Esa. 7.

Hæc uocatur Hierusalem, pacis uisio, quòd omnes filij eius sint uiri pacis, quòd fiant participes pacis Christi, quæ etiam inter mala quæcunq; tribuitur. Quod quia caro nõ capit, ideo ipsa Christi pax omnem sensum creatũ

exupera-

exuperare dicitur. Huius pacis copia, est in Ecclesia Dei ipsissima Hierusalem. Non est in ea pax sæculi huius, carnalis, misera, præteriens, & semper infecta. Nimirũ pax eius, est munda, sancta, hoc est, nõ cõmunis, incõcussa, firmaq; etiam in medio umbræ mortis. Da nobis domine pacem hanc.

Vocatur quoq; ipsa Ecclesia, ciuitas ueritatis, cuius nullus mẽdax ciuis. Ciuitas enĩ à ciuibus dicitur. Vide nũc quàm nõ cõueniat terrestri Hierosolymæ, ut uocaretur ciuitas ueritatis, quòd hominũ figmenta & mẽdacia, mox in ea supra modum increuerint, ut historiæ Euangeliorũ testãtur. Propter qđ potius mẽdacij quã ueritatis ciuitas dicẽda erat. Per id quòd Ecclesia ciuitas ueritatis dicitur, notum est, qui ad Ecclesiam spectẽt, nempe, nõ mendaces & hypocritæ, sed synceri amatores ueritatis. Hi enim sunt, super quibus scribitur nomen Dei, & ciuitatis eius nouæ Hierusalem. Apoc. 3. Ergo nullus ex Antichristis, pharisæis, sectarũ amatoribus, amicisq; doctrinarũ hominũ, ad Ecclesiam ipsam spectat, q, ueritas nõ sit in eo.

Dicitur itidem, mons Domini exercituũ, mons sanctificatus. De eo quòd dicitur mons Domini, late egimus. Micheæ. 4. Sanctificatus aũt est, hoc est, segregatus Domino. Et est sensus. Hic Ecclesiæ mons, nõ est prophanus, cõmunis, & ad quem sit cuilibet adceßus, sed est Dei solius, in usum ouium suarum, quæ in pinguißimis pascuis eiusdem montis pascuntur, et in eo requiescunt in herbis uirentibus. Eze. 34. In huius pascuis mõtis erat, qui dixit.

Dominus regit me et nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocauit. Psal. 22.

PARS SECVNDA.

Hæc dicit dominus exercituum. Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Hierusalem, & uiri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis complebũtur infantibus, et puellis ludẽtibus in plateis eius.

Literæ facies aperta est, nempe, quòd Hierusalem, quam tum reædificabant, adhuc futura erat populosa, & senibus & paruulis. Cæterũ quod ad mysterium, nouam scilicet Hierosolymã spectat, in ea sunt senes, anus et iuuenes, quia ex omni ætate suscipiũtur in eã, deo corda eorũ misericorditer illustrãte, et ad fidem trahẽte.

Quia aũt figura est de senibus, qui facti sunt senes in Hierusalem, forsan erit cõuenientius, imò certe est, si per senes & anus, eos qui diu in fide perseuerarunt, aut eos qui habent sensus spiritus uenerãdam caniciem, intelligimus, hi præsertim, qui præ multitudine dierũ, id est, præ syncera cognitione ueritatum dei (quæ uelut dies quidam sunt) hominem ueterem sic crucifixerunt, ut etiam ipse uetus homo baculo seu uirgæ eloquiorum dei necessario innitatur.

Infantibus uero puellis & pueris completur, hæc beatissima ueritatis ciuitas, dũ plena est sanctis, qui sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, suauissimũ ueritatis

ritatis lac cõcupiscunt, ut per illud horatim fide augeantur. 1. Pet. 2. & omni malicia paruuli sunt. 1. Corin. 14. Hi sunt, qui efficiuntur uelut paruuli, ut intrent in regnum cælorum. Qui in plateis ciuitatis ludunt, magna in deum fiducia, in cunctis eorũ operib. semper læti. Lusus ergo quidam electorũ, est lætitia in spiritu sancto, quã in omni opere parit uera fides. Lusus itidẽ sanctus, est psallere, ueritatem nunciare, meditari in scripturis, et id genus alia.

Ego peccator fatebor gloriam domini, & peccatum meum, quód ita ille me iudicat, quód uix ullibi pacem habeo, nisi cũ in diuinis literis meditor & ludo, sicut me illustrare dignatur. Fere autem in omnibus reliquis præpedior, & angustior uel nolens, & semper minor fio, donec ad ipsum spiritus ludum reuertor. Beatus cui placet, is sacratissimus ludus. Et is solus est, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Psal. 93. Ludite sancti dei, in plateis ciuitatis nouæ Hierusalem. Adducantur Christo regi uirgines, in lætitia, exultatione, & ludo spiritus, propter iudicia tua Domine.

PARS TERTIA.

Hæc dicit dominus exercituum. Si uidebitur difficile in oculis reliquiarum populi huius, in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit dominus exercituum?

Non est impossibile apud deum omne uerbũ. Lu. 1. *Et hic Dominus manifeste adserit, quod nec difficile quidem ei quidquam sit. Sublimia de hac noua Hierusalem prophetarant tã multi, Ezechiel præsertim, & is Zacharias, per quem nunc ait Dominus: Si reliquijs populi huius, qui fuerint in diebus illis, quibus ædificanda est ipsa noua Hierusalem, & perficienda per orientem illum, de quo supra cap. 3. & 6. Si, inquam, his qui tum residui fuerint, hæc res difficilis uidebitur, sciãt quod mihi omnia facilia sunt. Q. d. Ego uerax sum, et potens, ut adimpleã omnia quæ promitto. Nolite ergo dubitare, de impletione eorum, quæ nunc promitto uobis. Facile est ergo Domino perficere Ecclesiæ structuram, quam cœpit, quam & perficiet, quantumuis insaniant impij omnes.*

PARS QVARTA.

Hæc dicit dominus exercituũ. Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra occasus solis, & adducam eos, & habitabunt in medio Hierusalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in ueritate & in iustitia.

Notum est, congregationẽ electorũ in unam Ecclesiam, hic prænũciari. Quandoquidẽ ex toto mundo cõgregantur. Totus autẽ mũdus, oriẽte et occidente,

dēte, nō raro figuratur. Hic *psal.* 112. *A solis ortu usq; ad occasum, id est, in toto mūdo, laudabile est nomē domini.*

Vide quoque ex hoc loco, ꝙ non tam de terrestri, quā de noua illa Hierosolyma *hæ prophetiæ capiuntur.* Nun*quam enim factum est, nec fiet ut totus* Domini *populus habitarit, aut in futurum habitet in medio terrenæ illius* Hierusalem. *Est ergo noua* Ecclesia, *scilicet in quam nō congregari uniuersos electos impossibile est.*

Porrò quotquot in eam congregantur etiam è gentibus, fiunt populus Domini, *& non iam sunt illis idola, sed dominus* Deus Israël, *est* Deus *eorum in ueritate & iustitia.* Deus *sanctorum* Deus *in ueritate dicitur, ꝙ sit uerus* Deus, *uera doceat, uerósque amet, & omne mendacium abominetur.* Denique *in ueritate iuuat suos: punit impios: & uniuersa eloquia sua in ueritate seruat: ab eo non est mendacium, sed ueritas, ideo ueritatis* Deus *rectè appellatur.* Est *quoq; nobis deus in iustitia, quia iustus, ꝙ ab eo sit uera iustitia, & solus ipse uere iustificare possit.* Er*go nō est ab alio iustitia, nisi mēdax, hypocritica, fallax.*

PARS QVINTA.

Hęc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus uestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. Siquidem an

te dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorũ erat, neque intre eunti et exeunti erat pax præ tribulatione, & dimisi omnes homines, unumquemque cõtra proximum suum. Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum, sed semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum. Et cœli dabunt rorem suum, & possidere faciam reliquias populi huius uniuersa hæc. Et erit. Sicut eratis maledictio in gentibus domus Iuda, & domus Israel, sic saluabo uos, & eritis benedictio. Nolite timere. Confortentur manus uestræ, quia hęc dicit Dominus exercituũ. Sicut cogitaui ut affligerem uos, cum ad iracundiam prouocassent me patres uestri, dicit Dominus, et non sum misertus, sic conuersus cogitaui in diebus istis, ut bene faciam Hierusalem et domui Iuda. Nolite timere.

Multis & eisdem efficacissimis argumentis consolatus est populum Iuda in templi opere, quod cœperat. Et primum quidem dicit, ut confortentur manus eorum, id est, ipsi, in opere scilicet domus Dei, nihil formidantes hostium suorum impetum. Sed unde uult eos confortari? Verbo Dei. Confortemini, inquit, uos qui auditis

ditis ſermones Prophetarum, qui promittunt uobis ex me quòd non poterunt præualere in uos uniuerſi hoſtes ueſtri. Et nos quoq;, quibus indubie hic ſermo non minus dicitur, quàm Iudæis, conſortemur in opere noui templi, nouæque Hieroſolymæ Eccleſiæ. Donabit quippe Deus, ut omnes pietatis hoſtes, ſemper inuicta uerbi ſui potentia conterantur. Neq; dubitemus cœptam Eccleſiæ ſtructuram conſummandam, quantumuis inferorum portæ inſaniant.

Oſtendit poſtmodum, quàm nihil proſpere haberent, antequam ædificarent ipſum templum, quod paulo copioſius habes in Aggeo, utroq; capite. Promittit autem ſe diuerſum illis miſſurum, nempe pluuiam in tempore ſuo, & uina & frumenta, & omnes terræ fructus. Et nobis ſi perrexerimus in opere Domini fideliter & cum diligentia, nihil deerit, etiam ſi non iuxta carnis affectus abundauerimus. Etenim illi cura eſt de nobis.

Promittit quoque eis, quòd non ſint ultrà futuri in maledictione inter gentes, ſed in benedictione, quodq; non iã uelit affligere eos, ſed bene facere Hieruſalem & domui Iuda. Obſerua lector, pasſim nonnullos locos, quibus noſſe potes præcipuum harum promisſionum ſcopũ, in Chriſto ſolo & Eccleſia impleri, nondúmque in Iſraël impletas eſſe ipſas promiſſiones. Ecce enim ꝙ hic dicitur, ꝙ reliquiæ populi huius, ſemen pacis erunt. Deniq; promittit, quòd domus Iuda & domus Iſraël ſint futuræ in benedictione inter gentes. Certum eſt autem, ꝙ poſt

reædificatam

reædificatam Hierosolymam non fuerint absq; bellis, ut patet in libris Machabæorum: neq; fuerunt in pace, sicut hic textus in faciem spõdet. Deniq; non est consuetudinis Scripturarũ, ut ab alia pace filios pacis appellet, quàm à pace spiritus Dei, cuius dominus IESVS Christus Esaiæ nono princeps uocatur. De reliquijs ergo solis Israëlis maxime de Apostolis, ac his qui in dierum nouissimo con uertentur, atq; etiam de electis omnibus, qui ad uerum Israël spectant, hi loci capiuntur.

De eo quòd dicit: Domum Israël & domum Iuda futuras in benedictione inter gentes, certum est de Israëlis domo, regno scilicet decem tribuum nunquam impletum, sicut multis locis probauimus, maxime Amos nono, quod implendum non dubitamus in nouissimo dierum, quando uenient, & quærent dominum Deum suum, ac Dauid regem suum, & pauebunt ad bonum eius, Oseæ. 3. Tum in eis adimplebitur, quod in electis omnibus dei munere fit, nempe q. erunt semen pacis, & possidebunt in copia frumentum, uinum & oleum, pluuiamq; matutinam ac serotinam, per quæ non nisi uerbum & spiritum Domini intelligimus. Nimirum diuersis respectibus per hæc uerbum Domini figuratur, ut diximus Oseæ. 2. Non enim intelligimus de solis his carneis rebus. Nam quid Ecclesiæ Dei, & copiæ istorum? Habentes uictum & uestitum, his contenti sumus. Nec multum fuißet ista promisiße, quæ etiam impijs & brutis communia sunt. Alia ergo ab istis, frumentum, uinum, oleum, & pluuiam promisit

ueris Israëlitis Deus, quæ & illi summe desyderant.

In benedictione deinde uera sunt inter gentes & incredulos. Vbique enim à Domino benedicti sunt. Ideo sæpe adhortatur eos, ut confortentur, & ne timeant, hoc est, ne diffidant, sed in magna fiducia agant semper.

PARS SEXTA.

Hæc sunt ergo uerba, quæ facietis: Loquimini ueritatem unusquisque cũ proximo suo. Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis uestris, & unus quisque malum contra amicum suũ ne cogitetis in cordibus uestris, & iuramentum mẽdax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit dominus.

PRimum iubet, ut quisque ueritatem loquatur cũ proximo suo: ne quis doceat mendacium & traditiones hominum. Contra hoc faciunt Antichristi & prophetæ eorum, ac uniuersi mendaces.

Secundo præcipit, ut iudicent ueritatem, & sit iudiciũ pacis in portis. In portis dicit, quòd moris tum fuit, ut in portis omnes caussæ definirentur. Sensus est: Cum nuda ueritate, & secundum uerbum meum iudicate inter uirũ & proximum suum.

Tertio, ne quis malum cogitet apud se aduersus proximum suum, q; eiusmodi cogitationes sint Deo abominabiles.

les. Vbi sunt cæci, qui dicunt, olim sub lege non prohibitum affectum, sed solam manum? Quid ergo est hoc? Nemo cogitet in corde suo malum contra proximum suum.

Quarto, quòd iuramentum mendax nemo diligat, ne scilicet quispiam abutatur nomine suo. Contra quod faciunt Synagogæ hypocritarum & Pharisæorum, cum totó schismatico regno. Propter quod sunt Deo abominabiles.

In primo præcipit ueritatis eloquium, & prohibet sermonem mendacij. In secundo iubet rectum iudicium, interdicens peruersum. In tertio prohibet odium proximi, & charitatem erga eum iubet. In quarto uetat omnẽ abusum nominis eius sanctissimi, & reuerẽtiam erga illũ iubet. Porrò eum qui nõ acquiescit imperio suo, odit, q; ea faciat, quæ Deus ipse abominatur, ut hic manifeste habes.

PARS SEPTIMA.

Et factum est uerbum Domini exercituum, ad me dicens. Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & in lætitiam, & in solennitates præclaras. Veritatem tantum & pacem diligite.

Iudæi ferunt ieiunium quarti mensis, qui apud nos Iunius est, celebrari die decimaseptima eiusdem mensis, quando Moses descendit de monte, & uisis coram uitu

lo aureo

lo aureo saltantiũ choris, tabulas confregit, quo etiam die Hierusalem capta est. Ieiuniũ quinti mensis fuisse ob euersionem Hierosolymæ et templi. Ieiunium uero septimi, ob Godoliæ interfectionem ab Ismael, dispersasq; proinde Iudæorum reliquias. Hier. 41. Ieiunium uero decimi, qđ fuerit, non reperio. Non enim congruit id quod nonnulli dicunt, tum solum Hierosolymæ & templi combustionẽ, innotuisse Iudæis qui in Babylonia erant. Non enim est uerisimile. At quacũq; caussa constituti à Iudæis fuerint hi ieiuniorum dies, certum est, Deum uoluisse, ut ipsi dies mœroris in dies lætitiæ & solennitates præclaras uerterẽtur domui Iuda & Hierusalem. Quæsiuit tantum ab eis, ut ueritatem & pacem diligerent. Veritatem quidem, non quam mundi sapientia ueritatem esse putat, sed eam, quæ à Deo est, æternam, impollutam, semper inuictam, et omnia uincentem. Pacem uero non quam mundus dat, sed quam mundus capere non potest, immo quã damnat, eo q; ignoret eam. Hæc est pax Domini IESV Christi, Beatus qui eiusdem particeps factus est.

Ad ueritatem pertinent fides, & fructus eius, syncere & sine fraude ambulare in omni negocio, & alienũ esse ab omni mendacio, malignitate, dolo: ad pacem uero quærere bonum proximis, & uitare modis omnib. ne ulla in re dominus irritetur, ideoq; uigilantissime seruare uniuersas iussiones eius.

Quid hoc sibi uult, quòd dies mœroris iussit conuerti in dies gaudij & exultationis? Potissime enim nobis hæc diriguntur.

diriguntur, & uniuersis electis, in quos fines seculorum deuenerunt. Id obserua, quod tum mœrorem iussit uerti in gaudium, cum in domus Dei structura fideliter progrederentur. At in professo est, domum Dei Ecclsiã esse, quam uir ille Oriens ædificaturus prædicitur. Supra capite sexto. Fit autẽ eiusdem structura, uerbi Dei instantia, & multorum ad ipsum uerbum conuersione, fideliq; eiusdem receptione. Quod antequam fiat, quid nisi perpetui mœrores & luctus? Vbi autam id fieri Dei misericordia conspicimus, præcipitur nobis, ut ceßent mœroris & tristitiæ dies, sed magis agamus lætitiæ dies, & confiteamur illi. Et uere inæstimabile est fidelis pectoris gaudium: immo secura mens quasi iuge conuiuium. Lætemur ergo in domino Deo nostro & ueritate eius. Sint nobis omnes luctus & ieiuniorum dies in solennitates præclaras, hoc est, in omni tribulatione lætemur, quod interim ædificentur Hierusalem templumq; Domini. Ieiunemus, sed à uitijs & mendacijs hominum. Et si secundum corpus ieiunamus, nõ fiat in tristitia, hypocrisi et inuento hominum, sed ex fide & libertate spiritus Dei. Cum ieiunamus, non simus uelut hypocritæ, tristes: sed simus læti in Domino. Veh ieiunantibus ieiunia quarti, quinti, septimi & decimi, id est, omnia in mœrore, quasi domus DEI non ædificaretur. Vere inter fideles nulla debent constitui ieiunia mœroris, sed si quis peccauit, & mouetur spiritu ad ieiunium, & id bonum putat, ieiunet tum ex spiritu, fide & ueritate. Ex fide, dico, IESV Christi, & proprij

operis

operis diffidentia: ex ueritate uero sine hypocrisi, & ex toto corde. Bonum est ieiunium cum oratione & eleemosyna, sed si ex fide & ueritate, alioqui non nisi peccatum est. Nimirũ quicquid non est ex fide, est peccatum.

PARS OCTAVA.

Hæc dicit dominus exercituum: Adhuc uenient populi multi, & habitabunt in ciuitatib. multis, & uadent habitatores unus ad alterum, dicentes: eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum. Vadam etiam ego, & uenient populi multi & gentes robustæ ad quærendum dominum exercituum in Hierusalem, & deprecandam faciem Domini.

Quidam exponunt de Iudæorum populo priorem huius textus partem, ego autem id nõ puto nisi de gentibus capiendum, sic: Adhuc uenient, non dubium quin in Ecclesiam gentium populi, & habitatores urbium multarum, & ibunt habitatores earundẽ urbiũ, unus ad alterum, se mutuo ad fidem inuitantes, & dicentes: Eamus & deprecemur faciẽ domini, & quæramus dominum exercituũ, hoc est, credamus in eũ, fidamusq; illi, ab eo solo postulantes auxilium. Et respondebit alter habitator alteri: Vadã & ego, acquiescens tuæ admonitioni, ut

quæram

quæram dominũ tecum, uno animo, uno ſpiritu, una fide.

Verſio Hieronymi habet. Vſquequo ueniant populi, & habitent in ciuitatibus multis, & uadant habitatores. Sed quia non ſatis congruere uidetur, & ſenſus nimium implicitus eſſet, hunc locum poſui iuxta uerſionem Septuaginta, quos non dubito ſcopũ huius textus plenius & certius agnouiſſe, quàm diuum Hieronymum.

Et ſic uenient populi multi et gentes robuſtæ, altero alterum excitante & inuitante, ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem, in Eccleſiam ſcilicet: & ad deprecandum faciem Domini. Certum eſt, nonnullos è gentibus ueniſſe, & adoraſſe in Hieruſalem illa terreſtri, uerum non tam multi, ut hic ſignificari uidentur. Vnde liquet de Hieroſolyma noua, Eccleſia ſcilicet, id genus locos enarrandos.

Arbitror, quòd à locis eiuſmodi, nonnulli ſanctam rem putarint eſſe, Deoq; acceptiſſimam, ſi Hieroſolymã peterent, ad eam peregrinaturi. O utinam aboleretur doctrina hæc dæmoniorum, de uotis peregrinationum, ſiue Hieroſolymam, ſiue Romam, ſiue ad ſanctum Iacobũ, ſiue ad diuum Nicolaum, ſiue ad alios quoſuis. Non enim profecta ſunt hæc niſi à ſpiritibus impoſtoribus, & rapacitate Antichriſtorum, per hæc impinguantium uentres ſuos, & ex rapta pauperum ſubſtantia, implentium manticas ſuas, ac tabernacula. His ſiquidem rapinis horum prædonum tabernacula abundant.

Diuagantur ea ratione plurimi in ſuam & familiæ

ſuæ

suæ perniciem, nihil aliud discentes, ut in omnibus fermè huiusmodi peregrinis uidemus, quàm quòd fiunt leuiculi, loquaces, gloriosuli, temerarij, & mendaces. Interim, ô bone DEVS, quot adulteria, fornicationes, incesta, & aliæ innumeræ abominationes ea caussa perpetrantur. Vbi tum cura familiæ, quam districtissimè iubet Deus? Vbi studium uerbi Dei, & meditatio eius, fidelibus die ac nocte necessaria?

Quid frustra cursitant, cæci & miseri homines? Nonne DEVS ubique est, & non iam apud Hierosolymam terream, sed apud eam, quæ de cœlo descendit, est in spiritu & ueritate requirendus & adorandus? Ioannis quarto: Venit hora, dicit DOMINVS, in qua ueri adoratores, non Hierosolymis, sed in spiritu & ueritate adorabunt patrem. Quid ergo non acquiescis DOMINO? Dissipet Dominus omnes eiusmodi hypocriticos & execrabiles discursus, qui non nisi à spiritu uanitatis & mendacij profici sci queunt.

Vis bene & sanctè peregrinari, ô frater? Scias te non habere hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirere, si ex Deo es, & donec uiuis, agnosce te à DOMINO peregrinum. Vide per dies singulos, an in uera Hierosolyma sis, in Ecclesia Dei scilicet. In ea es, si uere credis, alioqui minime. Proba ergo fidem tuam, & uide, ne extra Hierosolymam uiuas, id est, ne sis incredulus

uerbo Domini. *Quòd si quid incredulitatis in te deprehendis, ingemisce, quòd extra* Hierosolymam *sis, & cõfestim regredere in eam.* D*iscurre, festina, & noli cessare, quousq; in eam dei misericordia denuo recipiaris.* Gloriosa *dicta sunt de te,* Hierusalem *ciuitas* Dei. *Ideo beati omnes ciues tui, alij uero maledicti.* Nimirum *habitare in te, summum gaudium, summaq; lætitia est.* Es *uanq; urbs perfecte lætantium electorum, & omnes ciues tui sancti, & filij* Dei *sunt.*

PARS NONA.

Hæc dicit Dominus exercituum. In diebus illis in quibus apprehẽdent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam uiri Iudæi, dicentes: Ibimus uobiscum. Audiuimus enim, quoniam Deus uobiscum est.

M*anifestissima est hæc prophetia, de* Christo *et* A*postolis, qui* I*udæi erant, seu* I*sraëlitæ, itidem de conuersione* Gentium *ad* Christum *per ministerium* Apostolorum. *Quid per decem nisi multos intelligimus?* Decem *ergo, id est, multi ex gentibus cunctis apprehendent fimbriam uiri, non solum carne, sed & spiritu,* I*udæi, cuiusmodi erant* Apostoli, *dicentes:* I*bimus uobiscum, uobis sociabimur, desyderantes fidei & ueritatis, quam habetis, esse participes.* Audiuimus *enim, quia uobi*

scum

ſcum eſt dominus IESVS Chriſtus, deus uerus & homo uerus, quòd ſcilicet cum eo fuiſtis conuerſati, etiam iuxta carnẽ, & uobis ſemper adeſt, per uos mirifica operans.

Iudæi quoq; ſunt uniuerſi fideles, in ſpiritu & ueritate, & in ſemine Abrahæ ſupputantur. Hos decem, hoc eſt, multi ex his qui ad Synagogam Antichriſtorum, ſiue incredulorum ſpectant, illuſtrati à domino, alieni fiunt ab ea Synagoga, & apprehendunt uirum unum è fidelibus, et Iudæis ueris, dicẽtes, ut ſuprà: Ibimus tecum, & ſequemur fidem, quam aſſeris, quòd uobiſcum ſit deus. O utinam id uideremus in incredulis multis, qui cum nihil minus amẽt, quã Chriſtum, pro ueris fidelibus haberi uolũt. O quàm beati eſſent, ſi apprehenderent fimbriam unius uiri Iudæi, id eſt, fidelis, et ſequerẽtur uerbũ, qd' ille habet.

Sed quid eſt apprehendere fimbriam? Modus eſt loquendi ſignificans magnum affectũ dicentium: Ibimus uobiſcum: itemq́; dilectionem eorũ ad Deum, uerbumq́; ſuũ & amatores eius. Non enim æſtimo, quòd aliquid ſit per fimbriam ſpecialiter capiendum. Maledictus qui abijcit fimbriam uiri Iudæi, & cum eo ire recuſat.

CAPVT NONVM.

Summariũ capitis. Primũ, de mirifica gentium conuerſione ac ſanctificatione. Et ibi inſignia multa. Secundo, de aduentu Chriſti ſedentis ſuper aſinam, quẽ regem, iuſtũ, & ſeruatorem noſtrum uocat. Tertio, ꝙ fideles nõ habebunt

fiduciam in ullum carnis robur, & de potentiæ Christi dilatatione. Quarto, q; Christus uinctos per proprium sanguinem soluit. Quinto, iubetur uinctis spei, ut properent ad munitionem, duplicia recepturi. Sexto, de uerbo Dei ac ministris eius, & ibi multa de Ecclesia.

PARS PRIMA.

Onus uerbi domini in terra Adarach et Damasci requiei eius, quia domini est oculus hominis, & omniũ tribuũ Israel. Hamath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon. Assumpserunt quippe sibi sapientiam ualde. Et ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argentum quasi humum, & aurũ, ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur. Videbit Ascalon, & timebit, & Gaza et dolebit nimis, & Acharon, quoniam confusa est spes eius. Et peribit rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur, & sedebit separator in Azoto. Et disperdam superbiam Philistinorum, & auferam sanguinem eius de ore eius, et abominationes eius de medio dentium eius. Et relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux

dux in Iuda, & Accaron quasi Hiebuseus.

Textus hic sacratissimus in faciem uidetur asper, q̃ de percussione Dei & deuoratione per ignem agatur. sed cum tandem ait, q̃ Azotus relinquetur deo nostro: et Accaron erit quasi Iebuseus uel Iebus, notum facit, quòd agat de uocatione gentium in Ecclesiam IESV Christi: ideo totus hic textus de gentium conuersione est enarrandus.
Igitur primum uidendum est de onere domini, de quo praeter ea quae diximus Abac. 1. atq; alijs locis, obserua, quòd omnis sermo dei onerosus est carni & sanguini, maxime ubi de conuersione agitur, eo q̃ non possit fieri, ut uerba spiritus Dei carni placeant. Vnde recte dicitur in huius prophetiae initio: Onus uerbi domini, in terra Hadrach et Damasci requiei eius.
Quidam Hadrach putant spectare ad Iudaeam, sed nõ habent, unde id confirment: alij dicunt Syriae oppidum esse, aut terram eiusdem regni, quod magis arbitror, q̃ & Damascus mox adiecta caput Syriae esset. Esa. 7. Audi onus Syriae, immo & omnium gentium, id est, incredulorum. Quia domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israël. Quid oculi, nisi iudicium & sensus? Sensus ergo omnis hominis, & omnium tribuum Israël in manu Domini est? ab eo enim est omnis sapientia. Quia autem uera sapientia maxime fuit in populo Israël, ob Dei eloquia eidem credita: ideo de eis speciatim meminit, ut quic

quid sapientiæ in eodem populo fuit, ab eo profecta nõ dubitetur. Hoc non sustinet impia caro, quæ in propria sapientia gloriatur, & pro ea Dei sapientiam calcare nititur. Proinde habet pro onere grauissimo sermonẽ præscriptum, nec illi credit, nempe ꝙ omnium hominum sensus in manu Dei sit.

Dicit igitur: Onus uerbi Domini in terra Hadrach, id est, Syrorum & Damasci requiei eius, hoc est, quæ terra Hadrach & Damasci est requies oneris uerbi Domini. Nimirum in ea implebitur ipsum uerbum & onus.

Septuaginta uerterunt: Quia Dominus respicit homines & omnes tribus Israël. Et hoc quoq; est onus importabile carnalibus. Summe nanque odiunt, nec credunt, quod Domini oculi sint super omne hominum genus, & de omnibus illi sit cura: quodque ab eius decreto omnia pendeant, & uita & sensus, & quicquid omnino circa eos contingit. Porro id quod dicitur, Respicit, generatim positum est pro omni dei animaduersione, aduersum impios, maxime de ea qua impios conuersurus, impietatem eorum iudicat & perdit, & sic quidem, ut iam non sint quod erant. Vtraq; uersio catholica est, uerum lectoris iudicio relinquimus, quæ Hebrææ simplicitati magis consentiat. Mihi magis probatur & plus arridet uersio prima, tametsi neq; secunda displicet. Vbiq; enim multi duco uersionem Septuaginta.

Hamath quoque in terminis, in uicinia Syriæ, & Tyrus & Sidon, supple, onus suum habebũt. Quare? Quia

assumpserunt

adſumpſerunt ſibi ſapientiam ualde, hoc eſt, nimis fuere prudentes, & ſupra modum ſuo ſenſui multum tribuerunt. Vide quàm multum odiat Deus huius ſæculi prudentiam, & quàm uerum ſit, quod pauloante diximus, nempe, in manu eius eſſe omnem ſapiẽtiam, & ſenſum, quod ſapientia huius ſæculi non agnoſcit, ideo illi ſummo odio eſt. Deniq; nihil minus eſt, quàm ſapientia coram Domino. Idcirco Ezech. 28. multis argumentis Tyri ſapientiam deridet, ut eodem loco, Deo uolente, oſtendemus. Et uere etiam in hoc loco, non niſi deriſorie de ea meminit. Adſumpſerunt, inquit, ſapientiam ualde. Qu. d. Putant ſe admodum ſapientes eſſe, cum ſint maxime ſtulti.

Sed Tyri exemplo, audiamus cuiuſmodi ſit huius ſæculi cæca ſapientia. Aedificauerat ſibi munitionem ſuam, & coaceruauit ſibi argentum quaſi humum, & aurum ut lutum platearum. Putauit ſibi hæc poſſe dare ſalutem & uictoriam ab hoſtibus cunctis, ſed nihil profuit. Fuit enim euerſa per Babylonios, ut patet Eze. 26. & 27. & demũ capta ab Alexandro. Verum non puto hanc ultimam eius uaſtationem, hic prænunciari ut quidam ſcribunt. Etenim quod hic ait, Dominus poſſidebit eam, percutietq; in mari, ac quòd igne deuorabitur, non niſi de euerſione impietatis intelligitur. Tum Dominus Tyrum poſſidet, cũ eam uerbo ſuo ſubiecit, percuſſit in mari, dum eius impietatem uicit potentia eloquiorum ſuorum, non obſtante omni carnis robore ac ſapientia & altitudine, igne deuorauit, dum in eam miſit ſpiritus ſui ignem, quem uult uehemen-

hementer accendi. Tyrus autem & Sidon, & reliquæ gentium urbes hic positæ, omnes gentes & incredulos significant, Quemadmodum & Psal. 80. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Qui uersus multum cum hoc textu facit. Nimirum agit de aduentu gentium in Ecclesiam Christi,

Porrò dū Ascalon, Gaza, Accaron et Azotus, primæ Philisteorū ciuitates, uidebūt Syriam, Tyrū, Hamath, & Sidonem, uerbo Domini uictas, & quasi igne uoratas, timebunt, expauescentes ad uerbum Domini, quod illis est pro onere grauissimo, cum caro sint. Timebunt quoque cum uictam cōspexerint eam, in qua maxime sperabant. Ergo spes carnalium, caro est. Fidunt amicis, potentiæ, diuitijs, & id genus caducis rebus. Sed nulli tutum fidere, nisi Domino. Corruit namq; omnis sæculi altitudo. En quòd omnes carnales timent, ubi uident potentiam uerbi, quòd nostro sæculo apertißime conspicimus. Ad quid enim Antichristi & Pharisæi, in Gallia, Burgundia, Brabantia, Lothoringia, Flandria, & alijs regionibus multis, tam insaniunt in uerbum Domini, & uniuersos professores ac amatores eius, nisi quia uident totam fermè Germaniam, Dei sermonibus uictam, et Dei ignem in ea tam ardentem, ut pro nihilo habeantur omnes eorum imposturæ, & ideo timent ne tale quiddam illis contingat. Sed insaniant, ut uoluerint, sedebit tandem separator in Azoto, separator, inquā, ille qui diuidit preciosum

à uili,

à uili, sedebit & regnabit, in omnibus regionibus, in quibus Antichristi & ueritatis hostes regnant. Et disperdet Dominus omnem Philistinorum, hoc est, impiorũ superbiam, cum uel nolentes ad infima compellet, & humiliabit. Bifariam autem horum superbia destruitur, primum dum à sæculi fastigio deijciuntur, secundo, dum spiritus Dei munere uere humiles fiunt. Confidite sancti Dei, & confortentur manus uestræ, & ne absterreamini ab altitudine Satanæ quam in filio illo perdito, suisq; mitratis ac Pharisæis conspicitis. Venient dies, quibus disperdetur eorum superbia, & deponentur à sedibus suis. Dominus autem regnabit in omni terra, & calcabit hostes suos, ponetq; eos scabellum pedum suorum.

Sed quid ultrà prædixit de Azoto Zacharias, in uerbo & persona domini? Et auferam, inquit, sanguinem &c. Quid per ablationem sanguinis, & abominationum, de medio oris & dentium intelligitur, nisi ablatio tyrannidis, & cõuersio ad benignitatẽ? Ergo magna est mutatio dexteræ excelsi, qui facit ex lupis oues, ex psecutoribus, amicos, & ex inimicis, charitate uera iunctissimos. Quæ dum fiunt, qui prius ad Synagogam perditionis adtinebant, Deo nostro relinquuntur, & supputantur in fidelibus suis.

Et erit Azotus, quasi dux in Iuda, & Accaron quasi Iebuseus. Ego puto hic per ducem intelligi primam urbem, ut sit sensus. Azotus cum fuerit facta sedes separa-

toris dei, & Domini nostri IESV *Christi, ac sanguis et abominationes, ablatæ fuerint, ab ore & dentibus suis, adsimilabitur, primæ urbi Iuda, in cultu* Domini. *Quod sequitur:* Et Accaron *quasi Iebuseus, siue Iebus, eundem sensum habet. Quid enim Iebus, nisi Hierusalem? Siquidem trinomina fuit, Salem, Hierusalem, Iebus, ut Hieronymus ponit. Summa. Id uult spiritus* Dei, *quòd in omni loco etiam gentium erit uerus cultus nominis eius.* Et *erit quælibet urbs, noua quædam* Hierosolyma, *ob uerbi sancti præsentiam, & perfectum* Dei *cultum.*

Et circundabo domum meam ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes, & nō transibit super eos ultra exactor, quia nunc uidi in oculis meis.

Domum Dei Ecclesiam *esse, notum est.* Deniq; *fideles ueri, eius milites sunt.* 2. *Timo.* 2. *Labora ut bonus miles* IESV *Christi. Euntes & reuertentes, hoc est, promptissimi & fortes ad ministeria & custodiam eiusdem domus. Siquidem militem esse magnanimitatem designat, & fortitudinem, ire uero & reuerti diligentiam, ac celeritatem, id quod maxime de ministris uerbi intelligitur. Qui nunquam redeunt, aut reuertuntur nisi cum mouentur à spiritu* Dei. *Nimirum solum eius spiritū sequuntur.*

Porrò *ubi id fit, super eos qui ad domum siue* Ecclesiam Dei *attinent, non est ultrà transiturus exactor.* Exa*ctores uarij sunt, lex, peccatum, mors, & infernus. Cæterum mox ubi adsunt milites Christi, & fideles ministri*

uerbi

uerbi eius, fieri non potest, ut non sint, qui adquiescant uerbo Dei, & illi credant. Quod dum fit, cessant exactores praescripti, quia nulla est condemnatio, his qui sunt in Christo IESV, Roma. 8. Id aũt suae certissimae cognitionis testimonio, Deus adserit dicens: quia nunc uidi in oculis meis sup. quae praedixi. Qua loquendi ratione usus est, ut significantius exprimeret, uiuacitatem & certitudinem cognitionis suae.

PARS SECVNDA.

Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus ueniet tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.

MOx ubi de exactoris cessatione prophetauit, de eo per quem cessauit exactio agit, nempe, de Domino IESV Christo, cui dicitur Esa. 9. Iugum oneris eius, & uirgã humeri eius, & sceptrũ exactoris eius superasti, sicut ĩ die Madian. Quod aũt de ipso capiatur hic textus, patet Matth. 21. & Ioan. 12. Neq; putandum est, aliud esse, quod illi habent, cum non posuerant. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem. Matthaeus enim posuit, dicite filiae Sion Et. Iohannes: Noli timere filia Sion, sed sensu à Zacharia minime dissentiunt. Matthaeus quippe, praeceptum Dei, factum Zachariae, & non dubium

bium quin etiam alijs explicuit, quo iussit, ut humiltatem regis Christi uenturi in adsumpta carne Hierosolymam prænunciarent, filiæ Sion & Hierosolymæ. Quia autem præscripta prophetia, uoluit spiritus dei, ut Sion fiducialiter ageret & consolaretur, spe futuri, eiusdemq; indubitati aduentus Domini seruatoris, id Iohannes explicuit, quod certum est, ipsum dei spiritum uoluisse, dicens: Noli timere, hoc est, noli diffidere, sed multa fiducia age, nam ecce rex tuus &c.

Per id obserua, quàm sæpe à sanctis Apostolis, non fuerint uerbotim allegati bibliorum textus, nisi qua ratione habent Septua. aut non nisi iuxta sensum. Quod puto deo prouidente factum, ut damnaretur quorundam superstitio & uanum studium, quo putant nihil recte ex diuinis literis allegatum, nisi ubi uel etiam uel iota unum ex literæ superficie non dimittitur, cum in ueritate magis sit allegandus sensus ex sensu, quàm uox ex uoce, modo notum sit uerum sensum spiritus esse. Quod certo argumento agnosces, aut ex locorum circunstantia, aut ex apertis scripturæ testimonijs. Proinde his qui dicunt, perplexum esse, si ex spiritu dei loqueris, necne, nec nobis licere, qd' Apostolis licuit, dicimus primum, nobis haudquaquam licere in omnibus, quòd ipsis Apostolis licuit, uerum quod ad scripturarum allegationes spectat, idem per omnia nobis licere, modo testimonium certum habeamus eloquiorum Dei, quæ sunt testimonia uoluntatis & ueritatis eius. Psal. 18. & 118. Imò eorum exemplo utãdum nobis

est,

est, ne uocum prolatione nimium torqueamur, modo à scopo minime aberremus. Sufficit enim dicere quod uult spiritus, quomodolibet illud allegaris ac protuleris. Crede mihi lector, tantum adnitere, ne à sensus simplicitate apostates, ne male tibi sit, si literam inutiliter obseruaris. Non dico, ut non alleges textus, ut sunt, sed ut id maxime uideas, ne à sensu spiritus alienus sis, & aliud doceas, ex uerbo Dei, quàm uelit Deus, & per id male habeas, & iudiceris coram Domino. Liberum tibi sit uoces omnes allegare, sed non liberum philosophari super omnibus, nec ut quem uolueris sensum adferas. Magis captiua sensum tuum, sub sensum spiritus IESV Christi, sicut necesse est. Ergo tu ipse uide, an Dei munere, sensus habeas tam exercitos, in sanctis eloquijs eius, ut possis adsumere potius sensum ex sensu, quàm uerbum ex uerbo. Si id adcepisti, noli tam anxie literæ inniti, quo minus sensum uideas: sin minus, allega quàm simplicius uales textum, & ex eo sensum collige, quem docet spiritus Dei.

O quàm multos seducunt, uocum superfluæ obseruationes. Etenim nonnulli fermè insaniere stolidissimis commentarijs, nihil tandem, quod uellet spiritus adferentes. En quod uetus instrumentum, lingua Hebræa datum est. Quod si iuxta uocum eiusdem linguæ ordinem, & rationem, quis uertit ipsum instrumentum in linguam nostrã, quis obsecro sensus uidebitur. Et si latinam linguam, quis uertit in Germanicam, obseruato omnium dictionum ordine, quis Germanorum profitebitur ipsam uersionem germani-

germanicam eſſe, cum uix intelligere poſſit ſenſum eius.

Profecto, quemadmodum hi qui uertunt diuina eloquia è linguis in linguas maxime id obſeruare debent, ne uel iota unum, è ſenſu dimittant, nihilq; omnino mutent è dictionibus, ex quibus pendet tota res, aut quidquam addant, quod alium ſenſum faciat, uel in minimo quidem; ita uniuerſi miniſtri uerbi eiuſdem, aut concionando, aut ſcriptis idem uerbum enarrãdo, facere debent. Tu quoq; etiam ſi miniſter uerbi non ſis, non minus idem obſeruare debes, cũ dei legem meditaris. Senſum ſpiritus quære, & inuentum ſequere, ſumme autem uita, ne in dei eloquia, aut tuum, aut alienum quencunq; ſenſum adferas. Delicatus & precioſus eſt ſenſus ſpiritus dei, & non uult alteri commiſceri.

Sed tandem redeundũ ad Prophetæ ſermonem. Quid dicitur filiæ Sion & Hieruſalem? Exulta ſatis, hoc eſt, uehementer, & iubila. Exultatio gaudium eſt, quod etiam externis ſignis palàm fit: iubilus uero eſt uox, à nimio cordis gaudio prodiens, qua non niſi uel paululum ipſum gaudium exprimitur, imò per eam exprimi nequit, ut eſt ſynceriſſima prædicatio, eius qui perfecte nouit & guſtat ueritatem. Nimirũ ei qui uere guſtat bonum dei uerbum, ad illud exprimendum, uocum penuria eſt, quòd plura abſque ſimilitudine meditetur, quàm loqui poſſit. Ideo recte ubi nos habemus iubila, Septua. habent prædica. De ratione harum uocum, iubila, & exulta, plenius egimus, Sophoniæ. 3. ibi. Lauda filia Sion.

Vnde

Vnde autem unde exultandum, unde iubilandum seu prædicandum filiæ Sion? Ecce, inquit, Rex tuus, IESVS Christus, iustus, & seruator, ueniet tibi, in tempore quod ante sæcula Deus præfiniuit. Ecce, excitantis est ad meditandum. Cæterum quatuor hic de Christo habes. Primo, quòd sit rex Sion. Secundo, quòd sit iustus. Tertio, quòd sit salutor. Quarto, quòd uenit ipsi Sion. De primo. Si Christus est Rex & Princeps in Sion & Hierusalem, id est, Ecclesia, nemo in ea regnare debet, nisi sub eo, & eius solius leges in ea seruandæ sint, his reiectis & spretis, quæ suis aduersantur. Facit hoc contra Regnum Antichristorum, impios fidelium Principes, ac magistratus, sectas Pharisæorum, & id genus hostes Dei, qui sine Christo regnare uolunt. Quòd autem Christus Rex & Princeps sit in Sion, Hierusalem, domo Iacob, seu Dauid, quibus Ecclesia significatur, liquet Psal. 2. 3. & alijs. Esa. 9. Eze. 34. 37. Item Lucæ. 1. Tu ò fidelis, agnosce Christũ Regem tuum, & nulli pareas, qui aliena à Christi legibus præceperit, & tum etiam tu ipse cum Christo regnabis. Nimirum omnes sancti & fideles, cum Christo regnant. De secundo, nempe, quòd ipse Dominus IESVS Christus sit iustus, patet Hiere. 23. Et uocabunt eum Dominus iustus noster. Is etenim est, per quẽ orta est iustitia, & abundantia pacis. Si Christus noster, imò et iustitia, redemptio ac sanctificatio nostra, ubi est nostra iustitia? Facit ergo hic locus, cõtra eos qui se putãt operibus iustificari posse. Veh iustitiarijs hypocritis.

De tertio, quòd uidelicet sit seruator & solus quidem, liquet Acto. 4. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Quod si ita est, profecto non est in alio quopiam salus. Facit hic locus aduersum abominationes regni perditi, & Pharisæorum, qui in suis mendacijs & figmentis, ac diuorum inuocationibus, & uotis, atq; alijs id genus, salutem dicunt sitam. Sed tu ò fidelis, abscede & alienus efficere ab impostoribus istis, & agnosce unum Dominum IESVM Christum seruatorem tuum.

De quarto, quòd scilicet uenit ipsi Sion & Hierusalem, hoc est, ad salutem eius, habes Matth. 15. Non ueni, inquit, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Quæ domus, uniuersos electos tam ex Israël, quàm ex gentibus complectitur. Ergo non uenit pro reprobis, qui ad eam domum non pertinent.

Obseruandum autem, quòd primum hic textus, de ingreßu Domini in Hierusalem capitur. Item de omni tempore, quo electis fit ex fide, Rex, iustitia & salus. In eum quippe, qui uere credit, uenit, estq; mox illi iustitia, & salus. Ergo, qui in eum minime credit, nec iustus nec saluus esse potest, quod ad eum iustus & seruator non ueniat. Cæterum is ad quem uenit lætari debet, ac exultare, & iubilare Domino. Exultandum quippe & iubilandum fuit, ipsi terrenæ Sion ac Hierosolymæ, sed multomagis nouæ Sion & Hierosolymæ, scilicet Ecclesiæ Dei, ac filijs eius.

Sed

Sed iam uideamus quomodo uenerit, ut sit proinde tã exultandum & iubilandum. Pauper, sedens super asinam, & pullũ asinæ filium, seu pullum nouũ, ut Septua. habent. Per id lætari non potest caro & sanguis, sed tantum qui habet spiritum IESV Christi, qui damnat omnẽ huius sæculi arrogantiam, & laudat spiritus paupertatem. En quod is cuius est orbis terræ, & plenitudo eius, factus est. Psal. 23. Factus est pauper, ut nos suis opibus di taret: eguit, ut abundaremus: mortuus est, ut uiuificaremur. Proinde in ingressu eius, ab Hebræorum pueris, bene cantatum est. Benedictus qui uenit in nomine domini. Matth. 21. Mar. 11. Lucæ. 19. & Ioan. 12.

Tu ergo ô Sion filia Dei, Ecclesia, quæ plena es spiritu & sensu IESV CHRISTI, & per eum damnas omnem huius sæculi fiduciam & uanitatem, amasq́; ueram iustitiam & salutem, exulta & iubila, quia ut cupis, ad te uenit Rex tuus, iustus & seruator, sedens super animal humillimum, non phaleratũ equum, & in paupertate, non diuitijs uanißimis ac fluentibus, suo exemplo omnem huius sæculi altitudinem, reprobans & condemnans.

De hoc ingressu, egimus Lucæ. 19. Porrò ex eo quòd Dominus sedit super animali tam humili, laborioso, & forti, nec multum calcitrante, puto signari quòd uere humiles, laborantes ad diuinæ uoluntatis iussionem implendam, & fortes, id est, constantes & firmi in uerbo, ac

contra illud minime calcitrantes, fiunt ſedes ſpiritus Domini IESV Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Eſa. 66.

PARS TERTIA.

Et diſperdam quadrigam ex Effraim, & equum de Hieruſalem, & diſſipabitur arcus belli. Et loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari uſque ad mare, & à fluminibus uſque ad fines terræ.

ECce efficaciam humillimi ingreſſus regis noſtri, Domini IESV Chriſti. Diſperdet, inquit, quadrigam ex Effraim, & equum de Hieruſalem, & diſſipabitur arcus belli. Effraim regnum decem tribuum erat, quod nonnunquam Effraim dictum fuit, eo quòd primus eorum Rex Effrateus fuerit, & quòd ab Effraim potiſſimum apoſtaſia & fornicatio ſeu idololatria Iſraëlis prodierit. Hieruſalem autem capitur pro regno Iuda, quòd urbs prima eſſet eiuſdem regni. Porrò utrunq; regnum ſpectabat ad populum Domini, ideo omnes fideles per ea capiuntur. Tametſi etiam de omnibus Iſraël tribubus, nõ dubito hæc implenda, cum in dierum nouiſſimo ad Dominum conuertentur. Tum enim ab eis Deus auferet quadrigam & equum, dum ſpiritum ſuum illis infundet, quo nulli

nulli externæ munitioni fident, ſed ſoli deo. Tum dabit eis ueram pacem, qua diſſipatur arcus belli, imò quidquid ad bellum ſpectat. Nam Deus loquetur pacem gentibus, id eſt, uerbum pacis, quo perpetuò in pace erunt cum Iſraëlitis, omnibus tam Iſraëlitarum quàm gentium electis, in unam Eccleſiam conuenientibus.

Hoc uerbum, uſq; in finem ſæculi impleri neceſſe eſt, nempe, ut diſperdantur quadrigæ & equi ab Effraim & Hieruſalem, hoc eſt, ut auferatur omnis fiducia ſublimitatis huius ſæculi, & omnis roboris carnis, ſitq; in ſolum Deum fiducia ab his qui ad Chriſti Eccleſiam ſpectare putantur. Effraim fuit in toto Iſraël idololatriæ fons, per quem qui aptius capiuntur, quàm hypocritæ omnes & Antichriſti, in quibus idolis plena ſunt omnia, & nihil ueræ in Deum fiduciæ habent? Fidunt enim ſuis quadrigis, equis, diuitijs, operibus, iuſtitijs carnis, & ſimilibus. Sed uenient dies, quibus hæc omnia auferentur ex eis, uerum diuerſimode. Ab electis ſiquidem, auferetur omnis in eiuſmodi fiducia, dabiturq; eis ut in ſolum Deum fiduciam habeant. A reprobis uero omnia alioqui auferentur, dum ſcilicet omnibus priuabuntur, & demergentur, in interitum ſempiternum.

Porrò in uniuerſis, qui Chriſto adquieſcunt, etiam diſſipatur arcus belli, dum uera pax illis tribuitur, quemadmodum & Eſa 2 ac Micheæ 4 prædictum fuit. Concident gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur

buntur ultrà ad bellū. Quibus uerbis ac similibus inæstimabilis fidelium pax figuratur.

Per quid autem arcus belli dissipetur, & pax uera adferatur, & cum Domino & cū omnibus hominibus, in Domino palàm fit, ex eo quod subiungitur. Et loquetur pacem Gentibus. Gentes sunt increduli, quibus uerbum pacis tum profertur, dum illis prædicatur gratia, pax, & remissio peccatorum per Christum. Cui mox ubi creditur, pax uera est. Sed quis loquetur hoc uerbum pacis? Christus Dominus, ac Deus per eum, & omnes quos elegerit uerbi sui ministros.

Audi autem efficaciam huius uerbi pacis. Et potestas eius &c. Cuius eius? Domini IESV Christi. Qui sermone pacis, omnia sibi subijcit, & omnem carnis potētiam rumpit. Insaniant ergo ut uoluerint, omnes pietatis hostes, uincet tandem Christus Dominus, uerboq; suo omne eorum robur conteret, & potestas eius ubiq; erit. Postulant namq; à Deo, & dedit sibi gentes hæreditatē suam, & possessionem suam terminos terræ. Reget eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli cōfringet eos: Psal. 2. Oportet enim adimpleri illud Psal. 71. Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Et illud Danie. 7. Regnum, & potestas, & magnitudo, regni quod est subter omne cælum, detur populo sanctorum altissimi. Cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges, seruient & obedient ei. Fiat fiat.

Pars

PARS QVARTA.

Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.

QVi ſunt hi uincti, niſi qui ſub peccato, morte, & inferno ſeu maledicto legis captiui tenẽtur? Quis eſt deniq; ſanguis teſtamenti ſeu pacti, hos uinctos emittens, & liberos faciens, niſi ſanguis agni immaculati Chriſti, qui ſolus tollit peccata mundi. Ioan. 1. *Et lauat nos ab eis, in ſanguine ſuo?* Apoc. 1. *Sed hi uincti emittuntur è lacu, in quo non eſt aqua, ſermonum* Dei, *aut miſericordiæ eius purgantis, & refrigerantis nos, ac omnẽ ſitim mortiferam extinguentis. Quid ergo eſt in eo? Lutum, & omnia mortifera, inuentorum ac traditionum hominum, præter peccatum & perditionem, quæ omnia incredulitatem comitantur, quæ primum eſt, propter quod in lacum præſcriptum quis mittitur. Vnde & huic lacui, nullum nomen magis congruit quàm ſi uocetur lacus incredulitatis, ſiue incredulitas, quòd mox ad eam ſequantur, peccatum, mendacia, cæcitas, mors, ira* Dei, *& maledictio. Lacus ergo iſte, incredulitas eſt.*

Porrò *uincti in lacu iſto,* Domini *uincti adpellantur, non quemadmodum* Paulus *ſcribens* Philemoni, *ſe uinctum* IESV *Chriſti dicit, ſed ideo uincti eius, quòd æquiſſimo iudicio ſuo, ad eundem lacum illos damnarit, eos in*=

durans & excæcans. Siquidem ipsa condemnatio, excæcatio & induratio, uinculum est, quo increduli omnes uinciuntur. Soluitur autē hoc uinculū, per solam fidem IESV *Christi.* Liberos *namq; facit omnes credentes in se.*

Obserua *autem quòd hic dicitur Christo :* Tu *emisisti uinctos tuos, in sanguine pacti sui.* Tu, *inquit, non alius, et in sanguine tuo, non per aliud.* Ergo *per solum Christum & per solum sanguinem eius, soluitur præscriptum uinculum.* Quomodo *ergo* Antichristi *multi diuersum adserunt, suis* Bullis, *traditionibus, uotis, cucullis, operibus, præscripti uinculi solutionē tribuentes, & per id blasphemantes* Dominum IESVM *Christum, ad quem solum id penitus attinet?* Veh *hypocritis & mendacibus, qui sunt uere similes* Iudæis *excæcatissimis, qui damnabant Christum, quòd peccata remitteret, ut notum est.* Luc. 5. *interim ueruntamen suam iustitiam constituere nitebantur, diuinæ obliti.* Rom. 10. Propter *quod, ut ibidem habes, excæcati sunt.* Quid *autem est, suam iustitiam constituere, nisi putare se propria & humana iustitia, præscriptum uinculum incredulitatis soluere poße, siue posse emittere uinctos* Dei *à lacu antedicto?* Et *quemadmodum* Iudæi *cæci,* CHRISTVM *in suum interitum damnarunt & blasphemum adpellarunt, ideóque reprobati sunt, quotquot non resipuerunt, ita & blasphema illa* Antichristorum *Synagoga, idem sibi futurum non dubitet.* Nam *à solo* CHRISTO *& per*

sanguinem

ſanguinem eius, eſt prædicti uinculi ſolutio, hoc eſt, remiſsio peccatorum, deſtructioq́; impietatis, liberatio à morte & inferno, ac gratia Dei.

PARS QVINTA.

Conuertimini ad munitionem uincti ſpei. Hodie quoque annuncians, duplicia reddam tibi.

Putares forſan ex his quæ ſuprà parte tertia diximus, omnem omnino quadrigam, equum, arcum, et omne robur armorum & munitionum per Chriſtum IESVM diſperdenda. Et uere ſunt uniuerſa diſperdenda, quæ ad carnis robur ſpectant. Verum una eſt munitio, & ea quidem ſola inexpugnabilis, fortiſſima, æterna, ſemper tutiſſima ac ſufficientiſſima, de qua Prouerb. 18. Turris fortiſſima nomen Domini. Ad ipſam currit iuſtus, & ſer uabitur. De hac præcipitur uinctis ſpei, ut ad eam conuer tantur & fugiant. Qui ſunt uincti ſpei? Hi ſunt, qui uin cti quidem ſunt carnis huius uinculis, ac nonnunquã pec cato & fructibus ſuis, ſed de eis ſpes certa & expectatio eſt, ꝙ ſeruabuntur, propter quod & uincti ſpei recte ap pellantur: impoſsibile nanq; eſt eos perire. Nimirum hi ſunt, quos dedit filio pater. Ioan. ſexto, electi ſcilicet, quos à manu eius nemo rapere poteſt. Ioã. 10. Et uere donec in mundo uiuimus, aliquid uinculorum habemus, propter carnem, & à Domino peregrinamur. At ubi adeſt

ſanctis precioſa mors, qua in fide à ſæculo migrant, uincu la uniuerſa dirimuntur. Hinc prodibat is Pauli ſermo: Cupio diſsolui, & eſse cum Christo.

Omnes filij Adam ſunt uincti, ſed alij ſpei, nempe electi, alij deſperationis, nempe reprobi, quos non dedit filio pater. Maledictus qui non eſt uinctus ſpei. Da nobis domine Deus noſter, ut non ſimus uincti deſperationis. Porrò inter hos uinctos id intereſt, quòd primi non conuertũtur ad munitionem carnis, nempe ad diuitias, gladios, currus, equos, arma, clypeos, arces, exercitus fortitudinem, & id genus alia, atq; his minime fidunt. Etenim tametſi nõ nunquam plus æquo hærent carnalibus eiuſmodi, nunquã ueruntamen eis toto corde fidunt, eos retinente Deo. Neque eis pleno affectu placent figmenta huius ſæculi, etiam ſi eis deditiſſimi uideantur, Hi nunquam blaſphemant ſpiritum Domini, nec toto corde odiunt ſermonem ueritatis, alioqui fieri non poſset, ut ſeruarentur. Quæ omnia in teipſo, ſi ex electis es, experiris, etiam ſi nõdum ad id per uenisti, ut ea diiudicare poſsis. Caue autem, ne ullatenus præſumas definire, aut de teipſo, aut de alio quopiam, qđ non ſit ex ſpei uinctis.

Habent autem hi ſpei uincti omne robur ſuum, omnẽ munitionem ſuam in magno Dei nomine, in Deo ſcilicet, cuius nomen eſt ſummum, inæſtimabile, atq; ineffabile, et id quidem per IESVM Chriſtum filium ſuum. Quid autem ſit nomen Dei, Luc. 1. palam fecimus.

Quod deinde ad poſtremos uinctos, ſcilicet deſperationis

onis attinet, hi diuersum omnino à prioribus faciunt, præscriptam nominis domini tutissimam atq; semper inuictā munitionem pro nihilo habentes, se autem cōuertentes ad carnis brachium & robur, quod perire necesse est. Qui fiduciam habent in baculo arundineo in umbra Aegypti.

Igitur præcipit deus uinctis suis, uinctis, inquam, spei. Conuertimini ad munitionem, non dubium, quin ad ipsū met iubentem dominum, ab eo per Christum misericordiam, gratiam, & auxilium expectantes. Sæpe enim in Prophetis de seipso, quasi de tertio quopiam loquitur.

Acquiescenti autem præcepto suo magna spondet. Hodie, inquit, annuncians, duplicia reddam tibi. Quòd dicit hodie, duo significat. Primum, celeritatem impletionis rei quam promittit: secundo, tempus Christianæ lucis. Et is quidem est sensus: O uincti spei, dum conuersi fueritis per Christum ad me, qui sum munitio uestra, nuncio uobis, quòd sim duplicia redditurus. Quando? Hodie, hoc est, mox & in die Christi. In eo die sunt, & à mundi principio fuerūt, quotquot lucis spiritus Christi facti sunt participes.

Sed quæ sunt hæc duplicia, quæ reddit? Magna & sublimia, quæ pro nobis redimendis & seruandis Christus fecit. Hinc etiam est illud Esa. 40. Suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Duplicia intellige, præclara, insignia, maxima, & cunctis quæ peccato dispercita sunt, eminentiora. Hæc sunt, q̄ Dei unigenitus nobis natus, passus, & modis omnibus datus est. Esa. 9.

Hæc

Hæc redduntur uniuersis, qui se conuertunt ad firmissimam munitionem, de qua prædiximus, nempe ad ipsummet deũ p Iesum Christũ, ĩ fiducia scilicet meritorũ eius. Et id quidem hodie, mox uidelicet, posteaquam ueritatis optatissimus dies in corde illuxerit per spiritum sanctum.

Crede & tu ô fidelis, Deo hæc tibi annuncianti & promittenti. Festina ad munitionem tutissimam Deum ipsum optimum, maximum, potentissimum, per IESVM Christum, & non dubites mox duplicia tibi fore reddenda, de quibus duplicibus subnectitur.

PARS SEXTA.

Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Effraim, & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium, & dominus Deus super eos uidebitur, & exibit ut fulgur iaculum eius. Et dominus Deus in tuba canet, & uadet in turbine Austri, Dominus exercituum proteget eos.

Quæ hac parte habentur, de uictoria Machabæorũ aduersum Græcos, ab Hebræis enarrantur. Sed nihil minus arbitror, nam ex præcedentibus & sequentibus non uidentur ad aliud referenda, quàm ad mysteria Christi & Ecclesiæ sanctæ. Proinde textus ordinem

dinem obserua, & uide, q. toto hoc textu agatur de duplicibus, quæ sanctis redduntur, cum plena fide ad Deum cõfugiunt, de his scilicet, quæ Christus fecit pro nobis.

Igitur primum annotandum, q. iaculis & gladio uerbum Dei capitur, ut Psalm. 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Et rursum ibidem: Sagittæ tuæ acutæ, cadent in corda inimicorum regis. Item Ephe. sexto. Gladius spiritus est uerbum Dei. Et Hebræ. 4. Sermo Dei uiuus & efficax est penetrabilior omni gladio ancipiti. Propter ipsum uerbum in Christi persona dicit Esaias libri sui capite 49. Posuit os meum uelut gladium acutum, sub umbra manus suæ protexit me, & posuit me ut sagittam electam. Qui locus etiam de uniuersis fidelibus ministris eloquiorum Dei intelligitur.

Cæterum quia primi, per quos Deus misit in orbem ipsum uerbum, nempe Christus et Apostoli fuere Iudæi, dominus ait se extensurum Iudam quasi arcum. Porrò ista extensio significat præparationem & aptitudinem ad uerbi ministerium, quam illis Deus tribuit. Horum os fuit quasi gladius & sagitta: gladius uulnerans in æternã salutem corda eorum qui propè: sagitta uero, uulnerans eos qui longè. Nam & nos uulnerant sagittæ eorum, quæ ad nos usq; scriptis peruenerunt.

Impleui Effraim, non dubium, quin ipsis sagittis, aut si mauis, præscriptis duplicibus. Per Effraim certum est, decem tribus sæpe, & indubie etiam hoc loco intelligi. Quemadmodum autẽ multis locis probauimus, ad ipsas

decem

decem tribus non ſic peruenit Dei ſermo, ut eorum corda penetrarit, quaſi gladius & ſagitta. Nondum enim ad Chriſtum conuerſæ ſunt, neq; etiam duæ tribus. Sed fieri non poteſt, ut non impleatur Effraim, immo Iſraël totus, ſagittis, id eſt, eloquijs Dei, ſicut hic ob rei futuræ certitudinem in præterito dixit: Impleui Effraim.

Per Iudam quoq; & Effraim, omnes ueri Iſraëlitæ, id eſt, electi capiuntur, ut nullus neſcit, præter eum, qui à dei uerbo prorſus eſt alienus. Et hos Deus ut arcum extendit, ad mittendas ſuorum eloquiorum ſagittas penetrantiſſimas, illosq́; implet ſpiritu & ueritate ſua.

Quod ſubiungit: Et ſuſcitabo filios tuos &c. ad idem ſpectat. Puto enim Græciam hic non aliter accipi, quàm apud Paulum in Romanis, ubi per Græcos, Gentes capit, capite primo & ſecundo. Eſt igitur ſenſus: Ego Deus ſuſcitabo, mouebo, illuſtrabo filios tuos, ô Sion. Hi ſunt Apoſtoli primum, deniq; uniuerſi fideles, qui ad ueram Sion, id eſt, Eccleſiam ſpectant. Suſcitabo, inquit, ipſos filios tuos, ô Sion, ſuper filios tuos, ô Græcia, ô gentes uniuerſæ. Siquidem ab Apoſtolis uiriſq; apoſtolicis deuictæ fuere gentes, uincunturq; indies ſagittis & gladio ſermonum Dei. Vnde etiam addit: Et ponam te, ô Sion, quaſi gladium fortium, propter uerbum ſemper inuictum, & omnia uincens. Qui ſermo ad conuerſos primum ex Iudæis, deniq; ad omnem Eccleſiam, maxime ad uerbi miniſtros dirigitur.

Et dominus Deus ſuper eos, Apoſtolos & uiros apo-

ſtolicos

stolicos uidebitur. Sensus est: Agnoscetur quod Deus sit cum eis, quodque non proprio sensu, sed Dei spiritu cuncta efficiant. Beatus est uerbi minister, super quem est Deus, et uidetur in eo à fidelibus, alioqui maledictus, quod ueritas in eo esse non possit, & Dei scripta non nisi perperam enarrare ualeat. Porrò non aliunde melius agnoscitur, quod Dominus sit in ministris uerbi, quàm per syncerum ministerium eius. Propter quod subdit: Et exibit ut fulgur iaculum eius. Iaculum eius, nempe Dei, quod est uerbum, exibit ministerio filiorum Sion, ut fulgur, hoc est, mira cum uehementia & efficacia. Vide quæ diximus Abacuc tertio, ibi: In luce sagittarum &c. & scies qua potissimum ratione sermo dei fulguri assimiletur.

Deinde ipsum ministerium sermonum Dei, clangori tubæ comparat, dicens: Dominus Deus canet per Apostolos & ueros filios Sion, in tuba, hoc est, patenter, & cum uehementi spiritu, quemadmodum sonus tubæ est uehemens, notam faciet ueritatem suam. Et ipse dominus uadet, progredietur in electis, ac in eis operabitur. Quando? In turbine seu commotione Austri. Diximus in Solomonis Canticis, Austro designari spiritum Dei, cuius uerbum turbat carnales, & commouet uehementissime. Porrò dum homo incipit terreri uerbo ipso, spes est boni eius, dum scilicet profitetur, quòd à Deo sit, sentit uehementiam, qua damnat omne peccatum, & omnem incredulitatem, cum fructibus suis. Tum quasi primum in eo Deus uadit, dum ipsum terrorem uerbo suo in eo operatur. At purus

hic

hic terror desperationem induceret, nisi immutaretur. Sed protegit suos Dominus, & seruat per Euangelium filij sui. Proinde adijcit: Dominus exercituum proteget eos, intellige tam eos, qui administrant sermonem, quàm eos qui illo terrentur. Magnum & apertissimum uerbum, ueræ consolationis plenißimum, quo tam ministris uerbi, quàm uniuersis fidelibus, ad sermonem Dei territis protectio diuina promittitur.

Et deuorabũt, & subijcient lapidibus fundę.

Dum filij Sion, Græcorum, id est, gentium ac incredulorum filios uincunt, & illos ad se trahunt, ita ut fide uera unum in Christo fiant, quasi eos deuorant. Quos subijciunt domino efficacia & percussionibus lapidum fundæ. Cuius fundæ? idem per fundam, quod per arcum capitur, nempe ipsimet filij Sion, præsertim ministri sermonum Dei. Qui dum rotantur à spiritu sancto, quasi fundæ, lapides eloquiorum dei aduersum incredulos efficacissime iaciunt. Porrò quisq; uere fidelis est funda, qua aut per quam humilis ille Dauid, Christus scilicet, præscriptis acutissimis ac limpidißimis lapidibus sumptis ex torrente scriptorum Dei, percutit in fronte superbum illum Goliam diabolum, in terramq; deijcit & calcat, ita ut respirare non posit. Quo perempto, omne illius robur conterit, quemadmodum in figura præcessit, primo Regum decimoseptimo.

Et bibentes inebriabũtur quasi uino, et replebuntur ut phialę et quasi cornua altaris.

Quod

Quod suprà gladio, iaculis & fundæ lapidibus, hic per uinum intelligimus, nempe uerbũ dei, in quo fideles habẽt arma suæ militiæ, & omne robur, ac frumentum, uinum, oleum & omne bonum. N*imirum uarijs respectibus idẽ uerbum uarijs rebus figuratur, prout locis alijs diximus.*

Dicit ergo: Filij Sion bibentes *uinum eloquiorum dei, in eo scilicet exhilarati, q́, ad ipsum spectet lætificare cor hominis, tam abunde ex eo potabunt, ut illius suauitate et efficacia semper inuicta inebrientur, quemadmodum* Cã*ti.5. à sponsa inuitantur, qui ait:* Bibite *uinum & inebriemini charißimi.* Non *est hæc ebrietas à uino, quod uitis produxit, sed quam infundit spiritus dei in cor fidelis.* Ideo *ait:* Inebriabuntur *quasi à uino.* Q*uemadmodum enim ebrius homo nihil formidat, quòd ablato sensu, non præualeat iudicare, quid formidandum, quidue non: ita quotquot* Dei *uino, hoc est, sermone replentur ac inebriantur, amittunt proprium sensum, immo illi uolũtarie ab renunciant, propter desyderatissimum sensum, quem tribuit, uinum suauissimum dei eloquiorũ ac spiritus ueritatis, & per id fiunt securi in* Domini *fiducia, cuius nomen illis est haud secus atq; fortissima turris.* Prouer. 18.

Sed quid est, quòd dicuntur repleri ut phialæ, ac quasi cornua altaris? Per *primum ostenditur, quanta sit filiorum* Ecclesiæ *ueræ Sion plenitudo.* Q*uasi phialæ repleti erant hi, de quibus scriptum est:* Repleti *sunt omnes spiritu sancto.* Act. 2. Beatus *qui sicut phiala repletur uino* Dei *excelsi.* Porrò *ne quis putet hanc repletionem, aliam*

esse quàm sit, subiunxit: Quasi cornua altaris, super quo, ut patet Deut. 12. sanguis hostiarum fundēdus erat. Quē admodum altare replebatur sanguine ad uerbum et præceptum Domini, *& hoc ipsi gratissimum fuit, cū ex fide ita filij Sion dei uoluntate, eius æternæ ueritatis desyderabili uino replētur et inebriantur, qđ deo est longe acceptissimum.* Et *ut magis credas, hanc ebrietatem sic repletis afferre ueram salutem, adijcit:*

Et saluabit eos dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.

Lucente semper inuictæ ueritatis luce, & cum sunt filij Sion, in die Christi saluat eos dominus Deus eorum, sicut gregem ac populum suum. Cæterum nemo seruatur nisi in hoc die. Ad hunc diem fide perueniunt, peruenerunt q; à principio electi omnes, qui sunt ueri filij Sion, quòd eos perire impossibile sit. Verum & hæc dies est tēpus aduentus Domini IESV *Christi, in quo tam pro electis qui præcesserunt, quàm pro his qui secuti sunt, salutem in medio terræ operatus est. Seruati quidē omnes fuere ex fide in eū, quem uenturū non dubitabant, nēpe Christi, uerū non nisi per ipsius merita ac gratiā, ac propter illa, quæ in temporis plenitudine in carne fecit. Porrò quæcunq; tū fecit, eiusmodi sunt, q; corū gloria & lux seruauit etiam uniuersos electos, qui eū præcesserunt. Neq; enī fieri potuit, ut Abraham, Isaac, Iacob, Moses, & alij sancti alioqui, quā huius lucis participatione seruarentur.*

Quare

Quare seruabat eos dominus Deus, *dominus* IESVS *Christus? Quia lapides sancti eleuabuntur, uel ut Septuaginta habent, uoluentur, super terram eius.* Nonnulli *per lapides intelligunt Apostolos aut alios fideles, qui priore* Petr *secundo, lapides uiui appellantur.* Ego *puto hoc loco non intelligendos alios lapides, quàm eos de quibus paulo ante dictum est.* Et *subijcient eos lapidibus fundæ, nempe sermones* Dei. Nimirum *hi sermones electi quidã ac sancti lapides sunt, qui dum prædicantur ac fideliter annunciantur, quasi lapides in funda eleuantur & uoluuntur, ut mittantur aduersum incredulos omnes, sicut in superioribus uisum est.* Nunquam *enim in eadem prophetia, per rem eandem uaria sunt capienda, nisi textuum circunstantia ad id compellat.* Et *quod attinet ad hunc locum, quia paucis interiectis ante per lapides eloquia* Dei *intelligere neceßum fuit, nõ est modo interpretatio immutanda.* Denique *multo magis congruit, ut prior interpretandi ratio obseruetur.* Nam *ubi dixit:* Filios Sion *à* DOMINO *seruandos, quasi oues & populum suum, quo ministerio ea salus ad eos perueniat, ex eo quod mox subiungit, ostendit, dicens: Quia lapides sancti eleuabuntur seu uoluentur super terram eius.* A *quibus eleuabuntur & uoluentur?* Ab *his, quos* Deus *ad functionem apostolicam elegerit, de quibus prædictũ est, quòd impios subijcient* DOMINO, *ipsis sacrosanctis lapidibus.* Vides *quòd alludit ad misſionẽ lapidis cũ funda, qui à mittente primũ eligitur, deĩde eleuatur*

& ponitur in funda, in qua uoluitur & rotatur, ut fortius percutiat.

Sed quid est, quòd dicuntur eleuari & uolui? Profecto arbitror, non ob aliud quàm ut scias, quis sit fidelis dispensator et minister eorum. Multi nanque pseudoprophetæ hos sanctos lapides aßumunt quidem, sed eleuare & uoluere eos nequeunt. Sic enim tractant ipsum Verbum, quasi non DEI, sed hominum esset, ideo non eleuant eos à terra, nõ obseruantes spiritum literæ, imò nec literam sequentes quidem. Quandoquidem solo impuro, mendaci & cæco iudicio ac sensu carnis de scriptis sapientiæ ac sensus Domini iudicant, quorum mysteria solus DEI spiritus intelligit. Nam quemadmodum sensum hominis nouit non alius homo, sed hominis spiritus qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei. 1. Cor. 2.

In terra quasi sunt ipsi lapides sancti, ipsa eloquia dei, dum uocibus & locutionibus in faciem utitur, ex quibus, non nisi terrena siue externa uidentur, præterquàm ab eo, qui spiritum domini accepit. Et ideo qui absq; eo uiuit & iudicat, non potest eleuare ipsos lapides, hoc est, de eis iudicare, secundum altum & sublime spiritus iudiciũ, nec potest eos uoluere seu rotare, hoc est, uere & perfecte ipsos enarrare et interpretari, seu in eis meditari: nec potest eos mittere in aliorum corda, sic ut per eos increduli Domino subijciantur. Contrà, fideles ministri eorum, per DEI spiritus necessariam directionem,

&

& efficaciam ipsos lapides à terra eleuant, cum de eis solo Dei spiritu iudicant & sentiunt, eósq; bene uolutos & rotatos, hoc est, diligentissime iuxta spiritus sensum præmeditatos, quasi fundæ, mittunt in corda hostium regis nostri IESV Christi. Quo fit tandem, ut uicti, se ipsi Christo spontanee subijciant.

Sed ubi eleuantur & uoluuntur ea ratione, qua prædiximus, lapides hi sacrosancti? Non alibi, quàm in terra Domini. Quæ est hæc terra? Ecclesia domini IESV Christi. In ea quippe sola, est syncera meditatio & interpretatio eloquiorum Dei, & efficax missio seu prædicatio eorum, & in ea sola est spiritus, à quo integrum iudicium, ueraq; interpretatio proficiscitur.

Vide nunc, quàm bene omnia sibi inuicem consentiãt. Dictum fuerat, quòd seruaret Dominus filios Sion, id est, Ecclesiæ, nempe electos, congregando eos in Ecclesiam ipsam. Nunc si quæris, quá ratione, aut per quid id fieri possit, respondet spiritus sanctus: Quia lapides sancti eloquiorum Dei, qui sunt super terram siue in terra eius, à fidelissimis eorundem ministris, ueritatis iudicio plenis, eleuabuntur & uoluentur. quasi in funda, hoc est, syncerissime enarrabuntur & mittentur in omnes populos, ut eorum efficacia electi reuertantur ad DOMINVM, & in eius Ecclesiam congregentur. Quod autem ad sanctum uerbi ministerium omnes hi loci spectent, palã fit ex his quæ subiunguntur.

Quid enim bonum eius est, & quid pulchrũ eius, nisi frumentum electorum, & uinum germinans uirgines.

Diximus pauloante, nempe hac sexta huius capitis parte, quòd frumento & uino idem significatur, quod per lapides fundæ, uerbum scilicet dei, idcirco nemo plus quàm opus sit, admiretur, quòd mox ubi egit de lapide, de frumento & uino memoriam facit. Hæc quippe sunt *spiritus sancti synonyma, qui uerbum suum uarijs modis pro suo impetu, & rei conuenientia uocat. Nihil ergo tibi plus difficilis uideatur hæc uarietas, quàm si de quopiam binomine aut trinomine quis nunc secundum unum nomen, nunc secundum aliud nomen loqueretur. Multorum quippe nominum est uerbum* DEI, *propter ineffabilem uirtutem eius: Quia enim ex eo fideles habent arma salutis, ideo uocatur gladius, hasta, iaculum, lapisq; fundæ, deniq; frumentum dicitur, quia reficit: uinũ, quia lætificat: oleum, quia sanat & lenit. Et sic uarijs respectibus, uarijs nominibus appellatur.*

Præterea quòd hic de uerbo agatur, notum fit ex textus circũstantia, quòd scilicet ea quæ ante posita sunt, ad uerbum ipsum attineant, sicut ostendimus: & quæ hic ponuntur, non nisi ipsi uerbo conueniunt. Nam ait: Quid *enim bonum eius est, & quid pulchrum eius?* Cuius eius? *Nõ dubium quin Sion.* Hoc *pulchrum, hoc bonum, est frumentum electorum, & uinum faciens uirgines, uelut Septuaginta habent, uinum boni odoris ad uirgines.* Nunc

uide,

uide, quòd est maxime bonum, imò solum uere bonum & pulchrum, quod mittit Ecclesiæ suæ Deus. Vide etiam, quis sit panis seu frumentum electorum, & quod sit uinũ illud, non inebrians ad luxuriam, sed ad omnimodam puritatem & uirginitatem animæ, per Christũ Iesum. Profecto, si mille noctes & dies id fueris meditatus, nihil inuenies, cui hæc ullatenus conueniant, præterquã uerbum Dei, complectens omnẽ ueritatem eius per Christũ Iesum, cuius ipse Christus est principium, fons, finis & consummatio in spiritu sancto. Nonne in uerbo ipso sita est bonitas, & pulchritudo Ecclesiæ sanctæ? Nonne electi in eo habẽt suum frumentũ & panem suauissimum, suaq́; uberrima pascua, & uinum inebrians ad omnem sanctitatem et puritatem? Hoc uino Paulus uoluit inebriari Corinthiorũ Ecclesiam, ut uirgo castissima fieret, & cœlesti sponso domino IESV Christo in summa puritate exhiberetur. 2. Corin. 11. Ideo quisquis optat consequi uirginitatẽ Deo acceptissimam, ueramq́; bonitatem ac pulchritudinem, hoc uino preciosissimo inebriari festinet. Beatus qui hoc uino inebriatur, quod ille assequitur, qui eidem firmissime credit & acquiescit.

In eo quòd dicit: Hoc uinum uinũ esse electorũ seu iuuenum, ut Septuaginta habent, eorum scilicet, quorũ iuuentutem deus lætificat eo uino, Psal. 103. & per quod ipsa eorum iuuẽtus sicut aquilæ renouatur, Psalmo centesimo secundo, habemus certissimum argumentum, ꝙ hoc uinum haudquaquã pertineat ad reprobos et peccatorum

sordibus inueteratos. Siquidem necesse est eum Christi spiritu renouari, qui huius uini delicijs perpetuo frui cupit. Alioqui non nisi ut reprobus fruetur, in tempus scilicet, quod Dei largitate nonnihil renouatur, & quasi electorum frumento cibatur, & uino potatur, dum semel illuminatur, gustatq; donum cœleste, & particeps fit spiritus sancti: gustatq; bonum Dei uerbum & delitias seculi. Postmodũ apostatat à uerbo, & prolabitur blasphemans spiritum Dei. Hunc impossibile est rursum misericordiam consequi. Hebræ. 6. Fac nos domine participes huius frumẽti & uini tui, & id quidẽ perpetuò, ne unquam apostatemus à te, sed electis ac uirginib. tuis annumeremur. Veh uniuersis, qui apostatant à domo & Ecclesia Dei, in qua sola hoc frumentum, uinúmque dispensatur. Adliga nos ô domine IESV uinculis tuis, ut nunquam diuidamur à te, ô uita, dulcedo & spes nostra.

CAPVT DECIMVM.

Summarium capitis. Primum, electis præcipitur, ut pluuiam æternæ ueritatis à domino petant. Secundo, quòd propter mendacia & ueri pastoris defectum ducti fuerĩt in captiuitatem. Tertio, de furore domini contra pseudopastores, & quòd Dominus suum gregem uisitaret, faceretq; suæ gloriæ equum. Quarto, quòd ex Iuda prodirent Christus, & quæcunq; erant in regni sui gloriam primum futura, ut angulus, paxillus, arcus prælij &c.

Quinto,

Quinto, de confortatione & instauratione Iuda. *Sexto, de fortitudine & lætitia uera, sic instauratorum. Septimo, quòd sibilo suo, congregabit & multiplicabit eos. Octauo, de seminatione eorum in populis, & de fructu seminationis eiusdem. Nono, de gloria & uirtute transitus* Domini, *& suorum &c.*

PARS PRIMA.

PEtite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.

F*Rumenta & uina, ac pascua sitiunt & cupiunt sancti omnes, sed ea de quibus superiori capite actum est, in quibus sciunt esse situm quidquid maxime bonum in* Ecclesia *& pulchrum est, nempe, eloquia dei. Sitiunt, inquam, non solum ea prædicari uoce, aut calamo scribi in membranis, sed ut per uirtutem spiritus* IESV *Christi, noscant uim eorum sacratißimam, & scribantur in cordibus eorũ indelebiliter. Sciunt bonum ac necessarium esse, ut per fideles ministros, seminentur ac plantentur, uerumetiam norunt, absq; fructu esse omnem ministrorũ operã, nisi* Deus *incrementũ tribuat.* De qua re *mãdat illis* Deus *hoc loco, dicens:* Petite *pluuiã* à Domino *in tẽpore serotino.* Velut *iuxta sensum* Septua. *habent.*

Petite pluuiam à Domino oportunam, temporaneam, et serotinam. Pluuia quæ non tarde, hoc est, post tempus necessarium, sed quæ uespere, non in meridie descendit, oportuna uidetur, proinde puto hic Septua. uertisse, pluuiam oportunam & temporaneam. Verum si quis uult serotinam pluuiam, uel tempus serotinum, referre ad dies Christi, non displicebit. Siquidem. 1. Ioan. 2. Hora nouissima dicuntur, & in multis prophetarum locis, ut Esa. 2. et Micheæ. 4. per dies nouissimos intelliguntur. Et dum iubetur, ut petatur à Domino pluuia, de doctrina & spiritu Christi, capitur. Quod ad me attinet, plus mihi probatur, ut per serotinam pluuiam, temporaneam intelligamus, & per tempus serotinum, tempus quod est oportunum. Et tū etiam per pluuiam capiemus sermonem Dei, spiritumq; ueritatis, à quo scilicet est ueritas, qui non est alius quàm spiritu IESV Christi.

Ego puto, hoc uerbū omnibus electis, etiā his qui Domini IESV Christi aduentum præcessere dirigi: per tempus uero temporaneū, intelligi omne tempus quo oportune uerbum fidei missum est, & mittitur. Indubie enim eūdem habuere sermonem eundemq; spiritū, qui Domini IESV Christi præcessere aduentū, quos et nos. Sermonē aūt pluuia intelligi, patet Deutero. 32. Concrescat ut pluuia doctrina mea, fluat ut ros eloquiū meum, sicut imber super herbam, et sicut stillæ super gramina. Spiritus quoque Dei effusione, quæ aquis ac pluuiæ competit, designatur. Iohelis secundo. Super seruos meos & ancillas

meas,

meas, effundam de spiritu meo, & prophetabunt.

Praecipit igitur Deus omnibus Sion, nempe, Ecclesiae filijs, ut petant à Domino, non ab alio, quocunq; siue sint Angeli, siue sancti, ut mittat pluuiam eloquiorũ & spiritus sui, in tempore oportuno, cum scilicet necessarium uidet Ecclesiae suae, & sic ut fructum proferant in his super quibus mittentur. Quàm paucis, heu à multis saeculis data fuit haec pluuia. At nunc coepit illam Deus super nõnullis effundere, & proferunt ideo fructũ. Petamus eam cuncti multa instantia, ut nedum nobis, sed & uniuersis populis mittatur, ne pereant.

Caeterũ ne putemus, nos frustra petituros, Deus ipse, quasi de tertio loquens, subiungit promissionem, cui nos credere necesse est. Et Dominus, inquit, faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. Sensus est. Mox ubi multa cum fiducia Dei misericordiam postulaueritis, dabitur uobis abunde praescripta desiderabilis pluuia, nempe, uerbum, nedum externe prolatũ aut scriptum, sed scriptum & fixum in cordibus uestris, quo fiet, ut bonis fructibus pleni sitis. Hi nimirũ fructus, agri seu campi herba designantur.

PARS SECVNDA.

Quia simulachra locuta sunt inutile, & diuini uiderunt mendacium, & somniatores lo-

cuti sunt frustra, uane consolabantur. Idcirco adducti sunt quasi grex affligentur, quia non est eis pastor.

Vide ex hoc loco, quàm uerũ sit, quod prædiximus, nempe, pluuia designari, uerbum & spiritum dei. Nam per id quod ut reddens præscripti sermonis rationem, quare scilicet, iusserit pluuiam à Domino peti, aperte loquitur de doctrinis mendacibus, ostendit quòd ante de doctrina ueritatis loqueretur. Siquidem is est ordo sensus horum locorum, ut Deus præcipiat populo suo. Petite à me uerbum & spiritum ueritatis, petite ut à me doceamini, & nolite petere aliud uerbum aut alium spiritum, ne proinde apostatemini à me. Nolite amodo petere ab idolis pluuiam, hoc est, doctrinam. Quia idola uel simulachra, in quibus terribili Dei iudicio dæmones olim responsa dabant, & illorum Prophetæ ipsißima idola, locuta sunt inutile, rem scilicet, quæ uobis haudquaquam profuit, quinpotius admodum perniciosam. Et diuini seu coniectores uiderunt mendacium & falsitatem. Et somniatores, locuti sunt frustra, in uentum, rem falsam, & per eam uane non uere consolabantur uos, negantes uobis futurum malum, cum non seruabatis præcepta mea, & Prophetas meos aspernabamini. Idcirco adducti sunt, populi Iuda & Israël, quasi grex. Quo adducti? Alij in Assyrios, alij in Babylonem, in captiuitatem. Quasi aũt grex adducti dicũtur, eo quòd priuarit eos Deus uiribus, ut non

ut non possent plus resistere hostibus captiuantibus, quã grex ducentibus se. Porrò qui sic fuere ducti in captiuitatem, & in ea adhuc, ut de decem tribubus tum erat, & nunc de omnibus, adfligentur. Quare? Quia non est eis pastor uerus, Deus scilicet, ac uerus Propheta, qui Dei uerbo populos depascit. Quæ enim lætitia his esse potest, qui in tenebris errorum sunt. Hæc diximus, sicut putamus literam in faciem intelligendam, uerum non dubitamus aliud superesse, per id figuratum, quod & maxime hoc loco est requirendum, nempe, quòd is sermo de uniuersis, qui erroribus subscripserunt, intelligitur, quod profecto etiam omnes sanctos contingit. Qui quoniam nostris sæculis impletus est, eundem ad ipsa nostra sæcula referemus. Facile enim tum fuerit, de alijs temporibus eum interpretari.

Igitur sanctis & fidelibus cunctis, superiori parte, iussit Deus, ut ab eo peterent necessariam eloquiorum ueritatis pluuiam, quatenus possent fructibus fidei ac ueræ iustitiæ abundare, nolens ut ab alienis ab eo, pluuiæ doctrina peteretur. Nunc ostendit quàm miserum, fallax, et perniciosum sit, omne aliud uerbum à suo, ut sunt doctrinæ dæmoniorum, Pharisæorum traditiones, ac imposturæ, & decreta falsorum Episcoporum. Quia omnes locuti sunt inutile, et quod summe est perniciosum, ac mendacium, frustra quempiam consolantes, imò nihil minus quàm uere consolantes. Nimirum sophisticum est, quidquid faciunt. Quotquot autem illis crediderunt, adducti

sunt

ſunt in tam horrendam cæcitatem, in tam graues tenebras, in tam miſeram ſeruitutem, ac tam grauia mala, quod maiora nullatenus excogitari poſſent. Quis enim ſufficeret enumerare, cruciatus animorum, infidelitatis peſtem, pſeudoprophetarum ac ſectarũ mendacia, Antichriſtorum inſanias, idololatriæ abominationes, et infinita mala, in qua tot errorum ſæculis, nempe, ab annis fermè trecentis et mille decidimus? O ſæuiſſima Babylon, abſq; ſimilitudine peior et execrabilior, Babylone illa Chaldæorum, in qua non ſolum annis Septuaginta, ſed plurimis annorum centenis, populũ dei altiſſimi, duriſſima captiuitate preßiſti, et uſq; in hunc diem premis. Fugite è medio eius electi dei, quia maledictus eſt, qui permanſerit in ea. Nimirum de plagis eius accipiet. Heu quã multi in ea, ut olim Iudæi non pauci in Babylone Chaldæorum, amore poßeſſionum & diuitiarum huius ſæculi detinentur, & nolunt uenire in Iudæam & Hieruſalem, Eccleſiam ſcilicet Dei. Quid nos ſinimus duci, ab Antichriſtis, tanquam greges, nihil obſiſtentes, in tam deplorandam ſeruitutem? Et quid eſt, quòd per uerbum ſuum, tam aperte nos uocante Deo, non reſipiſcimus, redeuntes in Sion, & libertatem ſpiritus IESV Chriſti?

Adfligentur profecto, & adflictione quidem magna, quotquot non adquieuerint, eo quod alieni ſint à uero paſtore Domino IESV Chriſto, & non alijs quàm lupis rapaciſſimis ſint ſubiecti. Et niſi reſipuerint, ſicut oues tandem in inferno ponentur, & mors depaſcet eos. Pſal. 48.

Pars

PARS TERTIA·

Super pastores iratus est furor meus, & super hircos uisitabo. Quia uisitauit dominus exercituum gregem suum domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.

PAstores dicuntur Reges, Principes, & maiores, ac hi quorum interest, regere & pascere Domini gregem· Contra quos sub pastorum typo· Eze·34· manifestissime prophetatur, itidem infra cap·11·

Primum autem exponemus hunc textum secundum figuram, deinde secundum rem figuratam, eo quód certissimum sit, allegoriam hic potissimum requirendam· Figura est in filijs Iuda, & Israël, in quibus nonnulla hoc capite posita impleta sunt, reliqua autem impleri necesse est·

Igitur super Israëlitarum Principes & Prophetas, Deus adserit se iratum, cuius ira abominationem omnis impietatis, & iustam eius punitionem designat. De hac eius ira, lege Regum & Paralipomenon libros, et uide, quód ipsi Principes et primores, maxime fuerunt in causa malorum Israël, in utroq; regno· Proinde furor Domini, contra eos potissimum fuit·

Ait deniq; Dominus· Et super hircos uisitabo· Vbi

Septua·

Septua uerterunt. Et *super agnos, quod magis congrue=re arbitror*. Igitur posteaquam Dominus ostendit furo=rem suæ punitionis, maxime ob dyscolos Principes uenis=se in populum, non dubium quin ideo, quòd ab illis cœpe=rat idololatriæ abominatio, ut patet de impio Hierobo=am, qui peccare fecit Israël. 3. Reg. 12. nunc spondet mise=ricordiam agnis, electis scilicet ex Israël. Et uisitabo, in=quit, super agnos. Ac si diceret. Iratus fui aduersum re=probos Principes, & uniuersos qui eorum mendacijs ad hæserunt, sed non ita faciam cum agnis, pijs scilicet, sed uisitabo eos, in misericordia & miserationibus. Ponitur sæpe in scriptura uisitatio pro Dei punitione, sed non ui=deo, quòd hoc loco ita debeat aut possit accipi. Aestimo enim quòd de ea uisitatione sit hic locus, de qua Lucæ. 1. Visitauit nos, oriens ex alto. itidem de ea uisitatione, qua Deus sui spiritus consolatione, suisq; muneribus, electos suos uisitare consueuit. Quòd autem ita sit capienda hæc uisitatio, palàm facit ipse Dominus, de seipso, quasi de tertio quopiam subiungens.

Quia uisitauit Dominus exercituum, gregem suum domum Iuda. Hunc locũ & quæ sequuntur, Septua. in fu=turo posuerunt, quòd etiam præteritum pro futuro, ob rei certitudinem positum sit, qui loquendi modus, ut aliâs sæpe uidimus, in diuinis literis est frequens.

Dicit ergo: Visitauit, id est, uisitabit Dominus exer=cituum, gregem suum, nempe, domum Iuda, quam prius per agnos intellexit. Visitabit, inquam, hanc domum,

in carne

in carne adſumpta, per ſemetipſum illam erudiens, & electos ex ea ſuo ſpiritu confortans, ſuoq; labore ac ſanguine, à peccato, morte, & inferno liberos faciens. Certum namq; eſt, hæc maxime tum adimpleta, dum filius ipſe Dei, pro electorum ſalute uenit in carnem, & in ea humiliauit ſemetipſum, factus Patri obediẽs uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. Huius quoq; uiſitationis, fiunt participes electi omnes, quoties ſyncera in Deum fide eleuantur.

Tum poſuit Deus eos, nempe, filios domus Iuda, quaſi equum gloriæ ſuæ in bello, quod maxime fuit adimpletum in Apoſtolis, qui erant ex Iudæis, & ex Iſraël. Hi ſunt equus albus, ſuper quo Iohannes uidit Chriſtum, qui exiuit uincens, ut uinceret. Apoc. 6. Nimirum hi ſunt, qui dum uerbum Euangelij, ac nomen Chriſti portarunt coràm gentibus, ad uincendum eas, & ſubijciendum ipſi Domino IESV Chriſto, quaſi equus gloriæ eius fuerunt in bello ſacratiſſimo, quod Deus aduerſum gentes ſuſcitauit, ut eas uinceret per uerbum ſuum. Recte uero per equum animal ad currendum aptiſſimum intelliguntur, quod uirtute magna cucurrerint ad terras, ad quas miſſi ſunt à Domino.

Hactenus uidimus qua ratione præſcriptus textus, de Iudæis intelligatur, iuxta literam, iam ſupereſt, ut eundẽ interpretemur de Eccleſia Dei, quæ eſt ipſiſſima domus Iuda. Igitur in Dei Eccleſia multi fuere & ſunt etiã hodiè paſtores, Principes ſcilicet, & primores, quos oportuit

regere, & pascere Domini populum, secundum uerbum eius, imò ipso uerbo. Qui tametsi pro Christianis Principibus & pastoribus haberi uolunt, ad id ueruntamē semper nisi sunt, nituntur[que] etiam nunc, ut calcato dei uerbo, hominū inuenta & mandata seruentur. Quid enim aliud factum est à multis sæculis, tam ab illo Romano Nerone, quàm ab uniuersis Episcopis suis, ac cunctis Principibus & populorum maioribus, quàm quod conculcarunt modis omnibus ueritatem Dei, & suarum traditionum stercora, ab uniuersis custodiri uoluerunt?

Contra eiusmodi pastores, ait Dominus. Super pastores iratus est furor meus. Deo siquidem abominabiles fuerunt semper, quod non nisi lupi rapacissimi, & Antichristi fuerint, pellentes Dei Prophetas, & Prophetas mendacij indies multiplicantes. Et furor grauissimæ punitionis Dei, uenit super eos, & nō agnouerunt. Quis furor? Quod tradidit illos in mentem reprobam, excæcauit, indurauit, misit[que] ac confirmauit eos in spiritu erroris, & tandem pessime mortui sunt, adiudicati igni sempiterno. Nihil horum uident cæci, facti insensibiles. Vulnerati sunt, & non doluerunt.

Furor Dei fuit, quidquid omnino putarunt gratiam esse, nempe, eorum fastigia, diuitiæ, multiplicationes sacellorum, uotorum ad diuos, collegiorū, monachorum, sacrificulorum, fundationū, mißarū, boatuum in choris, Bullæ quoq[ue] indulgentiarū, dispensationes Papæ & suorum, institutiones festorum & solennitatum, dierum[que]

luctus

luctus seu ieiunij, itidem multitudo uniuersitatũ, & Episcoporum, ac prædicantium eloquentissimorum, similiter priuilegia data à Romana bestia illa, et tyrannis suis, beneficia quæcunq;, benedictiones & consecrationes omnium rerum, ordines, sacramenta, preces, cælibatus ille execrabilis, uigiliæ, studia, eleemosynæ, mẽdacitas Pharisæorum rapacissima, & fallax, erectiones claustrorum & templorum, peregrinationes, & omnia prorsus, etiam Christus ipse, & beati Angeli, cum omnibus sanctis. Nam quemadmodum electis omnia cooperantur in bonum. Roma. 8. ita & incredulis omnia uertuntur in perniciem, & condemnationem. Porrò longum esset præscripta, testimonijs fulcire per singula, & proprium librum expeterent. Verum satis est fideli ad omnem probationem, quòd ideo sunt Deo execrabilia quæcunq; faciũt, & seruant, quòd nihil ex fide, & secundum uerbum Domini faciant, sed omnia in mendacio & hypocrisi aut ad rapacitatem. O grauissimum Dei furorem, quem miseri non sentiunt. Sed procedet eo usque is Domini furor, ut solo D E I uerbo potentissimo, sine manu & carnis robore, omnis eorum altitudo sit conterenda.

Sed nunquid proinde agni, electi scilicet, periere? Absit. Eos namq; dedit filio Pater. Ioan. 6. Et nemo potest eos rapere è manu eius. Ioan. 10. Idcirco hic promisit Deus. Et super agnos uisitabo, hoc est, illustrabo eos spiritu

meo. Siquidem fieri nequit, ut nō uisitētur. Sic uisitati fuere electi complures, toto errorum sæculo, qui tametsi erroribus plurimis consenserunt, indubie ueruntamen uisitauit eos Deus suo spiritu, uel in diebus eorum ultimis eos erudiens, quantum opus fuit, ut seruarentur scilicet ut in Christum uere crederent, alienis autem ab eo, nihil fiderent, qua fide etiam inter quoscunq; errores, quasi tres pueri in medio flammarum, salui facti sunt.

Apertius autem ipsam uisitationem, ostendit dicens: Et uisitabit Dominus exercituum (de se, ut de tertio loquitur) gregem suum, eosdem scilicet qui agni, qui sunt uera domus Iuda, & ponet eos quasi equum gloriæ suæ, in bello, quod tum fit, dum sic eos ardentes facit, ut non expauescant portare nomen suum, coràm gentibus, ut se ueritati subijciant, & in bello, quod fit non gladio, hasta, aut clypeo, sed uerbo Dei, in eorum æternam salutem deuincantur.

Subiūgam id tantillum, de persona uerbum præscriptum dicentis, quod scilicet sit forsan uerbum Patris summi, de filio loquentis, maxime ab eo loco. Quia uisitauit &c. ut sit sensus & ordo huius textus. Ego pater iratus sum, super pastores, & super agnos uisitabo. Quare iratus es? Quare uisitabis agnos? Respondet. Quia uisitauit &c. Qu.d. Iratus ideo sum super eos, quòd non agnoscant misericordiam meam, qui misi filium meum, qui est mecum, unus Dominus Deus exercituum, qui ex eis car=

eis carne adsumpta, uisitauit eos, & redemit misericorditer, & fecit eos quasi equum gloriæ in bello. Intellige præteritum pro futuro, nisi ad eos qui nunc sunt, conuertas interpretationem. Similiter ideo ait se uisitaturum agnos, quia is qui unus cum eo Deus, & Dominus exercituum est, adsumpta carne morti obnoxia, uisitauit &c. Eligat lector, uerum id quod ultimo loco, de persona loquentis posuimus, maxime placet.

PARS QVARTA.

Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum uiarum in prælio. Et bellabunt, quia Dominus cum eis, & confundentur ascensores equorum.

EX prophetijs in quibus usq; in hunc locum, de Iuda habuimus, ex quo & cui Deus promisit se facturũ ingentia, quasi per corollarium infert, ex ipso angulus &c. Quasi diceret. Vt paucis multa complectar, ex ipso Iuda prodibunt omnia, per quæ Deus sua mirabilia operari dignatur, maxime quæ ad mũdi redemptionem, et conuersionem incredulorum, & gentium uniuersarũ spectant.

Et ut speciatim omnia prosequamur, ex ipso Iuda etiam iuxta carnem, est angulus, puto non alius, quàm lapis ille, de quo suprà cap. 3. & 4. Qui Esa. 28. Lapis angularis dicitur, quod de CHRISTO *debere intelligi, Petrus docet. Acto. 4. & 1. Pet. 2. De quo etiam Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est, in caput anguli. Quod de se dictum, Christus profitetur. Matth. 21. Mar. 12. & Luc. 20.*

Ex ipso quoque Iuda paxillus. Paxillus est quod parieti figitur, ut in eo nonnulla pendeant, & seruentur. Quid ergo aptius nomine paxilli adcipimus, quàm eum, à quo salus nostra, & omne bonum nostrum pendet. Is est CHRISTUS *Dominus noster? Deniq; nihil sanum & utile, in nobis seruari potest, nisi per eum. ideo iuxta allegoriam paxillus uocatur. Esa. 22. Et figam, inquit, eum paxillum in loco fideli, & erit solium gloriæ domui patris sui, & suspendam super eum, omnem gloriam domus patris eius. Ecclesia est locus fidelis, in quo fixus est hic paxillus. Et ipsa est solium gloriæ patris summi,* CHRISTO *regnum tenente, super quo pater ipse æternus, suspendit omnem gloriam suam, hoc est, uult ut ab eo pendeant & per eum quærantur quæcunque spectant ad gloriam suam. Porrò dum fortissimus paxillus figitur, alius sibi contrarius aufertur, ut patet Esa. 22. Neque possumus seruari huius gloriosi paxilli efficacia, nisi prius renunciemus, paxillis execrabilibus, nempe, Antichristis, qui uolunt omnes homines ab ipsis pendere,*

pendere, & quod soli CHRISTO debetur, sibi usurpant.

Vide quòd CHRISTVS, tam angulo, quã paxillo figuratur. Angulus est, quia fundamentum. Esa. 28. quia iungens duos parietes, Israël scilicet & gentes, in capite eorum positus, unicus eorum Rex, pastor, dux, Princeps, & seruator. Paxillus uero, quòd ab eo pendeat gloria domus Domini, id est, Ecclesiæ. Quia autem Christus est Iudæus, uide quàm uerum sit, quòd ex Iuda sit, angulus, & paxillus.

Ex ipso quoque est arcus diuini prælij, quemadmodum capite præcedenti, dictum est. Extendi mihi Iudam, quasi arcum, quod maxime in Apostolis sanctis, qui fuere Iudæi, impletum fuit, prout diximus. Nimirum tametsi uniuersi ministri uerbi Dei, sint arcus ille, quem habet in manu sua, ille qui exiuit uincẽs, ut uinceret. Apoc. 6. Apostolis ueruntamen, id primum congruit.

Porrò si Apostoli fuere arcus prælij DOMINI, ergo prælium suum habet DEVS, habet & sagittas, quæ arcu mittuntur. Prælium est, quòd non est nobis colluctatio, aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi huius rectores, Principes & potestates tenebrarum harum. Ephe. 6. Hi sunt maligni spiritus, quibus non est super terram, in hominibus scilicet, æqua potestas. Iob. 41. In hominibus intellige carnalibus, & sine spiritu DEI. Nam si diuini spiritus fortitudo, in eis est, cassum est omne robur spirituum immundorum. Qui

mundi, non machinæ huius uisibilis cæli & terræ, sed omnis incredulitatis & impietatis, ac eorum quibus hæc placent, impiorum scilicet, rectores dicuntur, quòd ab eo, quasi à fonte omnium abominationum, hæc prodeant. Porrò hos impios mundum esse, liquet ex eo, quòd CHRISTVS Patrem summum pro uere pijs orans, de ipsis impijs dixit: Non pro mundo rogo. Ioan. 17. Qui etiam, una cum eorum abominationibus, tenebræ dicuntur, quòd absque ueritatis lumine sint. Denique non est illis pars in CHRISTO, qui est lux uera, illuminans omnem hominem, uenientem in hunc mundum. Ioan. 1. Luxq́; mundi. Ioan. 8. Et lumen ad reuelationem gentium. Lucæ. 2. Tenebræ ergo sunt omnes impij, & omnis eorum sensus, iudicium, uita, mores, & quidquid omnino in eis est. Horum maligni spiritus, Principes, & potestates dicuntur, quòd super eis in tempus potestatem adceperint. Hinc Iob. 41. de Satana scriptum est. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.

Sed quid est, quod diximus ex Paulo, non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem? Nonne impij omnes carnales sunt, atq; etiam caro? Et uere tam ipsi quàm omnia quæ in eis sunt, et caro sunt, et sanguis, ut multis locis probauimus. Et aduersum eos, eorumq́; præscriptos rectores, Principes, & potestates, est nobis perpetua colluctatio, perpetuumq́; bellum. Quomodo ergo uerum est, quod ex Paulo adsumpsimus? Caro & sanguis,

sanguis non accipitur loco prædicto, nisi pro his externis quibus in hominum militijs utimur. Et est sensus: Hoc bellum non est carnale, sed spirituale. In eo non est nobis præliandum cum gladijs, fustibus et armis, nec aduersum gladijs accinctos & galea, thorace, lorica, scuto, alijsq; id genus armis undique armatos, sed aduersum principes et potestates tenebrarum præscriptarum.

Est ergo Dei bellum, quo electi aduersus malignos spiritus, atq; eos quos seduxerunt, perpetuò luctantur, & id quidem non armis carnalibus, sed potentissimo & semp inuicto dei uerbo. In eo prælio uno tantum modo ipsi spiritus uincantur, nempe dum firmissime Dei uerbo acquiescimus, & ab eo ob illorum mendacia nunquam deficimus. Ad id quippe nituntur, ut à pietate apostatemus, et illis subscribamus, quod dum non facimus, uincuntur.

Cæterum qui ab eis seducti, tenebræ facti sunt, & sub illorum execrabile iugũ proinde transierunt, tum in prælio Domini uincuntur, in eorum salutem æternam, dum ac quiescunt uerbo Dei, & reiecto regis filiorum superbiæ & suorum abominabili iugo, suaue Christi iugum amplectuntur. O quàm felix & uere beatus est, qui ita uincitur. Aliter quoq; uincãtur, nempe eo prsus modo, quo maligni spiritus, & in eorũ sempiternã perniciem. Sic uincuntur reprobi omnes ab electis dei per uerbum sanctum eius.

Igitur ex domo Iuda prodijt arcus prælij domini, apostoli scilicet. Sed unde prodeunt sagittæ ab eis missæ? Etiã ex ipsa domo Iuda. Quid enim hæ sagittæ, nisi uerbũ Do

mini? Quod superiori capite probauimus. Porrò ipsum uerbum ex Iuda exire notum est. Esa 2. & Mich. 4. De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Capite quoq; præcedenti dicitur, q iaculũ arcus extenti, domus scilicet Iuda, uelut fulgur exiret, nõ dubiũ quin ab ipsa domo Iuda, qđ et sequẽtia ostẽdũt. Ex Iuda quoq; simul egredietur exactor, lex scilicet, et omne uerbũ dei, qđ quia fidẽ à nobis exigit, recte exactor dicitur. Non præstantes autem quod exigit, reprobat & condemnat. Hinc dicit Christus Ioan. 3. Qui non credit, iam condemnatus est, quia nõ credit in nomen unigeniti filij Dei. Item Ioan. duodecimo. Qui reijcit me, & non recipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die.

Porrò tot exactores ex ipso Iuda prodiere, quod sermones Israëlitarum ministerio, nobis à DEO reuelati sunt. Ipse quoq; dominus IESVS conuenientissime exactor dicitur, quòd à nobis fidem ante omnia exigat. Nec moueat quempiam, q exactor in singulari ponitur. Nam sæpe in arcanis literis, ut non raro diximus, singulare pro plurali habetur. Et suprà arcus in singulari plurimos designat. Porrò lex Exactoris uocabulo aperte intelligitur. Esa. 9. ubi Christo dicitur: Sceptrum exactoris eius superasti.

Quòd si quis per exactorem etiam uerbi ministros capit, reprobare non possumus. Quandoquidem eorum ministerium est, per uerbum sanctum exigere in tempore

oportuno

oportuno ab his quibus ipsum uerbum annunciant, fructus ueræ iustitiæ, quæ est ex fide, quemadmodum ex parabola patris familiâs mittentis aliquoties proprios seruos, deniq; filium suũ ad uineæ suæ cultores, notum est. Matt. 21 Mar. 12. & Luc. 20.

Et erunt filij Iuda in prælio, de quo pauloante egimus, quasi fortes conculcantes hostes suos ut lutum uiarum. Sensus est: Tanta erit eorum fortitudo, ut omnes hostes suos sint deuicturi. Miri ergo & inuicti fuere bellatores, Apostoli sancti, de quibus hic locus primum capitur, & implebitur etiam in reliquijs Israël, cum in dierum nouissimo ad Dominum conuertentur: & quærent Dauid, id est, Christum regem suum. Oseæ tertio: ingressa scilicet gentium plenitudine. Roman. undecimo. Sed unde tam admirabile robur? A Domino. Vnde & subiungitur: Quia dominus cum eis. Qu. d. Non esset in eis quicquam uirium, nisi Deus illis adesset. Quo assistente, semper manebunt inuicti, & omnia uincent. Proinde cõfundẽtur ascensores equorũ, qui scilicet equis fidũt, uidentes se ab illis absq; ullis carnalibus armis deuinci. Cõfundentur quoq;, hoc est, humiliabuntur acquiescentes sermonibus Dei, erubescentes q; in equos & carnalia fiduciã habuerint.

Post hæc, quia Ecclesia dei est uera domus Iuda, de ea præscripti sermones capiũtur. Siquidẽ ex ea est angulus & paxillus Christus, imò illius caput est. Ephe. 5. & Col. 1. Ex ea quoq; arcus extenti, fideles scilicet ministri eloquiorum Dei, ac ipsæ acutissimæ eorundem eloquiorũ sagit

tæ. Ex ea omnis exactor, intelligendo per exactorẽ eadẽ, quæ suprà. Siquidem uniuersa hæc ad Ecclesiam pertinẽt. Et ipsi filij Iuda, nempe electi, fortissimo spiritu per uerbum Domini bellant, calcant & uincunt omnes, quòd dominus sit cum eis. Beatus qui est ex hac domo Iuda.

PARS QVINTA.

Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo. Et conuertam eos, quia miserebor eorum, & erũt sicut fuerunt, quando non proieceram eos. Ego enim dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

DOmum Iuda ad literam non tam dicitur confortaße dominus in Christi aduentu, quàm aliquos ex ipsa domo. Nimirum domus fermè tota desolatissima facta est, quòd Christum abnegarit. Nam proinde abiecta est, ne esset Domini populus, prout diximus Oseæ primo. De quibus maxime est illud Dani. nono. Non erit eius populus, qui eum negaturus est. Tametsi non abnuimus, quin Christus, mater eius, Apostoli, & omnes simul, qui ueritati acquieuerunt, domus Iuda recte dicantur. Hanc domum Iuda abunde confortauit Dominus spiritu suo & præsentia carnis assumptæ, uerbóque suo, atq; aliâs uarijs modis, ut ex historia Euangelica, actisq; apostolicis notum est.

Verum quod ad totam domum Iuda, siue Israël attinet.

net, necesse est, de ea & hunc sermonem adimpleri, quod sicut Oseæ tertio, Amos ultimo, & alijs pluribus locis probauimus, in dierum nouissimo est futurum. Tum confortabit domum Iuda & domum Ioseph, decem uidelicet tribus seruabit. Nam conuertet eos ad se, & miserebitur eorum.

Tum erunt sicut fuerant, quando eos Deus haudquaquam proiecerat, id est, uerus Domini populus. Quid enim erant, antequam à Deo proijcerentur, nisi Domini populus, illiq; gratus & acceptus? Et nunc ut uides sunt reiecti, ne sint id quod erant, nempe Dei populus. Sed ingressa gentium plenitudine, erunt denuo ipsum quod erant. Adijcit autem: Ego enim dominus Deus eorum. Ac si diceret: Ego qui nequeo mentiri, & sum ipsissima ueritas, ego, inquam, sum, qui hæc promitto, & ea implere possum & uolo, & ipsi sunt quos præ cunctis elegi, ut essem Deus eorum: & ideo fieri non potest, ut hæc minime impleantur. Non enim perpetuò reieci eos, sed in tēpus: ideo præfinito tempore reuertar ad eos in misericordijs. Et exaudiam tum eos, cum me deprecabuntur, eo quod iterum ero illorum Deus, & ipsi populus meus. Non enim abijciam deprecationes eorum, ut eo tempore, quo abieci eos, ne essent populus meus.

Porrò quæ ad literam intelliguntur de ipso Israële, secundum allegoriam huic loco non solum congruentem, sed & necessariam, de electis qui sunt uera domus Iuda, seu Israël, nempe Ecclesia, capiuntur. Siquidem nedum

hæc,

hæc, sed & quæcunq; hoc capite sequuntur, sunt iuxta allegoriam ad Ecclesiam referenda. Quæ per uarias domos Israëlis figuratur, eo quòd ex uarijs gentibus, populis, tribubus ac familijs congregetur, ut liquet Apoca. 7.

Igitur Ecclesiæ filios suo spiritu et uerbo Dominus confortat, & fide seruat, immo illos non seruari & confortari impossibile est, perireq; non possunt. Idcirco conuertet eos, ut hic habes, miserebiturq; eorum.

Tum erunt, quod fuerant, non in proprijs personis, sed in primis electis, Abel, Noë, Abrahamo & alijs, pro quorum filijs habentur. Sæpe enim in Scripturis, impij pro filijs impiorum, & iusti pro filijs iustorum habentur. Hinc Lucæ sexto de impijs dicitur: Secundum hæc faciebant Prophetis Patres eorum, non dubium, quin impiorum. Et ibidem paucis interiectis: Secundum hæc faciebant Pseudoprophetis patres eorum. De quibus plenius egimus apud ipsum Lucam. Erunt ergo sicut fuerant in primis illis patribus, maxime Abrahamo, cuius semen uocantur & sunt. Roman 9. Qui patres erant, cũ nondum abiecti essent. Sed quid erunt ipsi filij Iuda? Sicut eorum patres, incorrupti, fideles, Deo grati, pleni spiritu suo, & populus eius.

Obserua, quòd ꝓprie ille dicitur abijci, qui prius non erat abiectus. Et ideo hic locus non potest simplicius ac purius enarrari, quàm de ipso Israële, secundum carnem, qui nunc proiectus est quidem, sed eius reliquiæ tandem conuertentur. Gentes siquidem non dicuntur proprie

abiectæ,

abiectæ, sed uocantur plebs non dilecta, non consecuta misericordiam, & non populus Domini. Ose. 2. & Roman. nono. Itemq; 1. Petr. 2. Quod si quis uult asserere eos proiectos ab eo, q, fuerunt in Adamo, Seth, Noë, & sanctis nõnullis è primis. Dicimus, uerũ qdem esse, sed nõ est scripturæ consuetudo, ut per gentem proiectam alios intelligat, quàm Israëlem.

Quod deinde subiungitur: Ego enim sum dominus Deus eorum, & exaudiam eos, omnibus electis, qui sunt ueri Israëlitæ, summe conuenit. Siquidem in nomen sanctum domini IESV Christi, firmiter credendo, filij Dei facti sunt. Ioan. 1. Exaudiuntur quoq; orationes eorum, sicut Dominus promisit Matthæi septimo. Lucæ. 11. & Ioan. 16. Petite & accipietis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur uobis. Omnis enim qui petit accipit: & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur. Hi quoq; sunt pauperes illi, de quibus Psal. 9. Desyderium pauperum exaudiuit dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Et Psalm. 144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos.

PARS SEXTA.

Et erunt quasi fortes Effraim, & lętabitur cor eorum quasi à uino. Et filij eorum uidebunt & lætabuntur, & exultabit cor eorum in domino.

Qui

Qui ex Israël, domino in carnē ueniente, pietati ac-
quieuerūt, facti sunt, uelut fortes Effraim, nō ut oli
debiles & passim cadentes in idololatriam omni-
genam, nihilq; uirium ac spiritus habentes ad obsistendū
impijs regibus ac pseudoprophetis, sed constantissimi &
firmi ad obsistendum omni impietati, & custodienda ius
sa dei altissimi. Deniq; per Effraī Israël totus sæpe intelli
gitur, maxime autem decem tribus: ideo cum dicit: Erunt
sicut fortes Effraim, idem est ac si diceret: Erunt uelut
fortes, animosi, ualentesq; Israëlitæ, quod maxime de spi-
ritus fortitudine ac uigore intelligitur. Porrò in Israël
multos fuisse fortes, immo fortissimos, cum animo tum
corpore, nemo qui historias sacras legerit, ignorat.

Quidam sic enarrant: Et erunt quasi fortes Effraim,
hoc est, fortes ubertate, multum scilicet fœcundi, accipi-
endo Effraim adpellatiue, quod secundum Hieronymum
ubertas interpretatur. Quod non displicet, uerum prio
rem interpretationem malo, quòd eam non dubitem textui
esse germaniorem.

Fortes ergo Israël fuere Apostoli, immo fortissimi,
nempe ex sexaginta illis ad bella doctissimis, qui ueri So-
lomonis domini IESV Christi lectulum ambiūt, cuius uni
us cuiusq; ensis super femur suū propter timores noctur
nos. Cant. 3. Quorum cor lætatum fuit ueritate, quasi ui
no optimo, immo plus quàm uino quocunq;. Et filij eorum
quos per uerbum Domino genuerunt, id uiderūt, summe
proinde lætantes & exultantes in domino.

Fortes

Fortes itidem fuerunt alij omnes, qui ex Israël Christo acquieuerunt, & uera lætitia perfusi sunt inæstimabiliter. Quod eorum filij, qui nedum carne & fide patribus successerunt, agnouerunt, & de patrum suorũ fide, constantia & gaudio uero, in Domino lætati sunt, & exultauerunt.

Hæc impleta fuisse in primis illis ex Iudaismo conuersis, ostendimus: uerũ eadem perfectissime in ipsius Israëlis ultima & generali conuersione futura nõ dubitemus. Certissime enim erit reliquijs eius salus.

In uniuersis quoq; Ecclesiæ Dei filijs hæc adimplẽtur, quòd & ipsi ad Israëlem & Iudam pertineant. Proinde quæcunq; de primo cõuersis ex Iudæis superius diximus, similiter de uniuersis fidelibus intellexeris, eo dempto, quod iuxta carnem neq; Iudæi neq; Israëlitæ dici possunt. Nimirum ipsis fidelibus, uerum & desyderabilem spiritus uigorem cum sancta lætitia & exultatione, quantum ad salutem illis opus est, Dominus tribuit.

PARS SEPTIMA.

Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos. Et multiplicabo eos, sicut ante fuerãt multiplicati.

Eorum qui fuerunt ex domo Iuda secundum carnem, parua admodum fuit congregatio Christi diebus,

ita ut pro eo tempore nequeat hic locus de eis accipi. Implebitur autem diebus ultimis, dum in eorum corda sibilauerit Deus, cuius sibili efficacia conuertentur ad dominũ, & congregabuntur in Ecclesiam Dei, & multiplicabuntur, sicut ante fuerant multiplicati. Quæ multiplicatio cõuersionem omnium duodecim tribuum respicit, quas puto multiplicandas, potius numero piorum, quàm multitudine personarũ, quæ sint iuxta carnem ex Israël. Attinet quoq; ad hanc multiplicationem conuersio omnium gentium, & earum congregatio in Christi Ecclesiam, quæ ut toties diximus, uera domus Iuda & Israël est.

Porrò Dominus tum sibilare dicitur, cum illustrat, mouet, aut excitat, ad aliquid faciendum. Sic accipitur Esa. 5. Sibilabit ad eum de finibus terræ. Et Esaiæ septimo: Sibilabit muscæ, quæ est in extremo finium Aegypti, & api quæ est in terra Assur. Accipitur quoq; sibilare pro derisione, quo sensu hoc uocabulum in Prophetis, maxime in Esaia & Hieremia sæpe reperies.

Igitur sibilat alicui Dominus, cum illustrat eundem, qui sibilus est efficacissimus ad congregandum in Ecclesiam Dei, in quam hi solum congregantur, qui à domino IESV Christo redempti sunt. Vnde hic dicitur: Sibilabo eis & congregabo illos, quia redemi eos. Ergo nulli deus sibilat, eo sibilo efficaci, quo electi in Ecclesiam congregantur, nisi ex eis sit, quos DOMINVS suo sanguine redemit, pro quibus etiam solis mißus est, ac in carnem uenit.

Pars

PARS OCTAVA.

Et ſeminabo eos in populis. Et de longe recordabuntur mei, & uiuent cum filijs ſuis et reuertentur. Et reducam eos de terra Aegypti, & de Aſſyrijs congregabo eos. Et ad terram Galaad & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus.

Quod ſeminatur, idcirco ſeminatur, ut germinet et tandem multum fructum proferat. Sic ſeminauit deus filios Iuda, nēpe apoſtolos, quos miſit in gentes ad nominis ſancti ſui gloriam pronunciandam: audi eorum ſeminationem. Miſit illos Dominus, *& ait:* Ite, *ecce ego mitto uos, ſicut agnos inter lupos.* Lu. 10.

Nunc *obſerua, de fructu* Ioan. 15: Ego *miſi uos, ut edatis & fructum afferatis, & fructus ueſter maneat.*

Seminantur quoq; à Domino *uniuerſi fideles miniſtri uerbi eius, qui ad ueram domum* Iuda, *nempe* Eccleſiam *ſpectant, inter incredulos, qui pro gentibus coram* Deo *habentur, ut per ſanctum eius uerbum, fructum plurimum afferant.* Et *ego non dubito, denuo ſeminandos, etiam ex ipſa domo* Iſraël, *cum tandem conuerſi fuerint.*

In *ipſis autem* Apoſtolis, *itemq; in* Prophetis, *uide quā uerum ſit, quòd filij* Iuda *à* Domino *ſeminati fuerint.* Nimirum *etiam in hunc uſque diem inter nos ſunt eorum ſanctis libris ſeminati, quibus dum toto corde*

acquiescimus, nobis est salus, uitaq; æterna. Sic Zachariæ semen, immo ipsum Zachariam seminatum inter nos habemus in hoc libro, beatus qui gratum habuerit hoc illius semen. Idem de Ezechiele, Osea, Michæa, Paulo, Petro, & alijs sanctis ex Israël, qui Dei ueritatem nobis scriptã reliquerunt, sentire necesse est.

Et de longe recordabuntur mei. Hic est fructus ita seminatorum, ut scilicet qui prius erant de longe, nempe increduli, à quibus longe sunt, Deus, ueritas, salus, recordentur sancti nominis Domini, uerbum fidei suscipientes. Quia autem ex fide est uita, Abacuc secundo, & Heb. 10. ideo quotquot uere recordabuntur nominis Domini, hoc est, in illud perfecte crediderint, uiuẽt uita, quæ est per IESVM Christum, in spiritu sancto. Et id quidem cum uniuersis eorum filijs, modo fuerint illorum fidei imitatores. Veh his qui seminatis inter eos Apostolis & Prophetis, non reuertuntur ad Dominum, sed permanent in regione mendacij, in regione umbræ mortis, quæ à Domino longe admodum posita est. Recordemini Dei, & ad eum reuertimini, qui longe estis, & erit uobis ac filijs uestris uita & salus, alioqui peribitis. Quãdoquidem maledictus est, qui Deo proximior fieri recusat.

Sed quid amplius ait dominus? Et reducam ac congregabo eos, non dubiũ quin ueros filios Iuda siue Israël, nẽpe electos omnes, cuiuscunq; secundũ carnem tribus aut gentis, qui ad Israëlem attinent. Vnde reduces eos, ô Deus, unde congregabis eos? De terra Aegypti & de Assyrijs. Diximus

mus suprà cap. 9. & in Abdia, & alijs libris non raro, quod spiritus sanctus cõsueuit per unã aut plures nationes è gẽtibus, intelligere omnes gentes, incredulos, & hostes Dei. Ita & hic per Aegyptios atq; Assyrios, uniuersos terræ populos, eos præsertim, qui uerbo cõtradicunt, capere necesse est. Hi de populis reducentur & cõgregabuntur, dũ ab incredulorum synagogis per Dei spiritum attrahentur, & deducentur in sanctorum Ecclesiam.

Porrò ipsa Ecclesia per terram Galaad & Libani figuratur. Galaad enim seu Gilead interpretatur aceruus uel collis, testis seu testimonij. Libanus uero mons est, & interpretatur candor. Significat quoq; thus. Quæ omnia Ecclesiæ sanctæ maxime cõueniunt. Nã ipsa est terra in qua est aceruus & collis testimoniorum Dei, eorum scilicet, de quibus Psal. 18. Testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Et Psal. 118. Beati qui scrutãtur testimonia eius. Et iterum: In uia testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Rursumq;: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Vbi enim sunt eloquia Dei, nisi in ea? Ideo tametsi Bibliorum codicem increduli habent aut legunt, perinde est, atq; ipsum non haberẽt aut legerent, quod spiritũ, quo scriptura à Deo reuelata est, minime habeãt. Neq; illis ipsa DEI scripta sunt in testimoniũ, quod earũ testimoniũ haudquaquam accipiãt. Nã quia in eis regnat mendax carnis sensus, qui Dei ueritati semper cõtrarius est, fieri non potest, ut arcanæ literæ eis placeant, & illarum sensum amplectantur.

Ergo Synagoga incredulorum non est terra Galaad, hoc est, in qua est cumulus, uel terra cumuli testimoniorũ dei. Is Galaad est mons, cuius capris uiuacissimis assimilantur sponsæ, id est, Ecclesiæ capilli. Cant. 4. Vbi & uide huius loci interpretationem.

Est quoq; ipsa Dei Ecclesia Libanus, candida scilicet, & mons aromatum ac thuris. Hinc dicit ei sponsus Cant. 4. Vadam ad montem myrræ & collem thuris. Quem uersum proprio loco exposuimus, nempe in dicto Canticorum libro, à cuius principio multa habes de Christi et Ecclesiæ aromatibus, charismatibus scilicet spiritus Dei. O mõtem sanctum, odoratum, frugiferum, amœnissimum. O uere felicem & desyderatissimam Galaad regionem. Beatus qui ad eam à Domino misericorditer deducitur.

PARS NONA.

Et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis. Et humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Aegypti recedet. Confortabo eos in domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.

Vniuersos qui ex Aegypto et Assur, hoc est, ex incredulorum turbis ac populis, per diuini spiritus efficaciã & attractionem congregantur in Ecclesiã

dei, ueram terram Galaad, ueramq; Libanum, necesse est transire per angustum mare, ut Septua uerterunt, uel in maris freto, ut nos habemus. Sed fieri non potest, ut illæsi transeant, nisi præcedente Domino, de quo & dicitur: Et transibit &c. De hoc mari multa est inter expositores uarietas. Sed ea dimissa, id quod spiritum sanctum hoc loco uelle confidimus, subiungemus. Mare est mundus, & quæcunq; ad eũ spectant, ut incredulitas siue impietas, propter quam impij cor mari feruenti assimilatur. Esa. 57. Porrò hunc mundũ mare esse, notum est Psal. 103. in quo per allegoriam de eo dicitur: Hoc mare magnum & spaciosum, in quo reptilia, quorum non est numerus. Per allegoriam dixi, quòd secundum textus primum sensum de æquore intelligatur. Huius maris fluctus, sunt peccatum, mors, ĩfernus, ira dei et mala quæcũq;. Itidẽ doctrinæ, præcepta ac traditiones humanæ, & omne omnino mendacium. Verum & hæc ipsa per fluuios capiuntur, ut patebit. Igitur ait spiritus sanctus: Et transibit, indubie dominus unigenitus Dei, & unus cum ipso & spiritu sancto dominus, in maris huius mundi freto. Quando? Cum semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus fuit ut homo, ac humiliauit semetipsum usq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Philippen. secundo. Tũ expertus est maris huius amaritudines, contumelias & terrores passus, uulneratus propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, dum pacis nostræ disciplina fuit super eum, & peccata nostra pertulit

super lignum in suo corpore, in quo tam grauia pertulit, ut reputaretur quasi leprosus, uir dolorum & sciens infirmitatem. Esai. 53. Tum habitus fuit ut uermis, & non homo, obprobrium hominum & abiectio plebis. Psalm. 21. Deniq; inter sceleratos habitus est. Esaiæ. 53. Sustinuitq; famem, sitim, frigus, algorem, tentatusq; est per dies quadraginta, & aliâs sæpe. Luc. 4. Quid autem fuerũt omnia hæc, nisi transitus per mare præscriptum?

Audi autem quod subiungitur: Et percutiet in mari fluctus. Transiens quippe per mare præscriptum, fluctus eius percußit. Destruxit enim peccatum, mortem, et infernum, iramq; Dei: & facit ut nulli eiusmodi fluctus neq; etiam mors suis fidelibus obsint, sed omnia illis cooperantur in bonum. Roman. 8. Quod apertius habes Oseæ. 13. De manu, inquit, mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.

Idem autem figuratur per id quod addit: Et confundentur omnia profunda fluminis. Fluminis pro fluminibus, singulare uidelicet pro plurali. Quorum profunda tum confunduntur, cum destruuntur, quod non fit alioqui quàm aquis ablatis. Ideo sensum uertere Septuaginta sic: Et siccabuntur omnia profunda fluuiorum, hoc est, auferentur omnium malorum aquæ. Siquidem per aquas mala sæpe capiuntur: Ut Psalm. decimoseptimo: Eduxit me de aquis multis. Et Psalm. 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usq; ad animam meam. Fieri autẽ

non

non ualuit alioqui hæc fluuiorum exiccatio, quàm per solum Domini IESV Christi necessarium transitum.

In his deinde in quibus non est spiritus IESV Christi, qui scilicet non sunt facti participes transitus maris, id est, mortis ipsius Domini IESV Christi, hæc malorum flumina haudquaquam sunt exiccata, sed omnia illis cooperantur in malum, ideo non poßunt transire illæsi in his fluctibus & fluminibus. Contrà electi transeunt absq; damno, mox ut egreßi sunt ab Assur, & Aegypto, scilicet ab incredulorum Synagogis. Nimirum eorum peccata fide remittuntur, & non imputantur. Psal. 31. & Roma. 4. Et nulla est condemnatio eisdem. Roma. 8. Et sicut paulo ante ex Paulo diximus, omnia illis cooperantur in salutem.

Tandem eiusmodi fluuiorum profundis, marisq́; fluctibus desiccatis, per desideratissimum ac omnipotentißimum IESV Christi transitum, humiliatur superbia Assur, & sceptrum Aegypti recedit. Diximus per hæc duo, populi Dei hostium regna, intelligi populos pietati contradicentes, qui sub Assyrij Aegyptijq́; illius execrabilis, nempe, Satanæ imperio & sceptro uiuunt, sicut de eo scriptũ est. Ipse est rex super oẽs filios superbiæ. Iob 41. Hoc nimirum est quod dixit ipse, transiturus imò iam transiens per mare. Ioan. 12. Nunc iudicium mundi: Ecce percußionem fluctuum maris, & siccationem profundorum fluminum. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Ecce

ras. Ecce humiliationem superbiæ Assur, & amotionem sceptri Aegypti.

Porrò ipsa superbia, ipsumq; sceptrum, in uniuersis impijs adhuc est, quòd eorum rex, & pater Diabolus sit. Et quæcunq; ab eis tum fiunt, ad idem regnum spectant. Nunc uides apertißime, quid sint, cuius sint, & unde sint omnis imposturæ hostium Dei, itidem eorum opera. Sunt enim superbiæ Diaboli, quæ est omnis mali initiũ. Eccle. 10. Frondes, folia, & fructus, semper mortiferi, & nocentissimi, procedentes ab ipso Diabolo, & ad eum regnumq́; eius spectantes. Ex his palàm est quid sentiendum, de omnibus inuentis hominum, ut sunt decreta Antichristorum, & constitutiones sectarum perditionis, deq́; indulgentijs Papæ, uotis ad diuos, sacellis, idolis, & alijs id genus cunctis. Nunc uide quàm uere Paulus. 1. Timo. 3. prohibitionem coniugij, & esus omnium ciborum, doctrinam dæmoniorum adpellat.

Attende, & de ipsius Domini Seruatoris trãsitu, quid promittat Deus. Confortabo eos. In quo? In Domino, uel per dominum eorum IESVM Christum. Sed quos confortabis, ò Domine? Filios Iuda, fideles scilicet. Qui per ipsum Dominum IESVM confortati, ambulabunt in nomine eius. Ambulat in Christi nomine, qui ex fide uiuit, & omnia operatur, in fiduciaq́; sanctißimi nominis eius, ubiq; tutus est. Ambulat in eius nomine, qui uere dicere potest, illud Psal. 22. Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Itemq; illud

illud psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quē timebo? Dominus protector uitæ meæ, á quo trepidabo? Si cōsistant aduersum me castra, nō timebit cor meū. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

Obserua diligenter, quòd Dominus promittit, se consolaturum per filium suum, electos omnes, posteaquam exierint ab Aegypto & Aßur, ab Ecclesia scilicet malignantium, & fide uenerint in Ecclesiam suam. Pro quibus patrem rogat filius ipse suus, & dominus noster. Ioan. 17 quos dicit non esse de mundo, qui per Aßūr & Aegyptum hic capitur. Lege ipsum. 17. caput Ioannis, nam maxime huic prophetiæ congruit, in quo filius dicit, se seruasse suos, & patrem orat. Lege etiam quatuor aut quinq; præcedentia in ipso Ioanne capita, & uidebis quā mire suos consoletur. Deniq; uniuersi qui uere credunt, experiuntur, quanta sit eiusmodi confortatio. Conforta nos Pater summe in filio tuo, & da nobis, ut in nomine eius perpetuo ambulemus.

CAPVT VNDECIMVM.

Summarium Capitis. Primum, de Hierosolymæ euersione per Romanos, ubi & superbos regni Iuda deridet. Secundo, iubet filio Pater, ut oues pascat, quas reprobi pastores paßim occidebant, & de uindicta contra ipsos pseudopastores. Tertio, de adsumptione duorum regnorum Isaēlis, sub typo uirgarum scilicet decoris & funiculi.

culi. Quarto, de abſciſione ipſorum duorum regnorum & ſacerdotij, ſub typo abſciſionis trium paſtorum menſe uno. Quinto, quòd nolit eos paſcere, ſed magis abijcere. Sexto, de abiectione regni decem tribuum in ſpetiali. Septimo, quòd æſtimarunt Dominum triginta argenteis. Octauo, de abiectione regni duarum tribuum in ſpeciali. Nono, de Antichriſto, inſigniter prophetat.

PARS PRIMA.

APeri Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.

MAgna & uere inſignia multa, de Chriſto et Eccleſia, hactenus myſteria habuimus, nunc omnium fermè expoſitorum conſenſu Synagogæ, primū autem Hieroſolymæ & templi euerſionem, factam per Romanos prænunciat. Vbi Libanum non iam ut ante accipit, ſcilicet non pro Eccleſia Dei, uera Hieroſolyma, ſed pro ipſa terreſtri Hieroſolyma & templo eius. In quo etiam ſenſu ponitur Eze. 17. Aquila grandis, inquit, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate uenit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Liquet enim, ibidem aquilam Nabuchodonoſor, Libanum uero Hieroſolymam templumq́; figurare.

Igitur Propheta, qui ad ciuitatis et templi ædificationem,

nem, Zorobabelem ducem Iuda, & Iesum filium Iose=dech, sacerdotum Principem, omnemq; populum excita=bat, & commonefaciebat, simul de utriusq; euersione prophetat. Neq; dubito ipsum præuidisse, tum futuram Iudæorum cæcitatem, & quod eo usq; insanirent & pro laberentur, ut præferrent suas traditiones diuinis institutis, ita ut pro eorum adsertione, autorem uitæ damna=rent, & reprobarent, propter quod tandem abijceren=tur, ne essent Domini populus, euerteretur q; Hierosoly=ma, & populus captiuus duceretur. De quibus potißi=mum hoc capite agitur.

Ego puto simul Zachariam prophetasse de Hieroso lymæ & templi ædificatione, deq; eorundem euersione, ut ex tunc ipsi ædificantes, agnoscerent, quòd ea quæ fa=ciebant, non erant ciuitas illa, illúdue templum, de quibus tam mirabilia, à compluribus, atq; etiam ab ipso Zacha=ria prædicta erant. Et indubie id sciebant ueri fideles, mul tis idem prænoscentes argumentis. Videbant enim quòd nihil conueniebat eorum opus, descriptioni Ezechielis, de qua agit sui libri cap. 9. usq; in finem. Videbant item, id quòd murum ædificabant, non congruere prophetiæ, de qua suprà cap. 2. Vbi prædicit Hierusalem, absq; muro habitandam. Cum autem uidebant tum non impleri, non dubitabant aliquando, tempore scilicet à deo præfinito implenda. Idcirco de ciuitate ac templo, quæ tum extrue=bant, dicebant intra se. Si alia ciuitas, aliúdue templũ sunt ædificanda, quid fiet de his, quæ nunc extruimus? Proinde

eorum

eorum euersionẽ prædixit spiritus sanctus, perinde atq; illis diceret. Quod ab hominibus fit, & construitur, desicere & euerti necesse est. Cæterum ciuitas & templum, de quibus potissimum per Prophetas locutus sum, erunt spiritualia, æterna, inuicta, & semper inexpugnabilia.

Sed iam audiamus Prophetam, in spiritus uehemẽtia, sic exordientem. Aperi Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas. Ad impios ex Iudæis, qui Domino IESV Christo, & Apostolis contradixerunt, hæc uerba diriguntur. Et est sensus ac si ipsis præsentibus loqueretur. Vos impij, qui non suscepistis ueritatem dei, sed illi contradixistis, et occidistis Messiam, quem uobis misit deus, disperdemini cum urbe & templo. Siquidem ueniet contra uos Romanorum exercitus, cui uel nolentes, aperietis ciuitatis, & templi, ac munitionum uestrarum portas. Qui mox ut ingressi fuerint igne omnia absument, etiam altas cedros, nempe, duces & Principes tuos, ac summas arces, in quibus multum cõfidebas. Ignis hoc loco nedum elementum, sed & Dei grauissimam iracundiam significat, ut aliâs sæpe in scripturis, præsertim in Mose cantico, Prophetis et psalmis. Item comedere significat, uastare, disperdere, & consumere. Cedri autem, summos Principes, et quæcunq; præcipua erant Iudæis designat. Quia enim Libano monti amœnissimo, Hierosolymã templumq; eius adsimilarat, permanens in metaphora, quæ præter hæc, in eis prima summaq; erãt, cedros Libani uocat. Cedri fuerunt Principes & summi sacerdotes. Lege

Ioſephum & Egeſippum, & uidebis quas cedros, ignis diuini furoris, in Hieroſolymæ ac templi euerſione abſumpſerit. Vbi etiam agnoſces, ululatum abietum, quercuum Baſan, paſtorum et leonum, de quibus ſubiūgitur.

Vlula abies quia cecidit cedrus, quoniam magnifici uaſtati ſunt. Vlulate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus. Vox ululatus paſtorum, quia uaſtata eſt magnificētia eorum. Vox rugitus leonum, quoniam uaſtata eſt ſuperbia Iordanis.

Abietis adpellatione, qui poſt cedros, id eſt, ſummos Principes maiores erant capiuntur. Denique ululatus, planctus eſt uehemens, ſed confuſus. Abietes ergo, uiſo cedrorū caſu, et quòd ignis diuini furoris eas abſumpſerat, uehementer contriſtatæ ſunt, proinde hic inuitantur ad planctum & ululatum. Quod autem cedris primi capiantur, liquet ex eo quod mox ut dixit: Vlula abies, quia cecidit cedrus, ſubiūgit, quoniā magnifici (iuxta Septua. optimates) uaſtati ſunt.

Quercus itidem Baſan, uocantur ad ululatum, pro abſciſione ſal us muni . Per ſaltum munitum, urbem Hieruſalem & templum munitiſſima capit. Quæ ubi deſtructa per Romanos fuerunt, quaſi ſaltus munitus abſciſus eſt. Sed quæ ſunt hæ quercus Baſan, ſiue pingues? Baſan enī, pingue interpretatur. Quercu duriſſima ac fortiſſima arbore, robuſti deſignantur. Robuſti ergo & pingues, ſiue diuites bellatores, quercus Baſan ſunt.

Verum & Basan, regio est trans Iordanem, in quam primum, testibus Iosepho & Egesippo, exercitus Romanus, ueniens contra Hierosolymam se infudit, & uastata prius igne & ferro, tota fermè Galilæa, ipsam deinde Hierosolymam cepit & euertit, & indubie etiam tum quæ munita erant in regione Basan contrita sunt. Idcirco nihil reprobarim, si ita hic locus enarretur. O quercus, uos scilicet qui fortes èstis, quasi quercus, qui habitatis in regione Basan, ululate, quia saltus munitus succisus est, hoc est, quia uniuersæ tã uestræ, quã Iudeæ totius munitiones euersæ sunt, præsertim Hierosolyma & templũ.

Ipsam quoq; uastationem, magis inculcat, his quæ subduntur. Vox ululatus pastorum, hoc est, Regum & Principum, qui pastorum uocabulo capiuntur. Eze. 34. Quia uastata est, magnificentia eorũ, quæ scilicet in eis magnificentiora erant, præsertim prima ciuitas & templum. Pastores derisorie uocati sunt, qui non nisi lupi rapacissimi, leonesq; superbissimi ac sæuissimi erant. Proinde & leones uocantur. Ezech. 19. & hic cum subditur: Vox rugitus leonum, quia uastata est superbia Iordanis. Per Iordanem præcipuum terrarum Israël fluuium, tota Israël terra capitur, præcipue Iudæa, contra quam hoc loco specialiter prophetatur. Iordanis ergo superbia, tum uastata fuit, cum omnia, in quibus Iudæi maxime superbiebant, euersa sunt.

Obseruandum autem, quàm mira uehementia, aduersum impios & apostatas Iudæos, tum futura iudicia, spiritus

ritus Domini inculcarit, quo eadem futura nihil dubitarent. Denique & hic uidendum, quàm opposita sentiat & uelit ab impijs, quámque studiose subsannet adfectus eorum, ac omnem carnis fiduciam. Nimirum prophetantis simul & subsannantis, sunt eiusmodi uoces, ululate, cedri, quercus, magnifici, uox ululatus pastorum, uox rugitus leonum. Nam perinde est atq; diceret. O superbæ cedri, ô pingues quercus, & magnifici homines (pro talibus enim uultis haberi) ubi sunt illa præclara in quibus gloriabamini? Vbi Hierosolyma? ubi templum? ubi omnes uestræ ciuitates munitæ? Vlulate nunc, non solum flete ut homines, sed ut bestiæ & lupi (siquidem & lupi estis) ululate. Sed frustra omnia. Estis enim filij mortis, perpetuis malis diuexandi. Et subiungit. Vox ululatus &c. Ac si di. Audite uniuersi ululatum horum luporum, qui pro gregis mei pastoribus haberi uolunt. Dolent quòd ea sint uastata & demolita, unde gloriari & superbire consueuerant. Quid uobis uidetur? Nonne iustum est meum aduersum illos iudicium? Putant me crudelem, sic de me sentiunt & iudicant, uiri cæci. Neque obseruant, quantæ fuerint iniquitates eorum, in eo maxime quòd unigenito meo in carnem uenienti contradixerunt, eundemq; morte sæuissima condemnarunt. Nec uolunt agnoscere se peccasse, quin potius modis omnibus, ad id nituntur, ut omnis populus, cum eis cæcus permaneat & intereat.

PARS SECVNDA.

Hæc dicit dominus Deus meus. Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant occidebāt & non dolebant, & uendebant ea, dicentes. Benedictus dominus, diuites facti sumus.

ARduū & difficile est, quod hoc capite sequitur, et tam difficile quidem, ut uix ullibi maior difficultas, tametsi parem non nego. Ideo inter expositores, maxime est in huius loci enarratione diuersitas, & uix posteaquam admodum laborarunt, ad id tandem peruenerunt, ut aliquid dignum, aut quod bene congrueret, dicerent. Quemadmodum autem sæpe diximus, hoc est summum, quod in scriptorum dei interpretatione, est diligentissime obseruandum, ut singulæ partes interpretationis, singulis partibus textus quem exponimus consentiant. Neq; opus est, præscripta diuersitate onerare lectorem, quia neq; utile id esse putaui.

Igitur dicta uarietate dimissa, sensum quem arbitramur esse germaniorem, nunc adferemus. Pro quo est primum obseruandum, quis sit qui dixit, hæc dicit Dominus Deus meus. Is est Zacharias ipse.

Secundo, quis est cui Deus dixit: Pasce pecora occisionis? Ego eum esse arbitror, qui paulopost dicit. Ego pascam &c. Et iterum, & paui gregem. Is est Dominus IESVS Christus, pastor bonus & uerus. Eze. 34. & 10. 10.

Tertio,

Tertio, quæ sunt pecora occisionis, quæ pasci iubentur? Ea sunt populi simplices & pij, qui oues occisionis proinde uocantur, quòd ab impijs regibus, ac diuitibus, raperentur, discruciarenturq; uarijs modis, & ab eis compellerentur ad mortifera figmenta hominum. Oues quoq; eiusmodi sunt quotquot tam ex gentibus, quàm ex Iudæis Christum susceperunt, qui idcirco oues occisionis seu mortis dicuntur, quòd in gladium, mortem, exilium aliaq; innumera mala, pro Domini IESV Christi ac ueritatis eius testimonio dati sint. Et hi paulopost pauperes gregis uocantur, & dicuntur intelligere iudicium Domini. Ex his ouibus fuerunt, qui dixerũt. Aestimati sumus uelut oues occisionis. Psal. 43. Nihil moror, quòd omnes quotquot legi, per oues occisionis, intelligunt Iudæos, qui à Romanis fuere occisi, & captiuati. Nam is locus non est contra oues ipsas, sed maxime pro eis. Nihil enim nec pilum quidem hic reperies, quod pro eis non sit, si scopum diligenter prospexeris. Neq; obstat, quòd ante prædixit Hierosolymæ euersionem, nam multo magis conuenit cum præcedentibus, sic enarrare, ut diximus, quàm aliter, sicut oportune palàm fiet. Hæ sunt oues gregis, quæ pastore Christo percusso dispersæ sunt, infrà cap. 13.

Quarto, qui sunt, qui oues posedisse dicuntur? Profecto, quantum æstimo, non alij, quàm qui infrà earum pastores adpellantur.

Præterea obserua, quòd Propheta sicut prædiximus, præuidens Hierosolymæ quã tum extruebant destructionem,

nem, præuidit simul et causas eiusdem destructionis, nempe, obstinatorum ex Iudæis insaniam, contra Dominum IESVM Christum, & omnes professores nominis eius. Et indubie etiam præuidit, quàm multi ex gentibus surgerent unanimiter cum ipsis Iudæis, aduersum tam Christũ quàm suos omnes. Quòd aduersum Christum surrexerint, & ex Euangelica historia, & ex psal. 2 notum est. Reges enim terræ, & Iudæorum Principes conuenerunt in unum, aduersum Dominum, & aduersus Christum eius. Quòd aduersum fideles ut Iudæi surrexerint, notius est, quàm ut probatione opus sit. Quia autem summi & primores tam ex Iudæis quàm ex gentibus, maxime contra Christum et fideles eius desæuierunt, desæuiuntq; etiam hodie, ideo primum & specialiter aduersum illos, hic sub pastorum nomine prophetatur. Simul quoq; uir Dei præuidit, quàm multi reprobi pastores tum in Iudæa ante Christi aduentum futuri erant, qui perderent, mactarent & raperent ipsum populum Domini. Ideo nunc de uero pastore prophetat.

Nunc ergo ait: Dominus Deus meus, hæc dixit. Cui? Domino IESV Christo, filio suo, in carnẽ uenienti. Quid dixit? Pasce pecora occisionis, populum scilicet meum, quem nõ pauerunt pastores eorum Reges uidelicet, sacerdotes & Prophetæ, quin potius eis mortifera dederunt, nempe, mendacia, doctrinas, & traditiones hominum, et illos minime dilexerunt, sed rapuerunt, mactarunt, occiderunt, pascentes semetipsos, nõ ipsum populum meum,

contra

cōtra quos apertissime prophetat Ezechiel, sui libri cap. 34. Nolentes autem eorum mendacijs adquiescere, sed fauentes ueritati meæ, persecuti sunt, uarie discruciarunt, & occiderunt, ut de Prophetis, Apostolis, alijsq; sanctis notum est. Hunc ergo populum meum, tam adflictum, ab hisce falsis pastoribus, tu fili mi IESV Christe (dicit Dominus Deus) pasce, non dubium quin spiritu suo, ac uerbo suauissimæ ueritatis suæ. Pasce, consolare, lætifica, & tribue pacem, quæ omnem sensum exuperat, quæ etiam est inter aduersa omnia, mentemq; & animum eorum corrobora in beneplacito meo. Non sint ultrà hi falsi pastores, cuiusmodi plures, habuit Hierosolyma. Sis tu corū pastor, & Princeps in medio eorum. Eze. 34. & 37.

Porrò hoc uerbum, pasce, Domino IESV Christo, perpetuo à Patre dicitur, ut semper pascat filios suos, qui scilicet fide filij Dei facti sunt. Ioan. 1. Qui positi sunt inter incredulos, sicut oues inter lupos. Matth. 10. & Lu. 10. Qui æstimantur, haud secus atque oues occisionis. Psal. 43. Et tanquam huius mundi purgamenta habentur. 1. Corin. 4. Hos semper pascit Dominus IESVS Christus. Siquidem & illi à Patre derelicti sunt.

Sed unde probabitur, quòd hoc uerbum filio dicat Pater? Per id probamus, quòd sicut diximus, ipse est uerus electorum pastor, qui eos per se & ministros suos, uerbo suo pascit. Nam si alicui alteri diceretur, non uideretur alius, quàm Propheta iste, sed ipse non est, qui infrà dicit: Et pascam pecus occisionis. Et Rursum. Paui gre-

gem. Et non puto rectum esse in eadem Prophetia, tam cito mutare, eiusdem sermonis interpretationem, nisi textus circunstantia compellat. Ego omnino sentio hæc dicta Christo, qui infrà capite 13. dicitur. Habere oues gregis, quæ ipso percusso dispersæ sunt.

Deniq; maxime congruit ordo textus, ut posteaquam prædixit Hierosolymæ tẽpli, totiusq; Iudææ ac principatus eorum euersionem, nunc prophetarit apertius, aduersum eorum Principes, ac uniuersos, qui eorum impietati subscriberent, & prænunciarit Domini IESV Christi gloriosissimum principatum, adtuleritq; sermonem Patris summi, filio dicentis: Pasce oues occisionis, non sint ultrà pastores, qui hactenus pro talibus haberi uoluerunt. Tu sis eorum Rex, Pastor, Princeps, & Dux. Cessent illi carnales Principes Synagogæ, Reges, Sacerdotes, & Prophetæ, tu pro omnibus sis & in æternum quidem Rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Psal. 109. Et nullus alioqui quàm tuo spiritu prophetet, ut non iam illi, sed tu in eis prophetes, & tu in eis uerus Propheta sis.

Quia deinde ipsa Hierosolyma, ut Christum occidit & sanctos, typus est gentium, & quia etiam gentium conuersarum pastor & Dominus Christus est, ideo cum ei Pater dixit: Pasce oues occisionis, etiam de electis gentium intellexit, quòd scilicet eorum pastorem constitueret Dominum IESVM Christum, & liberos eosdem faceret ab omni iugo hominum, quod simul cum Dei uerbo

stare

ſtare nequit. Hic ergo locus, de libertate fidelium agit, quam per Domini ſpiritum, mox ut credunt conſequuntur. O uere glorioſam, ſanctam, & deſiderabilem libertatem, quæ nimirum tanta eſt, ut fidelis etiam fortiſſimis uinculis conſtrictus, atq; etiam in medio umbræ mortis, in Domino IESV Chriſto liber ſit, & nihil obſiſtente tyrannorum rabie, ab eius ſpiritu uerboq; paſcatur. Sed iam ad textum redeamus.

Ait Pater æternus unigenito filio ſuo, Domino IESV Chriſto: Paſce uerbo & ſpiritu ueritatis, per te & pueros, ſeu miniſtros quos dedi tibi, pecora occiſionis, oues meas & populum meum, quem qui poſſederunt, hi ſcilicet, qui pro eorum rectoribus habere uoluerunt, occidebant, & occidunt, uarijsq; modis adfligunt. Id autem facientes, non dolebant, hoc eſt, indurati erant, et quantumlibet à Prophetis illis diceretur, nolebant agere pœnitentiam ſuper crudelitate, rapina, & tyrannide ſua, quin potius lætabantur cum male fecerant & exultabant in rebus peßimis. Tyrannidem quoq; ſuam, quaſi licitũ quiddam tuebantur. Nam uendebant ipſas oues, hoc eſt, ſeducebant (ſiquidem nõ raro uendere pro decipere etiam in ſcripturis ponitur) rapiebant, deſolabantur. Aut uendebant etiam nonnulli, aliquos ex pijs, in manus hoſtium, tamen puto primum, magis uelle ſpiritum ſanctum. Senſus eſt. Pro nihilo habebant, ſalutem, bonum, pacem, & proſperitatem ipſarum, imò eiſdem tanto erant contemptui, ut illis pro minimo eſſet, eas occidere, ſeducere,

uendere, modo lucri nonnihil eis adcederet. Vbi autē rapi nis ditabantur, dicebant Benedictus Dominus. Diuites fa cti sumus. Fecimus & consecuti sumus, quod uoluimus. Sic lætabantur fidelium tyranni, lætanturq; etiam hodie, cum sanctos Dei occidunt, cum eos rapiunt ad carceres, ignem, & quæuis tormenta. Sic quoq; & gaudent, dum scortati sunt, seipsos de inimicis uindicarunt, aut alia con tra Dei uerbum egerunt. Neq; tam dolenda res esset, si etiam hi qui pro CHRISTI *fidelibus haberi uolunt, nihil minus istis facerent. Nimirum sunt innume= ri, qui sunt priscis omnibus tyrannis deteriores ac cru= deliores, & quamuis optent haberi pro fidelibus, nemo à mundi principio, acrius ipsis, contra Christum & ser= uos eius pugnauit. Hi sunt uniuersi qui ad Antichristi regnum spectant. Sed habebunt miseri iudiciū suum, tem= pore quod ab æterno præfiniuit Deus.*

PARS SECVNDA.

Et pastores eorum non parcebant eis, & ego non parcam ultra super habitantes terram dicit dominus. Ecce ego tradam homines, unumquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui, & concident terram & non eruam de manu eorum, & pascam pecus oc cisionis propter hoc ò pauperes gregis.

Domini

Domini nostri IESV Christi, Dei simul & hominis, est hic sermo, quem quidam sic enarrant, sed perperam, ut sit sensus: Pastores eorum nō parcebant eis, ita neq; ego sum illorum miserturus. Vbi obsecro tale quiddam in Scripturis quis legit? Nunquid deus, quia alij sæuiunt, uult sæuire? Absit. Non facit hoc, qui natura pius & misericors est, quin potius his, quibus impij desolationem & aduersa inferunt, consolationem mittit. Neq; dicitur hic: Quia pastores non parcūt eis, neq; ego illis parcam, sed iuste iudicās de impijs ait: Quia non pepercerunt ouibus, ego non parcam terræ habitatoribus, ipsis scilicet reprobis pastoribus, & his qui eorum tyrannidi mendacijsq; subscribunt. Non enim de ouibus præscriptis intelligitur, nam de eisdem paulo post ait: Et pascam &c.

Igitur usq; in hunc locum sermo est patris summi dicentis filio, immo totius trinitatis, constituentis Christum hominem pastorem gregis sui, electorum scilicet, illiq; iubentis: Pasce &c. Tum ille humiliauit semetipsum, factus obediens pro ouibus præscriptis usq; ad mortem, ut tandem pastor earum esset, quas ut digne pasceret, data est sibi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. ultimo. Qua accepta, ait quod hic habes: Et pastores &c.

At dicet aliquis: Vnde nosti, quòd domini I E S V Christi sint hi sermones? Respon. quòd duplici argumēto id conijcere licet. Primum, quòd sicut probauimus, ipse est, cui pater dicit: Pasce. Quod si ita est, profecto

ipse est, qui paulo post respondet: Et pascam. Respondet enim iubenti Deo Christus homo, unus cum eo Deus. Secundo, ipse est, cui Pater dedit omne iudiciũ. Ioan. 5. Ideo & ipse ait, Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nũc Princeps huius mundi eijcietur foras. Certũ est autem, q̃ hic agitur de iudicio aut condemnatione mundi huius, impiorum scilicet pastorum, & omnium qui terram amant, ꝓpter quod puto hunc sermonem Christi iudicis esse.

Dicit ergo: Et pastores eorum pecorum scilicet occisionis, non parcebant eis, sed occidebant, uendebant, seducebant & affligebant ea, ut tu mi Pater dixisti. Noli nimium curiosus esse pro eo, quòd huic uersui præponitur, Et coniunctio. Nam Iudæis est frequens, ut etiam à librorum principijs, Et, ponãt, ut in principijs Ezechielis & Ionæ: Et ego Christus, posteaquam me pastorem fecisti, nõ ero crudelis ouibus tuis, quas mihi commisisti, sed protegam eas à falsis pastoribus, & impijs omnibus, quibus ultrà non parcam, nec ultrà dissimulabo, cũ occiderint & male tractauerint oues tuas. In hoc secundo uersu, Et coniunctio, pro ideo ponitur, quod & Septuaginta uerterunt. Dicit, quòd non parcet ultrà habitatoribus terræ, quod nonnulli de sola Iudæa capiunt. Nos aliud arbitramur, nempe quòd de uniuersis impijs & incredulis sit accipiendum, qui è terra sunt, & terræ habitatores, idcirco dicuntur, quòd sola quæ super terram sunt, quærant & sapiant. Nam quod spectat ad oues Christi, illæ dicunt: Nostra conuersatio in cœlis est.

Sed quod iudicium facies aduersum impios, ô Pastor noster? Ecce ego, inquit, tradam homines &c. Quemadmodum pax CHRISTI, figuratur conflatione gladiorum in uomeres, lancearumq; in falces. Esaiæ. 2. & Michcæ. 4. ac per sessionem sub uite & ficulnea: ita per bella, seditiones & terræ perturbationem, omnigena intranquillitas, ea maxime quæ paci Christi est opposita, figuratur. Nimirum impijs non est pax, dicit dominus Deus. Esaiæ quinquagesimoseptimo. Idcirco præfato textu, quid minatur Christus, nisi quòd sit pacem ablaturus è terra? Quod certe non potest de ouibus Domini, id est, credentibus adcipi. Quandoquidem etiam in medio umbræ mortis pacem habent. Deniq; eosdem, tanquam amicos & eos, quibus nota facit, quæ à patre audiuit. Ioan. 15. hic alloquitur. Nam eis solis datum est, ut noscant mysteria regni Dei. Mat. 13. Mar. 4. & Lu. 8.

Sic autem ordinandus est textus: O pauperes gregis, oues infirmæ, percusso pastore dispersæ (infrà ca. 13.) qui mei caussa habemini pro ouibus occisionis, & à reprobis pastoribus ipsissimis lupis, multa patimini, ecce, uidete, intendite, propter hoc, quia scilicet pastores non parcebant uobis, & non erant pij ac misericordes in uos, quinpotius duri, rapaces, crudeles, quod & usque hodie sũt, ego CHRISTVS uerus pastor uester, ꝑ uobis semel in uestram salutem & exemplũ percussus, nunc uero nõ iam percußus, sed regnans in cœlo et in terra, tradam ipsos homines hostes uestros (nõ enĩ potest adcipi hic

locus

locus de amicis ouiū domini) unūquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui, & peribunt uarijs modis afflicti, quòd nō sim eos erutururus de manibus affligentium eos, in uindictam iniquitatis & tyrannidis, quam contra uos exercuerunt & exercent. En uidemus nostro sæculo, & apertissime quidem, quàm hæc sint uera in hostibus pietatis, in quibus perpetuæ lites, dissidia, rixæ, bella, homicidia, iræ, inimicitiæ, conscientiæ inquietudo, & id genus innumera. Summa. In eis nulla est pax, etiam si maxime in pace esse uideantur. Iudicio ergo domini fit, ut nulla sit reprobis pax.

At dices: Quid est, quòd non damnat solos pastores quorum tyrannidem reprobat? Dicimus, quòd nihil uel parum efficiunt pastores ipsi, nisi populi impij ministerio. Non enim possent. Cæterum uidentes populos pari sensu in omnibus ambulare, nihil est, quod non audeant, nihil est quod non tentent, etiam aduersus Dominū & Christum eius. Nihil profecisset Hieroboam, cum uitulos posuit in Israël. 3. Regum. 12. nisi populus eius mendacijs subscripsisset. Recte ergo simul omnes à Christo damnātur, etiam populi, qui pro impijs pastoribus, summo pastori contradicunt, eo æquissime iudicante fit, ut eorū, quibus ipso contempto adhæserunt, tyrannidem & crudelitatem in seipsis experiantur.

Præscriptis ergo malis concidetur terra, & omnia perturbabuntur, qd' & nos experimur nostro sæculo. Vnde enim tot tumultus, qui hodie sunt? Putas quòd ob aliud sint,

ſint, quàm quòd Deus facit uindictam ſanguinis electorũ, & uerbi ſui, quod ab impijs in eorũ ſempiternam perniciem tam effrenate calcatur? Hæc mala ipſe qui ea miſſurus erat, Dominus IESVS Chriſtus prædixit. Lucæ 21. Surget, inquit, gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroresq́; de cœlo & tempeſtates, & ſigna magna erunt.

Grauiſſimum autem omnium iudicium eſt, quod dicit, ſe non eruturum à malis ipſis. Nam tolerabile eſt, in tempus mala hæc, tam ſpiritualia quàm corporea, & temporanea experiri. At nunquam ab eis eripi, quid niſi mors ſempiterna? Electi mala ſæpius habent, uerum non niſi in eorum bonum. Inter ipſa quoq; mala ueram animi pacem habent. Tandem à malis omnibus eripiuntur. Contrà reprobi, etiam ſi externe ſint iucundi, pace interna nunquam potiuntur. Semper quoq; Domino ſunt abominabiles, cæci, increduli, donec uiuunt, tandemq́; mergũtur in interitum ſempiternum. Hi ſunt quos à manu mali Chriſtus nunquam eripit. Erue nos Domine in miſericordia & miſerationibus, ut confiteamur nomini ſancto tuo.

Sed quid amplius ait dominus IESVS Chriſtus pauperibus gregis? Et paſcam oues occiſionis. Quas? Indubie eaſdem, qui pauperes gregis, uel pauper grex Domini ſcilicet, de quibus parte prima uidimus, quare oues occiſionis appellentur. Quæ dicuntur pauperes gregis dominici, uel pauper grex dominicus, quòd nihil afficiantur terrenis,

terrenis, sed spiritu uere pauperes sint. Is *est grex, cui in Apostolis* Dominus *ait:* Nolite *timere pusillus* grex, *quia complacuit patri uestro dare uobis regnum.* Quibus *pascuis hunc gregem depascet?* Herbis *uirentibus eloquiorum* Dei. Hæc *sunt pascua uberrima, & pinguia montium* Israël, *de quibus latissime prophetatur* Ezech. 34. In *his pascuis erat ouis illa, prius errans uelut ouis quæ perit, à* Domino *autem quæsita & inuenta,* Psalm. 118. *quæ* Psalm. 22. *ait.* Dominus *regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Super *aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.*

PARS TERTIA.

Et assumpsi mihi duas uirgas, unam uocaui decorem, & alteram uocaui funiculos.

Virga *in Scripturis, aliâs regem aut regnum significat, aliâs flagellum* Domini. Christum *ut regem significat.* Esa. 11. Egredietur *uirga de radice* Iesse. Regni *uero eius sceptrum, nempe uerbum, & per id regnum ipsum.* Psalm. 109. Virgã *uirtutis tuæ emittet dominus ex* Sion. Deniq; *flagellum designat.* Psalmo. 22. Virga *tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Et Psalmo. 88. Visitabo *in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum.* Hinc *etiam* Reges *per quos* Deus *afflixit* Israëlem, *furoris sui uirga dicuntur.* Verum *de*

duabus

duabus uirgis hic positis, diuersa à diuersis scribuntur, ad modumq́; perplexus apud me fuit hic locus, quod attinet ad eius interpretationem, cum scirem in omni syncera enarratione summe quærendum, ut nihil in ea sit, quod omnibus textus partibus non conueniat. Video autem, quàm nihil ferè consentiant, quæ à nonnullis hic dicuntur. Ego post omnia diligentia qua ualui meditata, non puto, per harum uirgarum assumptionem & abscisionem aliud figurari, quàm electionem duorum regnorum Israël, uel duodecim tribuum, in duo postmodum regna diuisarum, illarumq́; iustam abiectionem, quod diuinis testimonijs adnitar roborare. Quod si quis certius quippiam habet, proferat, ut uniuersi electi ex ueritate apertius reuelata lætentur.

Est autem primum id uidendum, cuius sit is sermo: Et assumpsi &c. Cui dubio respondemus, ꝙ eiusdem sit, qui paulo post dicit: Adpenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Is est dominus IESVS Christus, cuius etiam præcedẽtia fuisse probauimus, neq; aliquid est, quo ostendi possit, mutari personam loquentis. Nimirum in omnis scripturæ interpretatione summe est uitandum, ne dicamus personam mutari, nisi aut aperte id exprimatur, aut ex locorum circunstantia id palàm fiat. Quemadmodũ paulo ante cũ dicitur: Pasce, et deinde respondetur: Pascam, conijcitur, quòd is cui dicitur: Pasce, alius sit ab eo, qui idem uerbum dixit.

Et id quoq; est annotandam, ꝙ ipse dominus IESVS

Christus hæc dicit, posteaquã à proditore uẽditus fuit. Vbi obserua gloriã spiritus pphetici, qua in persona Christi, de his mysterijs Zacharias tam aperte locutus est, ac si iã facta essent.

Igitur Christus ait: Et assumpsi olim, elegi scilicet, non ut homo, sed ut unus cum Patre & spiritu sancto Deus: mihi, id est, in populum meum, duas uirgas, id est, duodecim tribus Israël, quæ sub Roboam filio Solomonis sunt in duo regna diuisæ. 3. Regum. 12. De qua electione dicitur Deute. ca. 32. Quando diuidebat (& abijciebat à se) altissimus (Deus) gentes, & separabat filiós Adam. Constituit terminos populorum (alienorum ab Israël) iuxta (propè, aut in uicinia) numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus eius Iacob funiculus hæreditatis eius. Et paulopost: Assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. Alijs quoq; locis plura de hac electione habes. Porrò gentes, quia non habebantur pro Dei populo, & uocabantur populus non dilectus, ac misericordiam haudquaquam consecutus, idcirco non possunt per has uirgas intelligi. Quo palàm fit, pperam à nonnullis per primã uirgam gentes capi. Illis quippe haud congruit sermo præscriptus: Et assumpsi. Non enim fuere tũ à domino aßumptæ, quin potius abiectæ & depulsæ.

Cæterum primam uirgam, nempe regnum maius, decem scilicet tribuum, quarum primus rex fuit Hieroboã ille impius, filius Nabatæ, qui peccare fecit Israël, in uitulis aureis ab eo excogitatis. 3. Regum. 12. Hanc, inquam,

uirgam, siue regnum uocauit decorem seu pulchritudinẽ, tam ob populi multitudinem, quàm ob magnitudinem Regni atq; diuitias. Forsan autem sic uocauit eos, ꝙ sit commune spiritui sancto, uocare multos secundum ea, quæ de seipsis sentiunt & gloriantur. Sic hypocritas irridendo uocat potentes & diuites Lu. 1. & iustos ac sanos. Lu. 5. Non egent, inquit, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. Ita quoniam hi, qui ad ipsum regnum spectabant, gloriabantur in diuitijs, potentia, regni decore, humana sapientia, ac proprijs inuentis, eos subsannando, regnum eorum decorem adpellat. Quòd autem uirga regnum significet, suprà probatum est.

Alteram deniq; uirgam, non dubium quin regnum duarum tribuum, uocauit funiculum seu funiculos. Cuius adpellationis caussam hanc unicam esse puto, ꝙ uerus DEI cultus in eo post regni Israël partitionem remanserit. Stolida enim ea est ratio, quam allegat quidam, ꝙ ideo uocatum sit funiculus, plus quàm regnum decem tribuum, eo ꝙ Roboam rex Iuda dixerit populo: Pater meus cecidit uos flagellis, ego autem cædam uos scorpionibus. In scorpionibus autem sunt funiculi. Absit, ut rem tam stupidam profiteamur. Nunquid Deus Regnum ab eo electũ uocare nesciuit alio uocabulo, q̃ eo quod inconsulte & in suum malum protulit imprudens ille Roboam? Nihil minus dicendum putamus. Hæc ergo est caußa, ꝙ apostatãte regno decem tribuum post uitulos aureos, regnũ Iudá

X coluit

coluit deum, propter quod funiculus siue hæreditas domini adpellatum est. Prius totus Israël uocabatur funiculus siue pars Domini, quod uocabulum mansit duabus tribubus, propter domos DOMINI, cultusq; eius præsentiam.

Obserua, quod Dominus assumpsit Israëlem, siue elegit in æternitate, & aßumpsit in tempore, nempe quando uocauit Abrahamum patrem eorum, apertius aũt cũ uocauit eos ex Aegypto, et dedit terras pmissas. Vocatio autem prædicta competit eis, á regni Israël diuisione.

Et paui gregem.

Dei sermonibus pascitur uerus grex domini. Eo ergo pauit Israël Deus. Sed non omnibus sapuit is cibus, nisi eis qui fide syncera uerbo hæserunt, qui soli ad Domini sanctum gregem pertinuere. Nam alij non nisi in faciem in ipso grege supputati sunt. In pluribus enim non est bene placitum illi, propter quod in deserto prostrati sunt. Ro. 10. Diximus autem, q; domini IESV Christi est is sermo, qui in se credentes pascit. Sed tũ nondum in carnẽ aduenerat. Quomodo ergo uerũ est, q; ait: Paui gregẽ? Huic dubio Paul. Ro. 10. apertiß. respõdet. Et oẽs, inquit, eandem (supple nobiscum) escam spiritualem manducauerunt, et omnes eundem potũ spiritualem biberunt. Bibebant autẽ de spirituali consequente eos petra. Petra autẽ erat Christus. Quisquis ab orbe condito in eum uere credidit, fuit Christi ouis, cui ipse fuit esca & cibus. Ergo syncera in eum fide uniuersi credẽtes ex Israël, etiã in Aegypto, aut

deserto,

deserto, uere depasti fuere. Proinde Christus dixit. Et paui gregem, electos scilicet omnes, primum ex Israël, deniq; ex gentibus, qui ad domum Israël pertinent. Et uere quidquid Ioan. 6. de manducatione carnis, & potione sanguinis Christi dicitur & iubetur, in sanctis omnibus ab initio adimpletum est. Sed quando pauit hunc gregem? Certe non solum à tempore diuisionis regni Israël, sed etiam ab initio sæculi.

PARS QVARTA.

Et succidi tres pastores in mense uno, & cõtracta est anima mea in eis. Siquidem & anima eorum uariauit in me.

Dicunt nonnulli hos tres pastores fuiße Mosen, Aaronem, & Mariam eorũ sororem,, quorũ Maria mense Nisan mortua est, & eodem mense Moses et Aaron abiecti sunt, ut nequaquam introducerent filios Israël in promissam terram, ut patet Nume. 20. Alij dicũt hos fuisse Ioram, Ochoziam, & Iezabel, quos simul Iehu interfecit. 4. Reg. 9. Nos horum neutrum dicendum arbitramur. Et primum quidem non satis congruit, q, mox subiungatur: Non pascam eos, dominus autẽ etiã post eũ mensem Nisan, pauit tam Mosen & Aaron, q̃ fideles ex populo, uerbo suo. Neq; tũ sic fuit abiectus ipse populus, ut de eo impletũ sit illud, qđ subditur: Quod moritur, moriatur &c. Neq; si ordinem textus inspicis, hæc uidentur

 illis

illis congruere posse. Neq; secundum bene consentit, qđ & ipse iudicabis, si omnes textus partes diligenter expẽderis. Nam certum est, hanc ꝓphetiam esse primum de assumptione Israëlis: secundo de abiectione eius, & præter id etiam aduersum reprobos pastores seducentes populũ & tyrannidem in pios exercentes, quod tam ex præcedentibus, q̃ ex his quæ sequũtur, notũ est. Qui aũt fuere Iorã, Ochozias, & Iezabel, ut eorum magis quàm Hieroboam filij Nabath, aut Amri, aut Achab, aut aliorum pessimorum in tam insigni prophetia meminerit? Profecto magni periculi res est, in his speciatim definire.

Ego sentio, & ita esse nihil dubito, quòd impij pastores, hoc est, Principes aut sacerdotes, siue Prophetæ, quorum numerum definire non audeo, capiuntur. Sæpe enim ut non raro diximus, eiusmodi numeris aliud capitur, quàm litera uelit. Et si licet conijcere, arbitror his tribus pastoribus duas uirgas præscriptas, & præter id sacerdotium legis figurari. Nimirum ad dictarum uirgarum abscisionem, legis sacerdotium cadere notum est. Generaliter autem hic de ipsis tribus agit, deinde specialiter de duobus, cum quibus & tertium intelligitur. Quod deniq; addit, de mense uno, absit ut definiamus, quod nõ licet nobis. Id tantum certum est, quòd per ipsum mensem aliquod tempus capitur. Forsan intelligit pro anno diem, sicut scriptum est: Diem pro anno tradidi tibi. Ezech. 4. quod tamen non dico. Id enim tantum dico, quòd aliquod tempus figuratur, illud scilicet quo hæc fecit deus,

quo

quo præcidit uirgas duas & sacerdotium. Aestimo autē hoc tempus distributiue capiendum, maxime de succisione duorum pastorum seu uirgarum, quæ lōgo interuallo, una uirga post aliam præcisa sit. Porrò tertij pastoris præcisio cum alijs simul facta est. Sacerdotium enim domini, cessauit in Israël, cum translatus fuit in Assyrios. 4. Reg. 17. Cessauit deinde in duabus, translato simul regno et sacerdotio in Christum.

Igitur distributiue, scilicet cuilibet pastori, maxime duob. regnis proprium mensem tribuēdo, hic locus sic enarretur: Ego Christus ut Deus, una cū Patre & spiritu sancto uirtute, succidi, id est, abieci tres pastores, uidelicet regnū decē tribuū, regnū duarum tribuū, & sacerdotiū legis, in mense uno, in tēpore scilicet, quod ad id præfiniui, primum sub Osea, anno eius. 9. 4. Reg. 17. Secundū sub reuelato Euāgelio: Tertium cū utroq;. Et contracta est anima mea ī eis. Sensus est: Odi eos, & nō placēt mihi. Hos quoq; succidit, cū abstulit, & iuxta prophetiā Ose. 3. fecit, ut essent sine rege ex eis, sine Prīcipe, sine Ephot ac sacrificio. Quod & illis fuerat comminatus. Leui. 26. & Deut. 28.

Quare hæc regna & sacerdotiū abiecisti & abstulisti? Et anima tua grauatim illos tulit & odiuit? Hoc nō feci nisi titulo iustissimo. Siquidem & anima eorum uariauit in me. Hoc est: Ipsi in me uariarunt, non perstiterunt in uerbo & ueritate mea. Nam pastores primi regni mox ut diuisum est regnum Israël, posuerunt in suo regno uitulorum et Baal, ac aliorum idolorū immunditias. Pastores

uero secundi regni, paucißimis demptis, à uero Dei cultu apostatarunt, & ad idē traxerunt populū: Tertij autē pastores, nempe Sacerdotes & Prophetæ non obseruarunt legitima domini, et pphetarūt mēdaciū, ut dicitur Hie. 2. Sacerdotes nō dixerūt, ubi est dominus, tenentes legē meā nescierunt me, & pastores (Principes) præuaricati sunt in me, & Prophetæ prophetabant in Baal, & idola secuti sunt. Audite hoc uerbū uniuersi pastores, Principes scilicet fideliū, & Episcopi Ecclesiæ dei. Intēdite qd fuerit in caussa, q sceptra seu uirgæ Israël, cū eorū sacerdotio abiecta & ablata sint. Anima, inqt deus, eorū uariauit ī me. Quid putatis de uobis futurū, qui plusq̃ oēs Israëlitæ uariatis & apostatatis, alieniq; omnino efficimini à domino? Certißime enī dies uenient, quib. dominus præcipiet uos abscindi, & succidet uos nihil tale sperātes, cōijcietq; ī ignē æternū, q paratus ē diabolo et angelis eius, et uobis, nisi cito resipueritis. Quid tū facietis ô repbi cæciq; pastores, q Antichristi caußa insanitis aduersus dominum, uerbūq; illius, ac sanctam Ecclesiam eius? Reuertimini ad cor, dum tempus est. Auferat Deus cæcitatem uestram.

PARS QVINTA.

Et dixi, non pascam uos. Quod moritur, moriatur, & quod succiditur succidatur, & reliqui deuorent unusquisque carnem proximi sui.

Qui

Qui sunt hi, quos nõ uult pascere dominus IESVS Christus? Israëlitæ ab eo uariantes & apostatantes, qui eum nõ receperuut, sed usq; ad mortem ꝑsecuti sunt. Sensus est: Nolo ultrà esse pastor & rex uester, nec eritis amodo populus meus. Excæcaui uos, ut iã suauitatem spiritus mei in Scriptura latentis, etiam si per omnes dies & noctes ipsam Scripturam legeritis, non sitis gustaturi. Nolo enim uos pascere ipso spiritu meo dulcissimo, ꝙ abieceritis me. Neq; pascam ac fouebo uos secundum corpus ut olim.

Nemo autem putet, electis ex Israël hæc dicta, ꝙ perire non possint. Solis quippe reprobis dicta sunt, quorum multitudo ingens erat. Reprobantis nimirum sermo est. Non pascam uos. Quod moritur, moriatur, & qđ succiditur, succidatur, & reliqui deuorent unusquisq; carnem ꝓximi sui. Hoc enĩ est haud secus atq; dixisset. Abiecistis me, ne sim rex uester, & ego abieci uos. Neq; ut olim pascã uos secundum utrunq; hominẽ, neq; ꝓtegam uos aut solicitus ero ꝓ uobis. Dimittam uos sæculis multis in mendacijs, quæ elegistis, & in illis uiuetis, miseri & ubiq; cõculcati. Pro minimo quoq; erit mihi, quidq́d mali uobis illatum fuerit. Sinam uos ab hostibus uestris, rapi, cædi, uorari, interfici. Fui uestris patribus ꝓ muro, ubiq; et sẽper, sed uobis nõ ita ero, ꝙ à fide et synceritate eorũ alieni sitis. Et ego abieci uos, & non eritis mihi ultrà in populum neque ego uobis in Deum. Inuocate eos, quib. adhæsistis, et me contempto in eis fiduciam habuistis. Surgant, uobis

opituletur, & in necessitate uos protegant. Sinam uos à Romanis perdi, gladioq; & igne omnes ciuitates uestras deuastari, & qui ex uobis tum reliqui fuerint, cæci manebunt & captiui per totum Romanū orbem ducētur: Hæc sunt mala, de quibus puto hunc locum intelligi, & in quibus erunt, donec misertus illorum Deus, eos illustrabit, et faciet, ut redeant ad dominum Deum suū, & Dauid regē suum, in nouissimo dierum, sicut prædictum est Ose. 3.

Obserua tu quisquis es, qui dominū spernis, quàm terribili iudicio damnauerit populum ab eo electū, ut tā illū abiecerit, nolitq; pascere eū. Sis domine IESV pastor noster, & noli deserere nos. Da nobis quidquid malorum uolueris, tantū ut semper simus populus tuus, & tu deus ac seruator noster. Et nunquā tā irascaris nobis, ut dicas: Nō pascā uos. Quod moritur moriatur &c.

PARS SEXTA.

Et tuli uirgam meam, quæ uocabatur decus, et abscidi eā, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis, & in irritum deductū est in die illa. Et cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia uerbum domini est.

Virga hæc, ut diximus, regnū Israël est, qd' ita intelligendū, etiā ex eo conijcitur, q. dominus eandē uirgā suā dicit. Et tuli, inqt, uirgā meā. Si enī de gētib. intelligi

intelligi uoluisset, minime subiunxisset: Meam, quod uocaretur, non uirga uel sceptrũ, aut nõ populus Domini, ut patet Oseæ. 2. Soli quippe Israëlitæ populus, & regnũ eius dicebantur, quod leges & iudicia sua eis reuelasset.

Igitur posteaquam generatim, de utriusq; Regni Israël, ac sacerdotij legis succisione prophetauit, nunc specialiter agit de ablatione sceptri decem tribuum, dicens. Et tuli, id est, accepi, ego Christus, ut Deus, uirgam meam, regnum populi mei latius & maius, quod uocabatur decus, rationibus præscriptis, & abscidi eam, hoc est, abstuli sceptrum eiusdem regni, secundum carnem nunquam instaurandum, sicut Dominus in typo filiæ uocatæ sine misericordia, Oseæ. 1. præmonstrauit.

Quare abscidisti hanc uirgam? Vt irritum facerem pactum meum, quod percußi cum omnibus gentium populis. Quod est hoc pactum? Non æstimo aliud esse, quã sicut Oseæ. 2. ait, se feriturum cum bestia agri, uolucre cæli, ac reptili terræ, hoc est se facturum, ut quæ per hæc capiuntur, nihil eis nocere possint. Siquidem cum Deus adsumpsit Israëlem, promisit se illi adfuturũ, facturumq́; ut nulli populi eis nocere possint, si modo non fornicaretur ab eo, & permaneret in uerbo eius. Cæterum cum populis gentium, pro bono filiorum Israël fecit, ut nihil eis officere possent, sed magis prodeßent, quod fuit uelut quoddam fœdus. Septua. habent: Vt dissipem testamentum meum, quod habui ad omnes populos. Hoc testamentum seu fœdus habuit ad omnes gentium populos pro

filijs Israël, cum disposuit, ut filij Israël omnibus gentibus maiores eßent, in hoc quod Domini populus erant, & quod ab eis uinci haudquaquam possent. Vide promissa Leuit. 26. & Deutero. 28. Hoc autem fœdus, quod attinet ad regnum decem tribuum, tum apertißime dissipatum est, cum Assyrijs data est potentia à Domino, qua possent regnum eorum euertere, & illos transferre in Aßyrios, ut patet. 4. Reg. 17.

Obserua, quòd Dominus ferit pactũ pro electis suis, cum omni re, ut ipsis electis nocere haudquaquã poßint. Hoc pactum, decretum illius est. Fieri autem nequit, ut eis noceant, nisi ipso decreto antea dissipato. Propter ipsum pactum dicitur Roma. 8. Scimus, quoniam his qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum uocati sunt. Porrò fœdus hoc tum fit irritum, cum æquissimo Dei iudicio, fit ut delinquentibus, ea noceant, & sint in detrimentum, quæ prius illis erant in utilitatem. Serua nos Deus, in fidei synceritate, & amore æternæ ueritatis tuæ, ut nunquam fiat irritum testamentum, quod cum gentibus & creatis omnibus, pro nobis pepigisti.

In die autem illa, nempe, anno Regni Oseæ nono, in irritum deductum est fœdus, quod pro Israëlitis Deus cũ gentibus pepigerat. Et sic mox ut id factum fuit, paupeeres gregis dominici, nempe pij ex Regno Iuda, cuius populus, decem tribubus in Assyrios translatis et abiectis, pro Dei grege seu populo habebatur. Hi inquam paupe-

res qui custodiunt mihi, non dubium quin fidem, ut Rex Ezechias, & alij pij qui diebus suis erant, quorum temporibus Samaria capta est. 4. Reg. 18. cognouerunt, quia hoc uerbum Domini est, de quo Leui. 26. et Deutero. 28. & aliâs sæpe fuerat prophetatũ, quod scilicet mox ut deficerent à Domino, gentibus inferiores existerent, & ab eis uincerentur, destruerentur, & captiuarentur.

Itidem cæteri ex Iuda, animo impij per hypocrisim, qui custodierũt uel in faciem Domino fidem, et præcepta eius seruare uidebantur, quiq; scientiæ clauem ferebant, cognouerunt de ipsa decem tribuũ euersione, quia uerbũ Domini est, sicut prædiximus. Si quis enim Pharisæis & scribis, qui Christũ omni studio persequebantur dixisset, an iuste reprobatæ fuissent decẽ tribus, & eorũ sceptrũ dißipatũ, indubie respõdissent ex lege & Prophetis, deũ id prædixiße, aduersum contemptores uerbi sui.

Ergo, nedum uere pij, sed & hypocritæ Regni Iuda, pauperum gregis, & custodientium legem dei uocabulis capiuntur. Sed primis id uere cõgruit, alijs uero minime, nisi per subsannationem. Quia enim ita de seipsis sentiebant, & dicebant se esse hos pauperes gregis, & obseruatores legis dei, sic à sancto spiritu deridendo adpellantur. Simile est Lucæ. 5. ubi Christus subsannando arrogãs & superbum, quod habebant de seipsis iudiciũ, uocat eos sanos & iustos, dicens: Non egent, qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Pars

PARS SEPTIMA.

Et dixi ad eos. Si bonum est in oculis uestris afferte mercedem meam,& si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me. Proijce illud ad statuarium. Decorum precium, quod appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argéteos, & proieci illos in domum domini ad statuarium.

ET dixi, inquit, ad eos. Ad quos? Ad pauperes gregis; non ad pios, Iohannem, Iacobum, Petrum, Andream, Nicodemum, Iosephum ab Arimathia & alios uere fideles, sed ad pseudopauperes gregis seu populi dei, Annam, Caypham, Scribas, & Pharisæos. Quando? Dum in carne uisibili inter eos conuersabar, prædicans, & testimonium reddens ueritati, quam eiusmodi hypocritæ haudquaquam sustinent. Propter quod uolui facto experiri, quanti me ducerent.

Quid dixisti ad eos? Si bonũ est in oculis uestris &c. Quidam sic dicunt. Si bonum est in oculis uestris, id est, si uobis placet, si uultis. Et hic multa de nostri arbitrij libertate, quæ uere nulla est philosophantur. Ego magis puto, sic capiendum. Si in oculis uestris, in corde ac iudicio uestro, bonum est atq; amabile, uerbũ Domini, uobis creditum,

creditum, secundum quod agnoscitis, uirgam quæ uocabatur decus, iudicio æquissimo præcisam, adferte mihi mercedem meam, sciam uidelicet quanti me ducatis, quā uobis carus sim, qui elegi uos in gregem & populum meum, & credidi uobis ac manifestaui eloquia atq; iudicia mea. Quòd si ipsum uerbum, non uidetur bonum, quiescite, dimittite, abnuite. Palàm *facite hoc facto, quòd de me iudicium in uobis sit, aut si omnino alieni estis à me.* Enimuero *à sui nominis professoribus* Deus *exigit, ut facto ostendant, quanti eum, uerbumq; eius sanctissimum ducant.*

Alio *quoq; sensu, & forsan textui ac mysterio multo germaniore, is sermo adcipitur, nempe, ut sit sermo ad ipsos Iudæos, qui argenteos triginta, pro* Domino *Iudæ tradiderunt, secundum adfectum execrabilem, qui tum aduersus* Christum *in eis erat.* Ego *nihil dubito, quòd dum Iudas infelix proditor, uenit ad eorum consilium, dicens: Quid uultis mihi dare, & ego eum uobis tradam? tū* Dominus *in corde eorum loquebatur hunc sermonem. Si qd' Iudas falsus discipulus meus, petit à uobis, nempe, ut illi pro mea traditione mercedem tribuatis, bonum & iustum uidetur in oculis uestris, ipsam mercedem meam, pro me scilicet eidem appendite. Sin uero non bonum sed malum esse iudicatis, quiescite, nolite me precio carnis emere, qui sum* Dominus Deus, *& seruator uester, pro electis gentis uestræ, primū in carnem missus.* Volo *nunc experiri, quid sitis facturi, an scilicet futuri sitis tam sæui*

& cru=

& crudeles homicidæ, uos quibus concredidi leges meas, ut me à meo proditore uobis oblatum, ad effundendum contra legem, innoxium sanguinem meũ, in uestram sempiternam perniciem ematis. Volo pariter experiri, uel tandem hoc, quanti me facietis, in ipsa emptione. Hæc & alia eiusmodi multa, Dominus eorũ cordibus dicebat.

At illi, à propria excæcati malicia, nihili duxerunt hunc sermonem Domini, & contra conscientiam, dicebant bonum esse, ut Christum ad mortem à proditore emerent. Siquidem iuxta humanam prudentiam, quæ pietati semper est aduersaria, dicebant in consilijs suis. En quòd turbat nos omnes, & populum totum. E medio ergo tollendus est, & occidendus, ut seditionum perniciosissimus concitator. Deniq; per eũ fit, ut male audiamus apud multos, quòd nos palàm hypocritas uocet, & multis modis nobis detrahat.

Vis scire quàm insanirent in Dominum, & quid tum loquerentur, attende, quæ in suis consilijs dicant pietatis hostes, & idem omnino cogita de Iudæis, Christum ad mortem petentibus. Nimirum paris sunt, & sententiæ et iudicij. Quandoquidem nostri sæculi Antichristi, etiam Christum in membris suis, atq; uerbo suo, ad mortem, & omnia mala petunt.

In eorum igitur oculis, in carnis uidelicet mendaci & execrabili sapientia atq; iudicio, bonũ uisum est appendere mercedẽ proditori, ꝑ Domino nostro IESV Christo. Vnde & ait. Et appenderunt mercedem meam triginta

argen-

argenteos. Habes de hac Domini nostri execrabili traditione & uenditione. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Et dicit Dominus Deus, ad me Christum filium suum: Proijce illos ad fictorem, seu figulum. In Hebræo enim est Iotzer, quod interpretatur fictor aut figulus. Sensus est. Fac ut illi triginta argentei, à reprobo uẽditore & proditore Iuda, non impẽdantur, sed magis ab eo proijciantur, in domum siue templum meum, ad figulum, id est, ad emendum agrum figuli. Siquidem ipsis argenteis à Iuda proditore in templo, coram Principibus sacerdotum & senioribus proiectis, illi dixerunt. Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Matth. 27. Vbi & Matthæus dicit tum adimpletum esse, quod per Hieremiam erat prædictum. Et acceperunt (Iudæi à Iuda) triginta argenteos, precium adpreciati (Christi) quem (Christum) adpreciauerunt (precio æstimauerunt & emerunt) à filijs Israël (Iuda Israëlita, & forsan nonnullis, in ipsa Christi uenditione, illi tum concordibus) & dederunt eos in agrum figuli (emendo ex illis eundem) sicut constituit mihi Dominus. Verbum est Christi, qui præscripta quasi de tertio quopiam dixit. Quod autem eius sit hoc uerbũ, liquet ex eo, quod suprà illi à patre dicitur: proijce illos ad figulum. Et ipse respondet infrà. Et proieci illos in domum Domini, ad figulum.

Multi de hac Matthæi allegatione, superflue contendunt.

dunt, dicentes quod pro Zacharia Hieremiam posuerit, aut quòd uicio scriptorum id acciderit. Ego uidens quòd lõge aliter habeat Zacharias, quàm allegarit Matthæus, uidens quoq; ꝙ in libris omnibus latinis & græcis, Hieremias nõ Zacharias sit allegatus à Matthæo, dico temerariũ esse negare, quòd Hieremias id prophetarit. Simpliciter enim credẽdum est, Hieremiam id prædixisse, etiam si ea prophetia, non sit in uulgato Hieremiæ libro. Refert quodam in loco Hieronymus, Iudæum unum sibi obtulisse libellum, cui titulus, Apocrypha Hieremiæ, in quo textus præscriptus, de uerbo ad uerbum positus erat, sicut à Matthæo allegatus est. Ego puto idcirco Iudæos, ipsum libellum Hieremiæ apocryphis malicîose, & ne eorum insania deprehenderetur adnumerasse, quòd tam aperte, in eodem haberetur ipsa uenditio Christi, & agri figuli emptio. Præterea certum est, multa Prophetarum uaticinia, ad nos haudquaquam peruenisse, sed fuisse deperdita, ut ex nonnullis scripturæ locis licet conijcere, ut liber ex quo Paulus priore ad Corinthios epistola allegat: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit &c. Et liber ex quo etiam posteriore ad Timotheum Epistola, ad sumpsit illud, quòd Iannes & Iambres restiterunt Mosi. Neq; sunt audiendi, qui putant totum præfatum Hieremiæ textum à Matthæo allegatum, posse iuxta sensum ex Zacharia colligi. Nam tametsi non discordant, fieri tamen nequit, ut eum sensum ex Zacharia solo habeas. Ego simpliciter sentio & dico, Matthæum bene allegasse

Hieremi=

Hieremiam, & magnæ temeritatis esse id negare.

Christo igitur Pater ait: Proijce argenteos illos ad fictorem uel figulum. Decorum precium (per ironiam loquitur) quo adpreciatus & æstimatus sum ab eis. Qu. d. Vide eorum cæcitatem, uesaniam, & hypocrisim, quàm parui duxerunt me, & quàm nihil me carum habuerunt. Quandoquidem crimine inaudito, emerunt & uendiderunt me deum suum, & id quidem precio uilissimo, nempe tantum argenteis triginta. O precium decorum. Fuit aberratum in Domini cōtemptu, tam à misero proditore Iuda, quàm ab excæcatissimis illis emptoribus. O quàm multi nostro sæculo, Deum & omnia quæ ad Deum spectant, uerbum scilicet & sacramenta uendunt. Nonne hæ sunt perpetuæ mercationes & nundinationes Antichristorum? Nimirum à sæculis multis uerbū sanctū, Eucharistiam, Baptismum, ipsas Christi oues, Dei gratiam & peccatorum remissionem, atq; omnia prorsus, quæ gratis dare oportuit, & quæ etiam dare nequeunt, uenalia fecerunt, & uiliori quidem precio, quàm à Iudæis Christus adpreciatus fuerit.

Sed quid est, quod ironice loquens, damnat precium, quo ab eis æstimatus fuit? Nunquid uoluit pluris, aliquot scilicet milibus talentorum auri emi, aut uendi? Absit. Etenim si etiam omnes mundi thesauros pro dei unigenito tradidissent, non potuisset aliud dicere, quàm se ab eis appreciatum precio indecoro

Quod ergo fuisset precium decorum? Obserua nunc

ad id differentiam, precij decori & indecori. Si quis putat se posse consequi aliquid diuinum, per aliquid humanum aut uisibile, precium indecorum est. Et uere preciū indecorum Domino offerūt, qui se proprijs iustitijs, operibus, uigilijs, ieiunijs, precibus, eleemosynis, atq; alijs id genus putant se Domini gratiam consequi posse. Vbi nunc sunt Pharisæi multi, qui damnant Iudam uenditorem Christi, & Iudæos emptores, quòd id fecerint argenteis triginta? Quid obsecro eis minus faciunt, cum Dei gratiam & spiritū, suis stercorarijs operibus, iustitijsq; haud secus atq; pannus menstruatæ corruptissimis, se consequi poße autumant? Crede mihi lector, nihil quod uidere carneis oculis, aut facere, uel proprio sensu iudicare possit homo, est precium decorum, deoq; dignum.

pulchra fer

Audi nunc precium decorum ab Esa. cap. 55. Omnes sitientes, uenite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, et emite absq; ulla commutatione uinum & lac. Aquæ, lac, & uinum, designant gratiam & ueritatem Dei, cuius testimonium sunt eloquia eius. Nonnulli ut hæc consequantur, adpendunt, indecorum precium, nempe argentum, quod operum splendorem designet. Et hi nunquam aquas præscriptas consequuntur. Proinde illos carpit eo loco spiritus sanctus. Quare, inquit, appenditis argentum? Hi habent argentum hoc, qui tribuunt aliquid operū iustitijs, saturi & diuites, quos ille qui esurientis replet bonis, inanes dimittit. Luc. 1. Hos non uocat Dominus ad præfatas aquas,

sed

ſed eos qui non habent argentum, pauperes ſpiritu, uere humiles, nihil fidentes alijs quàm Deo, famentes ac ſitientes ipſos panes & aquas Dei. Hos uocat, his aquas ſuas effundit.

Ergo nullum argentum, nulla res ſub cælo creata, et uiſibilis, nullæq; operum iuſtitiæ, ſunt precium decorum, pro rebus diuinis. Quid igitur? Si uere eſuris & pauper es, & uenis ad eum eſuriens & famens, uerum plene fidens in bonitatem eius, ad quem uenis, ipſa fides, cum eſurie & fame, eſt precium decorum: Præter hoc nullum omnino reperies. Eſurit & ſitit, qui ſe uere peccatorem agnoſcens, cupit ſolis CHRISTI epulis cibari atq; potari. Hæc ſubiunximus, ut oſtenderemus, quòd nullum argentum, imò nihil omnino terrenum, CHRISTI, aut eorum quæ per eum conſequimur, precium decorum eſſe poßit.

Addit autem CHRISTVS. Et tuli, per miniſterium ipſius proditoris, ipſos triginta argenteos, & proieci illos in domũ Domini, ad figulum. Patet hic locus ex his quæ prædiximus. Nunc obſerua, iudicium Domini aduerſum Iudæos, pro eo quòd CHRISTVM à proditore emerunt, ut aliud quiddam, & emptum poſtmodum occiderunt.

PARS OCTAVA.

Et præcidi uirgam meam secundam quæ appellabatur funiculus, ut dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israel.

APertus est hic textus, ex his quæ prædiximus, nempe, quòd per uirgam hanc Iuda Regnum capiatur. Cuius præcisio significat, deletionem sceptri Regni Iuda secundum carnem, facta sub C H R I S T O, *in quem pondus sceptrorum, & sacerdotij Israël, sunt translata.*

Porrò ad id præscidit ipsam uirgã, ut dißolueret germanitatem, uel ut Septua. uerterunt testamentum, quod inter Iudam & Israël erat. Quæ est hæc germanitas? Aestimo quod nõ sit alia, quã similitudo apostasiæ, quòd scilicet ita, imò plus apostatabãt à Domino duæ tribus, in Christi abnegatione & crucifixione, quàm olim decem, in uitulorum adoratione Germanitas hæc, in incredulitatis spiritu fuit sita. Germanitas erat inter Iudam & Israël, quia filij Iuda à Domino apostatando, Israëlitas per Salmanasar Assyrium deuastatos imitabãtur. Fuit autem hæc germanitas, quod spectat ad Iudam, dissoluta, quando regnum eorum fuit omnino dissipatum, & populus dispersus.

Dicit ergo. Ego præscidi uirgam &c. Sensus est. Ideo præscidi & abstuli à Iudæis sceptrum, & destruxi eorum urbes, illos autem captiuos feci per orbem duci, ut non ultrà permaneant in gloria, in qua fuerunt, sed

omnino

omnino dissoluatur, nunquam secundum carnem instaurandum regni eorum fastigium, qui ut ueri similes, uerique germani Israëli, hoc est, decem tribubus, semper à me apostatarunt, & nouissime etiam me uendiderunt, emerunt, & occiderunt. Nolo ut ultrà regnent, hi apostatarum fratres, etiam & ipsi apostatæ peruersissimi, sed uolo eos dispersos & captiuos esse per orbem. Quandoquidem fœdus & testamentum iniisse uidentur cum Israële, ut me deserant, ipsos sicut prius Israëlitas dissipare, humiliare, & dispergere uolo, ut tandem noscant me, uel in nouissimo dierum.

Nonnulli aiunt per Iudam: credentes ex Iudæis, per Israëlem uero eos qui non susceperunt Christum intelligi. Ego nihil minus puto sentiendũ hoc loco. Nec puto hic germanitatẽ alioqui adcipi posse, quã sicut prædiximus. Non enim dissoluta est germanitas, quam secundũ carnẽ habent, per regni eorũ destructionẽ, sed eorũ de qua prius diximus germanitas, quàm habuerunt cum Israële, tum recte solui dicitur, cum ipsi germani et similes Israëli, à suis terris deturbati, & per orbem dispersi fuere.

Obserua diuinæ promissionis inuariabilitatem, simul etiam Dei benignitatem, in corripiendo Israële. Poterat mox omne semen Israël exterminare, ut fecit de Sodoma & Gomorra. Verũ, ut seruaret pmissiones suas factas Abrahamo & filijs eius, noluit prorsus Israëlẽ extinguere, sed puniuit eũ, & dispersit, donec in dierũ nouissimo reuertatur ad dominũ, sicut prædixit Moses Deutero. 4.

PARS NONA.

Et dixit dominus ad me. Adhuc sume tibi uasa pastoris stulti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra qui derelicta non uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorũ dissoluet. O pastor & idolum, derelinquens gregem. Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

Quidam hunc locum referunt, ad nouissima huius sæculi tempora, dicentes Antichristum nescio quem tum uenturum, de quo hic locus capiatur. Ego quidem non dubito hunc locum de Antichristo intelligi, sed notum est Antichristum, non unam esse personam, sed plures. Imò uniuersæ gentes, in quibus annunciatus fuit Christus, etiam à diebus Apostolorum suos Antichristos habuerunt, ut liquet prima Ioannis Epistola. Quia autem primi Antichristi è Iudæis, & inter eos fuere, idcirco primum de Antichristis Iudæorum agemus. Certum est enim, quòd hic locus primũ Iudæos cõtingit. Iudæis igitur Dominum IESVM Christum minime

suscipien-

suscipientibus, quinpotius persequentibus & crucifigentibus eum, proindeq; à Domino euerso eorum regno, et ipsis per orbem dispersis, præficiũtur stulti illi pastores, qui hic describuntur, & id quidem iustissime. Qui enim pastorem optimum, Dominum IESVM *Christum, omnes quos pascit & regit, seruantem ab omni malo, suscipere abnuerunt, æquissimo* Dei *iudicio pastoribus, nõ pascentibus sed perdentibus commissi fuere.*

Ad id autem cõuenientius prænunciandum, iussit Do*minus Zachariæ, ut sumeret sibi uasa, seu instrumenta pastoralia, pastoris stulti seu imperiti, ut uestimentum, baculum, & alia quæ minus eruditi pastores habent, hoc est, non sic bene disposita aut talia, quibus grex possit bene gubernari. Quod mox ille fecit, simul facto, & uerbo prophetans. Quo argumentum nobis est, nedum uerbo sed factis prophetandum. Nimirum efficacißima res est, prophetia facti, cum scilicet facimus quod prædicamus. Nũc ex ipso facto, audiamus quid uoluerit figurari Deus.*

Quia ecce ego suscitabo pastorẽ in terra. Pastor pro *pastoribus ponitur, singulare pro plurali, quod in scripturis frequens admodum est.* Hi *Iudæorũ pastores, sunt quotquot eos auerterunt à Christo, & in eorũ mendacijs eos fouerunt, proprio cõmodo aut honore allecti.* Hi *sunt crudelis illa bestia agri, quæ Oseæ secundo Synagogam deuoratura prædicitur.* Has *bestias, hos pseudopastores, iudicio æquißimo Dominus super Iudæis suscitauit, qui*

pro Synagogæ rectoribus habiti sunt à CHRISTO passo, usq; ad Hierosolymæ euersionem, è quibus superfuere reliquiæ, hi uidelicet, qui ipsos Iudæos in eorum dispersione suis mendacijs à Deo auertunt, & docent aliena de Domino IESV CHRISTO, negantes eum eße Christum seu Meßiam, adserentes quòd nondum uenerit, quòd sit iuxta carnem regnaturus, & secundum carnem extructurus nouam & auream quandam Hierosolymam, & templum ea dimensione quam in literæ faciem, prædixit Ezechiel in ultima sui libri uisione. Et docent etiam quòd Christus ipse illis promißus, homo purus sit, non Deus, & quòd in scripturis non uocetur alioqui Deus, quàm sicut alij sancti. Id genus imposturis uorarunt, uorantq; adhuc hodie Israëlem, crudeles illę bestiæ agri, & pastores stulti, seu imperiti.

Quod hic Deus, hos se suscitaturum prædixit, argumentum est certißimum, quòd eius æquißimo iudicio, etiam impij rectores ac seductores multiplicantur. Tum aūt id genus pastores reprobos suscitat, cum præficit impios, & quibus ueritatis cognitionem non tradidit, quos tum bene pascere, & non rapere, mactare, & perdere, impoßibile est. Qui quoniam sine spiritu & ueritate sunt, non uisitāt derelictos, atq; desolatos, hoc est, illos minime consolantur. Non enim habent spiritum ueritatis, quo solo potest hominis spiritus uere consolari.

Dispersos, et ĩcredulitate à Domini grege seu Ecclesia diuisos,

diuiſos non quærunt, ut in ipſam Eccleſiam denuo cõgregentur. Imò nec quærere quidem, aut uelle eos quærere præualent, quòd non ſit in eis ſpiritus aut uerbum, quo ſolo perinde atq; piſces reti, errantes quæruntur, & in Eccleſiam ipſam reducuntur.

Contritos, ſeductos, incredulitate ac fructibus eius mortiferis infirmantes non ſanant. Verbo enim domini ſanitas in illud credentibus tribuitur, quo cæci illi paſtores carent, aut non niſi alioqui, quàm uelit ipſa uerbi natura, illud docent.

Stantes, fideles ſcilicet, non enutriunt, immo neq; id poſſunt quidem, quòd ſint absq; paſcuis uberrimis eloquiorum Dei. Porrò per Stantes idcirco fideles capiuntur, quòd ſola fide coram Domino ſtemus & recti ſimus, incredulitate uero cadamus.

Carnes pinguium comedunt. Pingues, boni & electi ſunt. Vnde & Septua. habent: Et carnes electorum deuoret. Electum in Scripturis pro re meliori ſæpiſſime capitur. Senſus eſt, quòd omnes pios affligent, torquebunt, deſolabuntur, & omnem eorum ſubſtantiam uorabunt.

Et ungulas eorum, ſcilicet pinguium ſeu electorum, ſi qui in eis ſunt, immo ſunt (abſit enim, ut dicamus nullũ omnino ex Iſraël ultrà electum eſſe) diſſoluunt. Septua. habent: Et talos eorum peruertat. Senſus eſt: Eos qui recto ambulant ſpiritu, annitentur ſuis impoſturis à uia ueritatis facere alienos, & ſeducent aliquando. Etenim etiam

ipsos electos seducunt, quamuis illos in errorem mittere haudquaquam possint.

O pastor & idolum. Non solū pastor, sed & idolū. Quid idolū, nisi simulachrū? Pastor ergo & idem simulachrū. Ac si diceretur. Pastor qui est statua, idolum, imago, sine sensu, uita, fide, spiritu. Eiusmodi fuerunt, quotquot à Christo passo, Israëlitarum pastores atq; doctores fuere.

Cæterum hi pastores statuæ derelinquunt gregem, hoc est, super eorū salute haudquaquam sunt soliciti, etiam si maxime soliciti esse uidentur. Nimirū omnis eorum solicitudo iuxta carnem & sanguinem est. Nōne gregē ouiū, is relinquit, qui tametsi cum eis est, non tamen eos ducit ad pascua? Sic profecto pastores Iudæorum, qui hactenus eis imposuerunt & imponunt, gregem, hoc est, populum Israëlis relinquere dicuntur, q, eū nō ad uitæ, sed mortis pascua, sua uidelicet inuenta deducant.

Super eorum brachium, & oculum dextrum gladius est. Brachium robur est, oculus uero dexter, melius saniúsq; iudicium. Quemadmodum enim quod est deterius parte sinistra, ita quod est præstantius, dextra capitur. Cæterum quid gladius, nisi crudelitas & tyrannis? Dicit ergo: Gladius sæuitiæ uel tyrannis est super eorum brachium, hoc est, super omne eorum robur & opus, & super eorum dextrum oculum, id est, iudicium, quod melius habere putantur. Sensus est. Omnia eorum opera sunt plena rapacitate & tyrannide, & omne illorum iudicium, quod sanius aut mitius esse uidetur, eiusmodi est, ut non ni

si

ſi pectus immiſericors ac tyrannicum indicet.
Sed nunquid perpetuo erit hoc brachium, & oculus dexter? Minime. Finem quippe habebunt hi paſtores ſtatuæ. Et brachium corũ, de quo prædiximus, ariditate ſiccabitur. Hoc eſt: Auferetur ab eis omnis potentia, omneq; robur, tyrannidem exercendi in populum Iſraël, quem auerterunt à Domino, & ĩ mendacijs fouerunt & fouẽt. Quorũ tyrannis eo crudelior & grauior eſt, quò maxime animas cõtingit. Sic enim pariter definiunt etiã hodie Iudæorũ Rabini, cũ minoribus, ut nullus audeat cũ fidelibus de uerbo Domini conferre, inaudita ſæuitia, nolentes ut uel hoc medio à ſuis mendacijs eos deficere contingat. Siccabitur ergo hoc brachium, & omnino deficiet. Quando? Dum Iſraël conuertetur ad dominũ Deum ſuum, & Dauid, id eſt, Chriſtum regem ſuum in nouiſſimo dierũ. Oſe. 3. Quod ſiccatur, nõ mox ſiccatur, ſed ſenſim. ſic cõtigit paſtoribus Iſraëlis. Lege Ioſephũ de bello Iudaico, & Egeſippũ de excidio Hieroſolymæ, & uidebis, q̃ inceperit languere & exiccari Iudæorum principatus & ſacerdotia, donec euerſa fuit Iudæa, & populus diſperſus. Senſim magis defecit, & indies deficit ſuorum paſtorum idolorum robur, & cõfidimus in proximo futurũ, ut intret Iſraël in Eccleſiam Chriſti, & tum nullus uiror remanebit in ipſis ſtultis paſtoribus, ſed conſummata erit deſiccatio brachij eorum.
Oculus quoq; corũ dexter, corũ uidelicet iudiciũ, ſenſus, ſapientia, traditiões, decreta, tenebreſcens obſcurabitur.

Sensus est: Claudetur hic oculus, & nihil efficaciæ ultrà habebit, qua poßit quempiam seducere. Imò non uidebũt ac iudicabunt ultrà eo oculo. Huius oculi obscuratio non fit alioqui, quàm diuina illustratione, cum scilicet Dei oculus & iudicium nobis tribuitur. Tum id erit in Israël, cum sicut prædiximus ad dominum conuertentur, & iã non secundum carnem iudicabunt, sed secundum eloquia domini, atq; ex spiritu IESV Christi.

Hactenus de Iudæorum ac totius Israëlis stultis pastoribus, ipsißimis Antichristis, id est, Christi aduersarijs, textum præscriptum, sicut oportuit, exposuimus, consequẽs est, ut eundem de aliarum gẽtium Antichristis enarremus. Europa quippe suos habet Antichristos, Papam uidelicet & Cardinales, ac uniuersos Principes tyrãnos, doctores, pharisæos, & uniuersos simplicitati eloquiorum Dei contradicentes. Habent quoq; Aphrica & Asia suos, qui idcirco Antichristi dicuntur, q. Christo contrarij sint. Quid enim Machometus & sui, nisi Antichristi? Et certe id sunt, qui Ruthenos, Indos, & alias quasdã nationes, aliena à Christo docuerunt & docent. Verum quia de incognitis loqui haudquaquam ualemus, dimisimus specialiter scribere de Antichristis aliarum gentiũ, satis esse putantes, si de his qui in orbe Romano sunt, ageremus. Et ut certius noscas, quos Antichristorum nomine capiamus, tibi ante omnes Papam, summum Europæ Antichristum proponimus, & quotquot illius figmentorũ uideris assertores, Antichristos etiam esse, nihil dubites.

Primum

Primum autem omnium id obseruandum, q, sicut de Israëlitis uidimus, tum Antichristi regnum expauescendo altissimo iudicio cœpit in Europa se intendere, cum cæci noluimus dominum IESVM Christum regnare super nos, & non minus omnibus Iudæis, iugum eius à nobis pepulimus & abiecimus.

Et quemadmodum Israëlitis Dominum propellētibus reprobi pastores fuere præpositi, ita & nobis contigit. A tempore quippe Apostolorum inceperunt Antichristi esse, ut prima Ioannis epistola notum est, qui aduersus puros Dei Euangelistas suis figmentis pugnabant, nitentes sapientiæ & doctrinis hominum. Et ut multi carnales sunt, cœperunt multi subscribere abominationibus eorū. Placent quippe carnalia carnalibus, & huius mundi sapientia huius sæculi filijs non placere non potest. Eo medio auctus est supra modum impiorum numerus, dum plures subscripsere, mendacia quàm uera docentibus. Cæterum adaucti pseudofideles, ueros fideles calcare cœperunt: & præualente in mundo cæcitate, abiecti fuere qui uerbo & spiritu IESV Christi erudiebant populum, et impij seductores in locum eorum, Deo æquißime iudicante, surrogati. De his plenius egimus libro de causis Excæcationis &c.

Aucto ergo mendacio, & veritate à nobis abiecta, præcisi fuere à Domino pastores & uirgæ, id est, regna Europæ, hoc est, spiritus iudicium & synceram Dei eloquiorum intelligentiam ab eis abstulit, & abiecit pastores,

Reges,

Reges, Principes & Prophetas eorum, mittens in eos spiritum erroris. Tum dixit: Non pascam uos spiritu & uerbo meo. Quod moritur, moriatur &c. Expone, ut prius. Heu, heu, quàm multi hactenus succisi fuere & periere, quòd Dei sermonum ueritati haudquaquam pasti fuerint.

Tum suscitauit Dominus in terris suis Pastorem stultum & imperitum, Papam ut summum, deinde Cardinales, Episcopos & omnes tyrannos huius regni perditissimi, qui his solis, quæ Dei uerbo sunt oppositißima, reguntur. Nihil enim plus oduint, quàm uerbum Domini: & nihil est quod magis & auidius sectentur & amplexentur quàm inuenta & mendacia sua aduersum Dei uerbum, ex diametro pugnantia. Hi primum pastores stulti seu imperiti nomine recte uocantur, quod non sit in eis ueræ sapientiæ spiritus, neq; ea peritia, qua sola Dei greges possunt bene regi. Habent solas facies, coronas, mitras, galeros, chirotecas, anulos, uestes, rasa capita, unctas manus, & id genus alia. Laruas in eis uidemus, & nihil præterea. O uere pastores stultos & imperitos, qui nec sapientiam quidem humanam habent, stupidiores asellis: cæciores talpis, lupisq; rapaciores, ac leonibus superbiores et crudeliores. Volunt nihilominus haberi pro sapientibus, & quod in pectoris scrinio omnes leges habere putentur, eo quod, ut dicunt, sapientum consilia secum habeant. Sed miseri & impij non nisi cæcos & impios à consilijs habēt. Quòd si Dei misericordia pius quispiā illis consuluerit,

abijcitur

abijcitur & calcatur sanũ consiliũ à multitudĩe impiorũ

Hi nunquam oues derelictas, pauperes scilicet, orphanos, uiduas & pupillos, desolatos, afflictos, & calumniã patientes uisitant, iuuant, consolantur. Dispersos & aberrantes à uerbo ueritatis non quærunt, sed magis in horas dispergunt, quòd non sit in eis sermo Dei, quo solo dispersi quæruntur, sed mendacij & uanitatis sermo, quo oues nunquam non disperguntur, nisi eas Deus sui spiritus robore contra hæc mendacia obfirmarit. Contritos non sanant, sed magis conterunt, q; sint alieni à uerbo omnia sanante, & pleni sint gladijs mortiferis inuentionum hominum. Quo fit, ut stantes, id est, credentes, qui solo Dei uerbo pascuntur, enutrire non possint, sed magis quantũ ad eos attinet, perpetua illos uerbi Dei fame perimunt, eos uorant, omnemq; eorum substantiam rapiunt, & præpediunt, ne in uijs domini ambulent.

Hi sunt pastores idola, siue statuæ, derelinquentes gregem domini, tantũq; ad id nitentes, ut uideantur esse, qd' non sunt, nempe pastores. Quid enim præscripti pastores cũ eorum scribis, pharisæis & sacrificulis, nisi statuæ idola, simulachra, quæ nihil omnino auxilij afferunt sanctis Dei, imò quã maxime nocent.

Quod subiungitur: Gladius super brachiũ &c. expone ut suprà: & adplica ad hos Antichristos, in quibus (si eorũ uitam expenderis) reperies plus gladij, crudelitatis, & tyrannidis esse, tam in eorum brachio, quã oculis dextris, hoc est, tã in eorum uiribus & factis, q̃ in eorum iudicijs, decretis,

decretis & traditionib. q̃ in aliqua natione, quæ ſub cœlo fuerit ab initio. Sed hoc eorũ brachiũ ariditate ſiccabitur & deſtruetur: oculus autem dexter excæcabitur & deficiet. Senſus eſt, q; tam eorum tyrannis, quàm omnia illorũ tyrannica decreta & inuenta finem habebunt & auferentur. Per quid? Non dubium quin per uerbum Dei, per qd' reuelatur & deſtruitur, ut uidemus, filius ille perditus Papa cum toto regno ſuo. Fac cito domine IESV, amen.

CAPVT DVODECIMVM.

Summarium capitis. Primum, de perſecutione Antichriſti, & q; Hieruſalem ſit illi futura crapulæ ſuperliminare. Secũdo, q; Hieruſalem ſit futura Antichriſtis lapis oneris, deq; eorum percusſione, & Chriſti fidelium ſeruatione. Tertio, de ſanctitate ducum Eccleſiæ & reſtauratione eius, & fidelis populi bono. Quarto, de protectione Eccleſiæ, & q; ſe agnoſcentes iniuſtos, in eam recipientur. Quinto de contritione hoſtium Eccleſiæ, deq; effuſione ſpiritus ſuper Iudæis, & conuerſione eorum ad CHRISTVM. Sexto, de planctu Iſraël uere ad dominum conuerſi.

PARS PRIMA.

ONus uerbi domini ſuper Iſrael. Dixit dominus extẽdens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo. Ecce ego po

nam

nam Hierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, sed & Iuda erit in obsidione contra Hierusalem.

Miror qua ratione nõnulli huius capitis mysteria, potissime, quod ad eius principiũ de obsidione et uastatiõe Hierosolymæ per Romanos interpretentur, cũ nullatenus cõueniat, si oẽs prophetiæ huius partes diligenter expendimus. Ego id sentio, et nõ dubito ita simpliciter sentiendũ, quod de psecutiõe, qua Antichristi à Christi dieb. nouã Hierosolymã, ecclesiam scilicet afflixerunt, intelligatur, ideoq; de ea sit interpretanda. Nã primum asserere, aut referre ad persecutionẽ Gog ac Magog, est Iudæorum fabulas imitari. Quemadmodũ autem per Hierosolymã Ecclesia, ita per Israëlẽ filij ecclesiæ capiũtur.

Dicit igitur: Onus uerbi domini super Israël, populum scilicet Dei. Diximus sæpius uerbum domini onus esse impijs, sed quando sanctis onus sit, non satis liquet. Proinde obserua uerbum domini electis fidelibus iugum & onus leue esse, uerum quia adhuc in carne uiuẽtes homĩes sunt, & carnẽ habent, dum aduersa prædicuntur, carni haud prsus extinctæ onus qd'dã etiã graue sunt. Onus ergo uerbi domini, hoc est, afflictio dei uerbo prædicta, super Israël, fideles scilicet.

Dixit dominus &c. Mos fuit Prophetis, inculcare Dei, cuius imperio loquebantur, magnitudinẽ, ut dicendo: Hæc dicit dominus exercituũ. Ait dominus omnipotẽs. Et hoc loco Zacharias ponit: Dixit dominus, præter quẽ nullus simpliciter,

pliciter dominus appellari potest, extendens cœlum, qui scilicet ipsum fecit extensum & latissimũ: & fundans terram super stabilitatem suam, hoc est, qui fecit terrã firmissimam, & fingens spiritũ hominis in eo. Spiritũ, hoc est, animam, substantiam spiritualem, & quidquid in homine est et uiuit. Speciatim hominis facit mentionẽ, ut homo sciat, q; de eo maxime sit deus solicitus, et q; p eo terrã, cuius ante meminit, condidit. Vbi legis Deũ extendisse cœlum, & terrã fundasse intellige omnia eius ꝓuidentia fieri, tã in cœlo q̃ i terra. Ideo prænũciaturus electorum crucẽ et mala, deum oĩa cõdidisse ostẽdit, ut sciant ipsi electi, q; nõ nisi eius uoluntate & ꝓuidentia, in tempus ab impijs atteruntur & mala sustinent, & q; non dubitent, ab eius qui hæc mala suo consilio mittit, pendere arbitrio, ut eadem auferat, interim autẽ sustineant pijssimi patris uirgã, certissimi, q; eandem auferet tempore oportuno.

Sed qd ait domĩus? Ecce ego ponã Hierusalẽ, nẽpe ecclesiã superliminare crapulæ, oĩbus populis in circuitu. Populi isti, increduli et hostes Christi sũt. His ponitur fideliũ Ecclesia superliminare crapulæ. Limẽ nota res est, nẽpe qd' i ianuis ex transuerso infrà aut suprà ponitur, & capitur sæpe ꝓ ingreßu. Liminare aũt est, qd' spectat ad limen seu ingressũ. Deniq; superliminare est, qd' est sup limĩe uel ingressu. Iã liquet, qd superliminare crapulæ. Quid enĩ crapula, nisi esus nimius et nociuus? Superliminare ergo crapulæ est, qd' est super crapulæ limẽ, ĩgreßũ seu initiũ, hoc est, qd' mox ad crapulã seqtur, ut infirmitas, uomitus, sensus hebetatio, & sæpe mors.

Sensus huius prophetiæ est, q Antichristis Hierusalē, id est, Ecclesiam persequentibus, qui tyrannide nimia fideles quasi uorant & absumunt, & haud secus atq; lupus rapax carnibus ouium, ita illi iustorum substantia replentur. Ipsis, inquam, Antichristis ipsa Hierusalem erit superliminare crapulæ, hoc est, caußa malorum, quæ ad eorum crapulam & rapacitatem sequentur, nempe interitus & perditionis eorum. Quia enim perniciosißima est hæc rapacitatis crapula, ideo malum quod ad eam sequitur, grauissimum est, nempe mors & perditio.

Et ne putes solos gentium populos aduersaturos ueris fidelibus, subiungit: Sed & Iuda, impia uidelicet Synagoga, erit in obsidiōe contra Hierusalem, id est, Ecclesiam. Sensus est: quòd etiam Iudæi fidelibus aduersabuntur. Quod nos uidemus, & ex sacris historijs, maxime ex Actis apostolicis est notissimum. Recte de Iuda speciatim loquitur, quòd certum sit, Regnum Iuda maxime CHRISTI nominis professoribus contradixisse: de decem autē tribubus non tam aperte legimus. Quid autem ipsa contradictio, nisi obsidio? Studiosa ergo persecutio fidelium, quasi eorum obsidio est. Ego quoq; non reprobarim, si capiuntur per Iudam & ipsi electi, qui nonnunquam per errorē sanctos persequuntur, ut Paulus fecit, & hi qui p filijs Iuda, hoc est, electis habentur, cum nihil minus sint, ut sunt hypocritæ, quibus proprie Antichristi uocabulum competit. Indubie enim ab his pseudoiudæis, hoc est, pseudofidelibus persecutionem maxime Ecclesia sustinet.

Ex ſequentibus deinde palàm fiet, quàm uerum ſit, Hieroſolymam futuram incredulis, haud ſecus atq; crapulæ ſuperliminare.

PARS SECVNDA.

Et erit. In die illa ponam Hieruſalem lapidẽ oneris cunctis populis. Omnes qui leuauerunt eam, conciſione lacerabuntur, & colligentur aduerſus eam omnes gentes terræ.

Apertus eſt ſenſus, qui cum præcedenti congruit, ſub typo grauiſsimi lapidis, hoſtiũ Dei mala prænuncians. Lapis Eccleſia eſt, noua Hieruſalẽ, quẽ hic leuare dicuntur, qui ſanctos perſequuntur. Eandẽ enĩ Hieruſalem quaſi à proprio loco mouent, qui affligunt filios eius, & quod ad eos ſpectat perturbant. Porrò is lapis oneroſiſſimus impijs, ſe leuantes, hoc eſt, affligentes & perturbantes rumpit & lacerat. Nimirum ipſum quòd ſanctos diſcruciant, illis eſt in cauſſa, ut euertantur & à Domino conterantur.

Intendite uniuerſi Eccleſiæ hoſtes, qui eam oditis & modis omnibus perſequimini, & eam cum ſit lapis oneroſiſſimus, eleuatis. Cadet is lapis ſuper uos, et cõteret oportune omne robur ueſtrum, & uos merget in interitũ ſempiternum. Et colligentur aduerſus eam, Eccleſiam uidelicet, omnes gentes terræ. Quando colligentur? In die illa, nempe tum maxime cũ ueritas fuerit annunciata. Impoſſi

bile

bile namq; est ueritatẽ nunciari absq; impiorũ cõtradicti one. Vbi colligẽtur? Nõ oẽs uno loco, sed omnes uno spiri tu colliguntur, dum in unum conueniunt aduersum domi nũ & ueritatẽ eius, ubicunq; secundũ corpus fuerint. Est nanq; eorũ collectio animorum in impietate consensus. Quemadmodũ enim uno spiritu, nẽpe Dei, sancti ambulãt, ita reprobi uno incredulitatis spiritu, nẽpe carnis iudicio ac sensu uiuunt. Quare autem colliguntur aduersus eam? Certe non alia primũ caussa, quã ut dei sermo & decretũ permaneat, quo uoluit sanctos ab impijs ad eorũ perpetuum bonum in tempus atteri, ut discant in eum fidere, et agnoscant eum liberatorem. Deniq; sensus carnis spiritus sensui nunquam non est contrarius, ideo fieri nõ potest, ut inter eos contradictio haudquaquam sit.

In die illa, dicit dominus, percutiam omnẽ equum in stuporem, & ascensorem eius in amentiam. Et super domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorũ percutiam in cæcitate.

Quando percutiuntur equi populorum in stuporem & cæcitate? Hoc est, quando fit inutile omne robur gentium, & conteritur omnis fiducia eorum? Certe non nisi in die Christi. Dum enim reprobi damnantur, & priuantur his, in quibus maxime confidunt, quasi eorum equi in cæcitate, & eorũ ascensores amentia percutiuntur. Equi enĩ dũ excæcantur, & eorum ascensores, dum percutiuntur amentia inutiles fiunt, ideo per hæc significatur, q̃ omnia,

quibus impij fidunt, in die tribulatiõis eis inutilia erunt. Bifariam autem fit hæc percussio: Primo uerbo dei, dũ scilicet per illud omne carnis robur dãnatur. Secũdo, cũ impij ipsis rebus quibus fidunt, priuantur, ut equis, uirib. diuitijs, et alijs id genus, aut dũ hæc dei iudicio inutilia fiunt.

Spõdet autem, q, super domum Iuda sit aperturus oculos suos. Non putes id de alijs q̃ de electis capiendum. Siquidem ad ueram domum Iuda spectant, etiam si secundum carnem ex gentibus nati sint. Quos enim respicit deus, nisi electos? Respicere autem eius est iuuare hoc loco. Qua accipiendi ratione, sæpius in scripturis habetur, tametsi nonnunquam in alio sensu reperitur, quod multis locis diximus, maxime Lucæ. 1. ibi: Quia respexit &c.

Super domum quoq; Iuda, ad literam, est oculos suos aperturus, illam scilicet adiuturus. Nam quantumlibet reprobetur in tempus, fieri tamen nequit, ut prorsus deleatur. In dierum siquidem nouissimo cõuertetur ad dominum, & Dauid regem suum, nempe Christum. Ose. 3. Non mireris lector, q, hic alioqui accepimus Iudam, quàm paulo ante. Locorum enim circunstantia ad id cogit.

PARS TERTIA.

Et dicent duces Iuda in corde suo, confortentur mihi habitatores Hierusalem, in Domino exercituum Deo eorum.

Vidimus

Vidimus q dominus respecturus sit super domum Iuda, electos scilicet, quos paulo ante Hierosolymæ & Israëlis uocabulis intellexit, quorum duces qui sint, notum est, hi scilicet de quibus Psal. 44. Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Item Psal. 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Itidem quotquot Dei populo in uerbi ministerio recte præsunt, duces Iuda sunt. Hi dicunt in cordibus suis: Confortentur habitatores Hierusalem, fideles scilicet, mihi, id est, secundum cor meum, uel ut cupio, non in carne & sanguine, sed in domino deo eorum. Quid enim magis cupiunt fideles uerbi dei ministri, q̃ ut Ecclesia in Domino consoletur? Proinde ad id modis omnibus nituntur, & uerbi instantia & precibus, quibus sic ardentibus ad Ecclesiæ bonum, pacem, & salutem, ardentiorem spiritum illis DEVS infundit, unde & sequitur:

In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, et deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu. Et habitabitur Hierusalem rursus in loco suo in Hierusalē.

Nisi iudaizare uelimus, non uideo qua ratione hic locus ad literam de terrestris Iudææ ducibus et Principibus capietur. Igitur sequentes quod syncerius putamus, duces Iuda, uiros desyderiorum cupientes bonū Hierusalem, tā incendet domīus spiritus sui efficaciss. igne, ut haud secus

atq; ligna incensa à camino, aut fœnum à face ignis, sint facile deuoraturi omnes populos, hoc est, illos uicturi, per Dei eloquiorũ uiuacitatem summamq; potentiã. Quæ uictoria duplex est. Primo, dũ impij dei uerbo deuicti cõuertuntur. Secundo, cũ eiusdẽ uerbi ueritate cõfunduntur & damnantur in interitum sempiternũ. Iudices quippe sunt & à domino quidẽ positi, ut de omnibus impijs cũ Christo iudicent. Nũc obserua, qui sint idonei fideliũ duces, seu Episcopi, nẽpe hi soli, qui incensi à domino, solis Dei sermonibus maxime incendentibus populos diligentißime erudiunt, Hinc habes argumentũ, ꝙ qui non sunt ita incensi, ut qui in uerbi ministerio, in sapientia hominum ambulant, nihil minus q̃ duces Iuda dici iure poßũt. Nec sunt de his, de quibus hic agitur. De hoc incendio dominus loquebatur, cũ dixit: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut incendatur. Ignis spiritus domini est, atq; etiã ueritas eiusdẽ spiritus, qua fideles maiorem in modũ incendũtur, cũ à præscriptis ducibus Iuda syncere & constanter annũciatur. Ignitũ, inquit, eloquiũ tuũ uehementer Psal. 118. Audi aũt, q̃ mire ab eis populi incẽdantur. Et deuorabũt, inqt, omnes populos in circuitu ad dexterã & ad sinistram. Dextera & sinistra, circuitus ille explicatur, & est sensus. Vbiq; uincent hostes pietatis, qui in circuitu, id est, circa eos ubique sunt, & nemo præualebit in eos. Neque displicebit, si quis per dexteram & sinistram, prospera & aduersa intelligat, sic ut sit sensus: Ipsi duces Iuda, siue assint prospera, siue aduersa semper

hostes

hostes suos deuincunt, & ab eis uinci nullatenus possunt. Priorem interpretationem, germaniorem esse arbitror.

Porrò ubi duces Iuda, uelut ignis, hostes pietatis, omnes uidelicet incredulos omni ex parte deuicerint, Hierusalem rursus habitabitur in loco suo in Hierusalem. Quid est hoc? Nunquid iuxta carnem, Hierusalem est in loco suo instauranda, & inhabitanda, in ea gloria quam sibi Israëlitæ promittunt? Absit ut eorum fabulis & somnijs subscribamus. Sed quemadmodũ cum euersa ciuitas, rursum instauratur & inhabitatur, in suo loco instaurari dicitur, ita & nunc de Ecclesia sentiendum, quæ dum uerbo Domini instauratur, quasi Hierusalem in loco suo, denuo ædificatur & inhabitatur. Siquidem & ipsa Hierusalem est. Vidimus quàm grauem passa sit multis sæculis ruinam, & quàm paucos inhabitatores habuerit: nũc autem uidemus, quòd Dei munere, iterum cœpit ædificari & inhabitari in loco suo. In loco suo intellige, sicut à principio diebus Apostolorum. Quia enim hæc sacrosancta Hierusalem Ecclesia, nequaquam ut aliæ urbes, loco uno limitatur, sed spiritu & ædificari & inhabitari potest, ideo locum hunc non nisi sicut ipsi Ecclesiæ competit adcipere debemus.

Instabunt forsan nonnulli, hoc intelligẽdum, de ea Hierosolyma quæ huius prophetæ diebus à Zorobabele extruebatur. Quibus respondemus, neq; præcedentia neq; sequentia (quod maxime est in omni scripturæ sacræ enarratione obseruandum) huic sensui conuenire. Quod si

quis dicit, quòd Israële in dierum nouissimo cõuerso, multi ex eis uenient Hierosolymam, & in terras Israël, & inhabitabunt illic, in omni synceritate & fide, ac uerbi Dei incõparabili zelo, & nos idem sentimus (tametsi nõ adserimus) modo non sentiant cum Iudæis, tum ædificandam auream Hierosolymam, & id genus nænias, putẽtq; Prophetiam Ezechielis, de templi ac ciuitatis ædificatione, secundum carnem implenda. Nimirũ impia foret eiusmodi interpretatio, sicut uolente Domino, in ipsius Ezechielis interpretatione palàm faciemus. Verum non putamus, neq; etiam negamus locum præscriptum, de ipso Israëlitarum conuersorum reditu in terras proprias capiendum, tametsi indubie tum erit in eis mira sanctitas, uerbiq; gloria, & incomparabilis ducum, id est, ministrorum uerbi fortitudo, quæ iuxta Paulum Roma. 11. Erit mundo quasi uita ex mortuis.

Et saluabit dominus tabernacula Iuda sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Hierusalem, contra Iudam.

Magna ualde est huius loci difficultas, quòd quasi iuxta carnem loqui, ex nõnullis uideatur, sed fortiora sunt, quæ id fieri haudquaquam sinunt. Suprà Hierusalem instaurandam & inhabitandam in loco suo prædixit, nunc salutem promittit tabernaculis Iuda, ut domus Dauid & Hierusalem non glorietur aduersum Iudam. Nunquid dei Ecclesia non est domus Iuda, domus Dauid, & Hierusalem?

rusalem? Quid est ergo, quòd ita hic loquitur spiritus Dei, ac si quædã diuersa essent? Obseruemus diligenter typum seu figuram, & tum facilius Dei munere peruenie mus ad ueritatem figuratam.

Hierusalem erat ciuitas regia, in qua templũ Domini, & domus sedesq́; Dauidis ac omnium regum Iuda. Iuda uero domus, totum regnũ duarum tribuũ est, imò etiam pro toto Israële, domus Iuda nonnunquam capitur. Iudas ergo populus Domini erat, Hierusalem uero ciuitas domusq́; Regum, & in qua sola sacerdotũ ministeria à deo cõstituta erant. Per populum autem regni Iuda, qui apti us capiuntur, quàm uniuersi fidelium populi: per Hierusalem uero domum Regum & sacerdotũ, qui magis apte figurantur, quàm ipsi fideliũ Principes seu duces, de qui bus pauloante diximus, uerbi scilicet ministri? Quandoquidem ad eos ueniunt fideles, ut ab eis audiant uerbi dei iudicium, quemadmodum olim Hierosolymam, ad Reges, Prophetas, & sacerdotes.

Nunc obserua, promisit Dominus superiore uersu, Hierusalem id est, Ecclesiam instaurandã, & quòd poneret duces eius, de quibus suprà, uelut ignem omnia absumentem. Ideo ne quis putet, deum nõ sic fidelium populos illustraturum, ut ipsos eorum duces, spondet se seruaturum tabernacula Iuda, hoc est, fidelium speciales Ecclesias, atque ipsos fideles. Hæc sunt tabernacula, de quibus scriptum est: Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Psal. 117. Spondet autem se id facturum,

facturum, uelut in principio, quo scilicet uerbum ab Apostolis per orbem cœpit nunciari. Tum seruabat eos, à malis eripiens, & ne etiam inter quæcunq; mala disperirent, quod etiam facit, dum Ecclesiæ instaurantur.

Sed quid est, quod tum solum promittit salutem, cum instaurantur? Profecto, nō puto ob aliud quàm quia ante hanc instaurationem, non salus, sed ipsissima perditio est. Fit autem ipsa instauratio per uerbum fidei, cum uidelicet ei creditur. Ergo ubi non est uerbum, non nisi perditio esse potest. Deniq; id obserua, quòd promittit seruaturum, sicut à principio, non sicut postmodum quidam falsè promisere salutem, ut Papa suis indulgentijs, & hypocritæ suis operibus. A principio, Apostolorum scilicet diebus, imò etiam à mundi principio, salus, iustitia, et gratia Dei, fide promittitur. Hoc medio, & non alioqui ueram salutem consequi ualemus. Cæterum medio illo quod non fuit à principio, sed postmodum ab impijs & hypocritis inuentum est, nemo seruari potest.

Quare seruabit eos, sicut à principio? Vt non magnifice glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Hierusalem, contra Iudam. Sensus est: Promisit Deus se instauraturum Hierusalem, duces scilicet & maiores Ecclesiæ, qui si (populo derelicto) seruarentur, forsan gloriarentur aduersum populum ipsum, quòd non fieret sicut ipsi, æternæ salutis particeps. Proinde ne ipsa domus Dauidis, duces uidelicet & Principes supradicti, magnifice

ficc, id est, multum glorientur contra Iudam, hoc est, fide lium populos, saluabit eos Deus, facietq; eos uere iustitiæ quæ est ex fide participes. Illi quidem sunt uerbi ministri, & per illud populi duces, uerum neq; istis abnegabitur, misericordia dei, qua sæpe fit, ut populus ipse, etiam muliercul æ et pueri, plus habeant charismatum spiritus dei, quàm magni doctores. Nemo ideo contra alium glorietur, in eo quod adcepit. Sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. 2. Corin. 10.

PARS QVARTA.

In die illa proteget dominus habitatores Hierusalem. Et erit. Qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid & domus Dauid quasi Dei, sicut angelus domini in cõspectu eorũ.

MVtat hic Hierosolymæ acceptionem, aut ut satius dixerim, eandem paulo latius, quàm mox antè capit, hic namq; adcipitur pro Ecclesia tota, cuius habitatores fideles adpellãtur. Dicit igitur. In ea die, qua Dominus salua fecerit tabernacula Iuda, & instaurarit Hierusalem, proteget Dominus habitatores Hierusalem, id est, filios Ecclesiæ, quos etiam suprà tabernaculorum Iuda adpellatione intellexit. Montes quippe, & Dominus in circuitu populi sui. Psal. 122. Quòd suos protegat, fideles

fideles experiuntur, quibus nomen Domini, uelut turris fortißima est. Prouer. 18. Ad id est totus psal. 90. sub cuius finem ait: Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Et erit qui offenderit ex eis, ex fidelibus uidelicet, in eo ueritatis die, erit quasi Dauid, hoc est, uelut Rex & Princeps. Et uere omnes sancti in Christo regnant, quod apertissime Daniel. 7. habetur. Dauid quoq; uerus Dominus IESVS Christus est. Oseæ. 3. Eze. 34. & 37. Sicut & Christus sunt fideles, participes eorum quæ in eo posuit Deus, ueritatis scilicet, gratiæ, iustitiæ, & in eo sunt sacerdotes, Reges, & omnium Domini.

Septua. habent. Et qui infirmus in eis fuerit in die illa, erit quasi domus Dauid. Qui offendit, & est infirmus, sensum eundem habet. Nam qui offendit, ex infirmitate id facit. Aestimo quòd is sit germanus huius loci sensus. Qui ex filijs Ecclesiæ, se agnouerit infirmum, plenum peccatis, & offensionibus, & crediderit in eum qui miseretur, nempe Deum per Christum uerum Dauidem, tum erit ex ipsa fide, quasi Dauid, Christus, iustus, sanctus, eius spiritu unctus, filius Dei, ac Deo gratus. Facit hic locus aduersum hypocritas, & omnes iustitijs operum fidentes, qui non agnoscunt se infirmos, peccatores, miseros, sed pro iustis haberi uolunt. Facit & pro electis,

qui

qui se pro peccatoribus habent, & se tales esse ubiq; profitentur. Venit ipse Dominus in terram, & caro factus est, in qua & mortem grauissimam passus fuit, ut saluos faceret, & uocaret ad se, non iustos & sanctos illos Pharisæos, sed hos peccatores. Luc. 5. Quos ubi uocauit, mox iustificat, & facit eos quasi domum suam. Nimirum tum ad eandem pertinent. In eam enim, soli isti fœlicissimi peccatores, congregantur.

Et erit domus Dauid, id est, præscripti duces Iuda, qui ob uerbi sancti ministerium, primi in populo sunt. Erit, inquam, hæc domus Dauidis Christi, quasi dei, supple domus. Quomodo autem id uelit intelligi, notum facit, ex eo quod subditur: Sicut angelus Domini, in conspectu eorum, non dubium, quin fidelium. Omnes quippe uerbi Dei ministri, Angeli, id est, nuncij Dei sunt, ad fideles missi. Hinc de sacerdote uerbum docēte, dicitur. Mala. 2. Angelus Domini exercituū est. Et in Apoc. fermè ubiq;, per angelos concionatores capiuntur. Hoc præ alijs habent, fideles sermonum Dei ministri, quod angeli Domini exercituum sunt. Viderint autem ne proinde, se aliquid esse putent, sed magis humilientur coram eo, qui eos, tametsi peccatis onustos, ad tam sanctum ministerium, eligere dignatus est, sciatq; se per id grauiori subiacere iudicio, quòd maiora adcepit. Viderit quoq;, ne & Dei opus negligenter agat.

PARS QVINTA.

Et erit

Et erit in die illa quæram conterere omnes gentes, quæ ueniunt contra Hierusalem, & effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum.

Dies est tempus christianæ ueritatis lucentis, uerum hic locus maxime capitur de tempore quo Dominus IESVS *Christus, redemptionem electorum fecit, & uerbum ac spiritum suum, misit in terram.* De eo ergo tēpore, dicit Dominus: *In illa die, quærã conterere, auferre, perdere, omnes qui ueniunt contra* Hierusalem, *id est* Ecclesiam. *Sensus est*: *Tum faciam ut filij mei uirtute, conterantur omnes impij, ac inimici populi* Dei, *& omnis incredulitas auferatur. Quod duobus modis fit:* Primo *electis in eorum æternam salutem, dum ipsius* Dei *unigeniti uerbo adquiescunt.* Secundo *reprobis & obstinatis, in eorum sempiternam perniciem, dum proinde condemnantur, quod ueritatis sermonibus adquiescere nolunt. Quemadmodum enim fides uera, & simplex obedientia, est illis salutis causa, ita perditionis istorum occasio, est incredulitas, & rebellio, quòd scilicet* Dei *sermonibus, & ueritati semper inuictæ contradicunt.*

Domum autem Dauidis, *&* Hierusalem, *non sic conteret* Deus, *sed magis illi auxiliabitur.* Nimirum *super domum ipsam* Dauidis, *nempe, ministros uerbi, & habitatores*

bitatores Hierusalem, hoc est, fideles, Ecclesiæ dei ciues, effundam (dicit Dominus) hoc est, copiosissime tribuam spiritum gratiæ & precum, seu misericordiæ, hoc est, spiritum sanctum, quo grati Domino erunt, & illo mouente, poterunt recte precari & misericordiam consequi. Spiritus Domini recte spiritus gratiæ & miserationis appellatur, quòd non nisi Deo gratis, & his qui per Christum sunt misericordiam consecuti donetur, imò ipsum habere, est misericordiam consecutũ esse. Cum legis effusum Domini spiritum, intellige de copiosa eius uirtute, qua nobis dantur, spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, & omnia charismata eius.

Hæc de Israëlitis ad literam etiam, imò primum et maxime intelligi, cõpellit sequens uersus, quem Ioannes decis allegat Ioan. 19. Tempore namq; præfinito à deo, conuertentur, nempe, ingressa gentiũ plenitudine Roma. 11. quod hic ostẽditur. Et effundam &c. Nimirũ tũ spiritus ipse, gratiæ & miserationis pignus, & quidẽ certißimũ illis infundetur, & cognito proprio errore resipiscent, reuerteturq; ad Dominum & Dauid, id est, Christum Regem suum. Oseæ. 3. quẽ prius excæcati contẽpserant. Et id uolunt, quæ subiunguntur.

Et aspicient ad me quem confixerunt.

Si quis negat id eße, quod Ioannes allegauit. Ioan. 19. det locũ ex scripturis, ubi etiã habeatur, ut ex illo Ioannes potuerit allegare. Et cũ nõ inuenerit, fateatur simpliciter nobiscum, quòd de Iudæis hæc sunt dicta. Deniq; hic

Christi adspectus, non est is de quo Apoc. 1. Et uidebit eũ omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Nimirum eo loco, de iudicio extremo agit: hoc uero de fidei adspectu, quem Domini spiritus, illis tandem misericorditer effusus, eis tribuet. Tum namq; cæcitatis ablato uelamine illustrati, agnoscent Christum esse eum qui est, nempe, seruatorem, Deum & hominem Christum toties illis promissum. Tum adorabũt eum, pauebuntq; ad bonum eius. Oseæ. tertio, scientq; eum esse, quem per cæcitatem abnegarunt, & cruci adfixerunt.

Porrò si quis dicit hæc intelligenda, de simplici adspectu Christi secundum carnem, nempe, quòd multi uiderunt eum, quem impij Iudæi confixerunt, non damnamus eum, uerum dicimus, quòd tam ex allegatione Ioannis, quàm ex huius textus ordine, non uidetur hoc capiendum, nisi de Synagoga, quæ Dominum IESVM Christum repulit, & transfixit, quòd sit illum uisura, cum planctu magno, pro eo quòd autorem uitæ crucifixerit. Dicit ergo Dominus: Et adspicient in me Iudæi siue Israëlitæ, quem confixerunt, non dubium quin cruci, & id quidem in natura adsumpta.

PARS SEXTA.

Et plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus

erit

erit planctus in Hierusalem, sicut planctus Adadrimon in campo Mageddon. Et plangent terræ familiæ, & familiæ seorsum. Familiæ domus Dauid seorsum & mulieres, (siue uxores) eorum seorsum. Familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familiæ domus, leui seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familiæ Semei seorsum, & mulieres eorũ seorsum. Omnes familiæ, reliquæ familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.

SEntiat quisq; de hoc planctu, quod bonum illi uidebitur, ego dico rem magni periculi esse, negare quod de Israële capiatur. Et quod ad me spectat sentio firmissime, quòd ex omnibus tribubus Israël, reliquiæ tandem ad Dominum IESVM Christum conuertentur, & agnoscent eum. Videntes autem suam impietatem & cæcitatem, in qua tot sæculis fuerunt, uidentes etiam bonitatem Dei, qui tam magna illis facere dignatus est, dum carnem ex eis adsumpsit, & quòd se abnegantes, non exterminarit, sed tandem in misericordiam susceperit, congregaritq; eos in Ecclesiam suam. Tum confundentur super iniquitatibus suis, & præ dolore malorum, quæ perpetrarunt, non cum desperatione, sed cum multa fiducia bonitatis Dei & Christi plangent. Et tum implebitur hic sermo.

Vtcunq; fuit planctus in Hierusalem, Christo passo, sed eidem nõ conuenit fletus ille per familias Israël, hic positus. Flent quoq; electi uniuersi, super Christo, sed nõ puto, quòd de eo fletu sit hic textus.

Igitur ait Dominus IESVS Christus, Deus & homo, de seipso quasi de tertio quopiam loquens. Et plangent Israëlitæ, eum Christum scilicet, planctu magno quasi super unigeniti & charissimi morte quis plangit. Et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. Commune est in scripturis, morte unigeniti uel primogeniti, luctum doloremq́; grauissimum designare. Dolor ergo & luctus hic futurus prædicitur.

Sed quid est quòd dicit, plangent eum aut super eum? Nonne magis super seipsos flendum est, ut mulieribus Christus iussit? Lucæ. 23. Respon. Hũc locum sic accipiendum, ut sit sensus, quòd Christus ipse, erit causa potissima propter quam plangent, dum scilicet uidebunt, se illũ abnegasse & crucifixiße, proindeq; reprobatos, & tot sæculis excæcatos fuisse. Et his ueruntamen nihil obsistentibus, se tandem ab eo in misericordiam receptos, & fidei lumine illustratos.

Ipse quoq; uehemens eius temporibus planctus, adsimilatur planctui qui fuit in Adadrimon, in campo Mageddon. Ait Hieronymus, Adadrimon urbem esse, in campo Mageddon, uicinam Iezraëli, cui nunc est nomen Maximianopolis, ubi Iosias Rex sanctus, à Pharaone cognomento Nechao, percußus est. 4. Reg. 23. & 2. Para 35.

Propter

Propter cuius mortem ingens planctus fuit in dicta urbe, & toto Israële, & propter eius mortem potissimum, lamentationes scripsit Hieremias, ut Paralipomenon historia testatur, loco præallegato· Quemadmodum enim luctus qui tum ibidem fuit, causa erat amissio & mors sancti Principis Iosiæ, ita luctus qui tum erit in Israël, erit potior causa quòd amiserunt tot sæculis, fructum aduentus summi & ueri Iosiæ Domini IESV Christi, ex Iosiæ semine nati, & quòd eum per cæcitatem abnegarunt, & occiderunt·

Planget ergo terra, id est, planctus erit in terra, ubicunq; Israëlitæ fuerint, mox ubi agnouerint eum quem confixerunt, quis & quantus sit·

Sic autem plangent, quòd familia quælibet, id seorsim faciet· Nominat autem specialiter, familias domus Dauidis, hoc est, Regiæ, familias domus Nathan, per quem puto familias Prophetarum intelligi, familias domus Leui, omnes uidelicet sacerdotum familias, & familias Semei, pro quo Septua· habent Simeon, saltem in libro uno, quem legi· Ego puto non anxie quærendam rationem, propter quam hæ familiæ præ cæteris sint à Zacharia nominatæ, sed quòd id sentiendum, quòd de uniuersis scripturus quòd plangerent, speciatim earum meminit, quas primum dei spiritus illi in corde posuit, quarum prima spectat ad Principes, secunda, ad Prophetas, tertia, ad sacerdotes templiq; ministros, quarta, ad reliquum populum·

Sed quid eſt, quòd de cuiuſlibet familiæ mulieribus dicitur, quòd ſeorſim & à uiris diuiſæ plangent? Arbitror hanc eſſe cauſam unicam, ut ſcilicet hac ſeparatione, quæ in tempus futura eſt, triſtitiæ magnitudinem oſtendant. Sic enim dicitur his quibus luctus & ieiunium iubetur. Ioe. 2. Egrediatur ſponſus de cubiculo ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Indubie enim plangentes, orabunt pariter, laudandum autem, ſi coniuges, iuxta conſilium Pauli. 1. Corin. 7. ex conſenſu ad tempus ſe continuerint, ut opportunius uacent deprecationi. Verum id eſt haudquaquam neceſſarium, quòd fidelis etiam tum uere & ex ſpiritu orare poſſit, cum ab uxore haudquaquam diuiditur, tantum ut ex fide uiuant.

Longa eſt luctus huius deſcriptio, ideoq́; magnitudinem triſtitiæ eorum indicat, & CHRISTI, ueritatisq́; illius, ac proprij erroris cognitio, per id maxime deſignatur. Igitur perfectiſſima erit Iſraëlis conuerſio, & omnes eius familiæ ſiue tribus, ad ueritatem tempore à Deo præfinito, eo donante & illuſtrante peruenient.

Quod ſpectat ad allegoriam, quia Iſraël Eccleſia eſt, omnes familiæ credentium, hoc eſt, omnes Eccleſiæ ſpeciales, per uarias Iſraëlis tribus capiuntur. Et in his Eccleſijs eſt perfectus luctus, ſicut ſcriptum eſt: Beati qui lugent. Matth. 5. Luctus autem eorum eſt ſuper Dominum IESVM CHRISTVM, hoc eſt, ex fide nominis eius. Hi ſunt in quorum frontibus, ſignũ ponitur,

nitur, quia gemunt & dolent · Eze·9· & Apoc·7· *Porrò gemunt seorsim, & in cubiculis, non coram hominibus ut hypocritæ, quærentes gloriam hominum: & habentes uxores, tanquam non habentes sunt, & quasi ab illis diuiduntur, dum non nisi ex spiritu et fide, illis adficiuntur·*

CAPVT XIII·

Summarium capitis· Primum, de fonte patenti Ecclesiæ· Secundo, de ablatione omnis idololatriæ & mendacij· Tertio, de zelo seu uindicta parentum fidelium, etiam in proprios filios, mendacium prophetantes, in nomine Domini· Quarto, de resipiscentia pseudoprophetarum, & ibi locus de opere manuum· Quinto, quòd pseudoprophetæ cæsi pro suo mendacio, punitionis æquitatem profitebuntur· Sexto, de framea super CHRISTVM *suscitata, ut percutiat illum, & oues dispergantur· Septimo, de reprobis dispersis & deficientibus, electis uero seruatis ductisq; per ignem, & quòd sunt uerus Domini populus·*

PARS PRIMA.

IN die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ·

Domum Dauidis, hoc est, Principibus & ducibus populi Dei, de quibus praecedenti capite egimus, & uniuersis habitatoribus Hierusalem, hoc est, credentibus, ciuibus Ecclesiae uerae ciuitatis dei, est fons patens, in ablutionem peccatoris, & menstruatae. Quis est hic fons, nisi Christus? Cuius aquae sunt, gratia & ueritas, quibus superplenus est, ex cuius plenitudine, uniuersi in eum credentes accipiunt. Ioan. 1. Huius fontis purissimis aquis, fit ablutio peccatoris & menstruatae, hoc est, omnigenae immundiciae ac sordis, siue internae siue externae. Puto enim, quòd peccato internae, siue animi: menstruis uero, externae siue corporeae sordes figurentur.

De internis sordibus, certum est, quòd aquis ueritatis & gratiae Dei purgentur. Verum de externis, quid illis, & ueritati aut gratiae? Corporeis siquidem aquis, corporea purgantur, & spiritualibus animus. Dicimus ueritatis efficacia in electis, per Dei spiritum fieri, ut nihil eis noceant, quaecunque temporaneae ac corporeae sordes, ut sunt uariae egritudines, contumeliae, obprobria, pauperies, flagella, carceres, derisiones, contemptus, & mala quaecunq;, etiam mors. Omnia enim fidelibus uertuntur in gloriam, tantum abest, ut illis pro sordibus coram DOMINO imputetur, quidquid eiusmodi est. Hinc Roma. octauo dicitur. Scimus, quoniam his qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui iuxta propositum uocati sunt.

Igitur

Igitur dum efficacia aquarum ueritatis fit, ut nullæ sordes corporeæ electis noceant, quin potius illis in bonum et gloriam imputentur, quasi ab eisdem omnis sordicies etiam corporea repurgatur. Olim idcirco sordes erant, quia imputabantur, ut de menstruatis & leprosis notum est: nunc ideo sordes non sunt, quia non imputantur, sed in electorum gloriam conuertuntur ob aquas præscriptas.

Hæ sunt aquæ, de quibus Eze. 47. quæ à principio (ut ibidem habes) modicæ reperiuntur, sed quo plus in eis quis progreditur, hoc est, in ueritatis cognitione magis proficit, altiores reperiuntur. Quibus si quid mortuum respergitur, mox uiuificatur, & id quidem uita æterna, sicut Dominus ait Ioan. 4. Si quis biberit ex aqua, quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam, et non morietur in æternum. Dulcorant hæ desyderabiles aquæ omnem tribulationum amaritudinem, facientes, ut etiam in medio umbræ mortis electis pax sit. Vide locum præsignatum Ezechielis, & reperies insignia multa de his aquis suauissimis. Vide etiam in Solomonis Canticis, quæ de fonte hortorum ac puteo aquarum uiuentium capite. 4. diximus.

Quidam per hunc fontem, Baptismum intelligunt, quòd aquis fideles mergantur. Sed pace eorum salua, ipse Baptismus aquæ fluminis aut fontis corporei, non abluit has sordes, sed spiritus ueritatis Dei per IESVM Christum. Verum ipse Baptismus externus est fideli si-

gnum certissimum, q; particeps fiat aquarum fontis præscripti, & per eas ab uniuersis sordibus expurgetur.

Hunc textum de Israële ultimo conuertendo quidam exposuerunt, quod uerum quoq; esse non dubitamus. Nimirum & ipsos tum huius fontis aquæ purificabunt ab omni immundicie. Et sic de eis enarratur. In die illa cum Israël agnoscet eum, quem crucifixit, & planxerit super eo, ut habes in fine capitis præcedentis, fons gratiæ & ueritatis, qui domui Dauidis & Hierosolymitis, hoc est, ipsis Israëlitis nunc clausus est, patens & apertus erit. Sensus est: Tum auferetur ab eis cæcitas, ac Dei ira, & participes fient ueritatis & gratiæ Dei per dominum IESVM Christum.

PARS SECVNDA.

Et erit in die illa, dixit Dominus exercituũ, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra. Et prophetas, & spiritum immundum auferam de terra.

Cum Israël ad dominum redierit, & factus fuerit particeps aquarum præscriptarum, earum efficacia delebitur omnis idololatriæ abominatio, & nullus ex ipsis alijs, quàm soli Deo fidet. Solis quoq; DEI sermonibus purissimis adquiescent, & omne mendacium execrabuntur. Quod & in cunctis, qui ueritati toto corde

de subscripserunt, notum est. Notum dico ipsis credentibus, qui in seipsis hæc perfecte experiuntur.

Proinde hic prædixit spiritus sanctus: In illa die dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra. Per quid? Non dubium quin aquarum ueritatis efficacia. Et non memorabuntur ultrà. Qui enim DEI uerbo firmiter credit, non potest ultrà idolis, hoc est alicui rei à DEO alienæ affici. Calcat omne humanum fastigium, nihil tribuit propriæ iustitiæ idolo: nihil fidit amicis, honoribus, diuitijs: Recedunt omnes ueteres im munditiæ, quòd in eo iudicium, sensus, affectio, & omnia penitus sint innouata.

Nemo putet hæc unquam fieri in reprobis, sed in solis electis, quibus Dei fons nunquam occluditur, posteaquam semel apertus est. Posteaquam semel apertus est, nō clauditur electis, sed bene reprobis, mox ut peccant in spiritū sanctum, ueritatem quam semel nouerunt ac gustarunt, calcantes & abnegantes.

Ait denique Dominus: Et Prophetas, non dubium, quin falsos & spiritum immūdum, hoc est, spiritū mendacij & erroris auferam de terra, hoc est, ab electorum Ecclesia, quæ antequam ueritatis aquas haberet, non nisi terra & caro erat. Omnes enim filij Ecclesiæ terra & caro aliquando fuerunt.

Semper quoq; à terra, à mundo aufertur spiritus im mūdus, dū mendacium à ueritate uincitur, & Dei uerbo errorū abominationes reuelantur. Itidē falsi pphetæ aufe runtur,

runtur, aut cum à Deo occiduntur, aut cum à Dei uerita te deuicti, mendacia prophetare desistunt. Idola uero disperduntur, aut cum ab alicuius corde, omnis uana rerũ fiducia, ueritate superueniente, amouetur (idola quippe sunt ea, quibus DEO spreto, fidimus) aut dum etiam idola lapidea, ærea, lignea, aurea & argentea destruuntur.

Heu nobis, qui tot sæculis pleni fuimus spiritibus immundis & impostoribus, & ubiq; non nisi idola & pseudoprophetæ. Quis mittet Iosiam quempiam sanctum, qui ab uniuersis fidelium terris hæc auferat & disperdat? Ea caussa misisti ô Domine uerbum tuum, ut per illud omnia eiusmodi disperdantur, & tua misericordia, eiusdem uerbi tui miram lucem nostro sæculo uidemus. Sed quid est, quòd tam multiplicati sunt hostes nostri, immo tui, qui ad id modis omnibus annituntur, ut idola, pseudo prophetæ & spiritus immundi regnent: & non ultrà adoretur nomen tuum, tuaq́; ueritas abscondatur & prophetæ eius exterminentur? Experimur suauitatem & efficaciam aquarum tuarum, & scimus nobis melius esse ut moriamur, quàm si earum fontem nobis clauderes. Percute, flagella, occide, & nos quomodocunq; affli ge, tantum ut non occludatur tuæ ueritatis sacratissimæ, necessarius fons. Sit nobis patens in sempiternum. Disperde, ô DEVS, contere & dissipa hostes tuos, omniaq́; illorum idola & immunditias atq; prophetas extermina, fiat, fiat.

Pars

PARS TERTIA.

Et erit. Cum prophetauerit quiſpiam ultrà, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum. Non uiues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius, et mater eius, qui genuerunt eum, cum prophetauerit.

Ego non dubito id ad literam implendum ab Iſraëlitis, cum tandem fuerint conuerſi ad dominū. Quia enim experiuntur nunc, quàm multa à pſeudoprophetis mala habuerint, mox ut fuerint à Domino *illuſtrati, tam odibunt omne mendacium, ut neq; filijs proprijs ſint indulturi, cum mendacium prophetarint. Scient ſe liberos lege, ideo non occident eos, ut præcipitur* Deuter. 13. *ſed tam aperte caſtigabunt, ut ſint futuri reliquis in exemplum.* Et *indubie etiam à uere* Chriſtianis *patribus, id nonnunquam factum eſt.* V*tinam eiuſmodi zelum haberent omnes, quotquot* Chriſti *nomine gloriantur.* Ex*pendamus autem nunc uerbum præſcriptum.*

Et *erit (ait* Dominus*) cum prophetauerit quiſpiam ultrà non ueritatem, ſed mendacium, pater & mater eius, qui genuerunt eum, dicent ei:* Non uiues, *hoc eſt, filius mortis es, quoniam mendacium locutus es in nomine* Domini. Eiuſmodi *enim mendaces prophetas præcepit dominus occidi.* Deut. 13. *Confiſi autem in eius bonitate,*

per

per Christum, per quē claues iudicij Ecclesiæ datæ sunt, temperabunt legis rigorem erga filium suum pseudopro phetam: & configent, uel ut Septua. habent, compedient eū, plagisq; afficiēt pater & mater eius, qui genuerūt eū.

Non frustra hic tam studiose inculcat: Pater & mater eius, mox adijciens, qui genuerunt eum, ne quis putet hic per patrem & matrem, alios quàm naturales & ueros in telligi. Qu. d. Non intelligo de iudicibus aut principibus, qui nō raro parentū nominibus intelligūtur, sed de ueris patre & matre, q eos secundū carnē genuerunt. Zelus quippe sanctus, qui tū in eis erit, faciet ut carnalis dilecti onis obliuiscantur, & ut maxime Dei gloriam, & filij sui ueram salutem desyderent. Ideo illorum corpora plagis durissimis afficient, ut spiritus saluus fiat, & ne ultrà ab his quos genuerunt, mendacium, sed ipsissima ueritas in Dei nomine pronuncietur.

O quis dabit nostro sæculo eiusmodi parentes, & ze lo domini perfecto tam plenos? O deplorandam nostrorū sæculorum infelicitatem, in quibus uix unus ex uniuersis, qui fideles censentur, inuentus est, qui Dei gloriam ex p prijs filijs sic cupierit. Omnes enim quæsierunt & quæ runt illis, quæ sunt super terram, multisq; sæculis in hoc uniuersi gloriati sunt, cum filij sui, pseudoprophetæ & sa cerdotes idolorum fuerunt. Quid enim omnes concio natores, paucißimis demptis, qui ab annis plus quàm mil le trecentis fuerunt, nisi Prophetæ mendaces? Et quid uniuersi sacrificuli regni perditi, nisi sacerdotes idolo rum,

rum, quæ in nostris phanis, potius quàm templis, multiplicata sunt super numerum? Et eo usq; progreßus est impius error, ut parentes, qui iustiores uidebantur, se infelices putarent, nisi filium unum aut plures, horum falsorum Prophetarum ac Sacerdotum execrabili cohorti adiungerent.

Attendant fideles uniuersi, quibus filios donauit Excelsus, q, si uere fideles sunt, & per id sunt Abrahæ semini, & sanctæ radici Israëlis inserti, de eis etiam hæc uerba DOMINI *capiuntur. Proinde summe id cupere debent, ut ab eorum semine benedicatur nomen* Domini, *& ut non nisi ueritatis sermo in eis reperiatur. Vbi autem contingeret, filios suos in* Dei *nomine prophetare mēdacium, puniant eos, aut id per alios fieri satagant, quantum in* Dei *gloriam & salutem aberrantis filij, uiderint faciēdum. Quandoquidem ea correctio & sancta & necessaria est. Quod si facere obmittunt, profecto ueri Israëlitæ haudquaquam sunt.*

PARS QVARTA.

Et erit in die illa. Confundentur Prophetæ, unusquisque ex uisione sua, cum prophetauerit, nec operientur pallio saccino, ut mentiantur. Sed dicet: Non sum Propheta. Homo agricola ego sū, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

Tum

Tum cum in Dei Ecclesiam admißus denuo fuerit Iſraêl, & illi ueritas illuxerit, cæſiq; fuerint pſeudo prophetæ etiam à proprijs parentibus, q mendacium in Dei nomine prophetarint, confundentur, erubeſcent & dolebunt prophetæ ipſi ſi ſi ſuper mendacio, qd' annunciauerunt: & reſipiſcentes ceſſabunt potius ab ipſa prophetia, quàm uelut prius, mendacium dicant. Nec operientur pallio ſaccino, ut mentiantur. Sic enim, ut nonnulli dicunt, olim induebantur prophetantes. Hinc Eſaiæ prænunciaturo captiuitatem Aegypti & Aethiopiæ iuſſit Deus, ut ſaccum ſuum ſolueret. Eſaiæ. 20. Senſus eſt, & uerbo & facto & habitu, modiſq; omnibus pſeudoprophetandi abominationi renunciabunt.

Magis autem eorum quiſq; dicet: Non ſum Propheta, nam olim cum Domini Propheta eße uidebar, nihil minus eram. Mendacium enim locutus ſum, & peccaui. Sum autem homo agricola, labori manuum deditus, & eundē [illegible]. Scio Adamo dictum eße. In ſudore uultus tui ueſceris pane. Gene. 3. Ipſe ergo Adam exemplum meum, quod ſequi debui ab adoleſcentia mea. Homo enim ſum, & laborare me oportuit ac iuxta præceptum domini, ſudore uultus mei uictũ quærere. Sed aberraui miſer.

Habes hic quatuor, quæ in omnibus, qui olim pſeudoprophetæ erant, & nunc ueritati acquieſcunt, manifeſtiſſime adimplentur. Primum eſt, q omnes confunduntur & erubeſcunt, unuſquiſq; ſuper uiſione ſua, & mendacio quod prophetarunt. Vident, quàm impia ſint, quæ ſun

q; pro

q; pro sanctissimis inculcabant & docebant, ut sunt, fiducia operum, idolorum abominationes, uotorum pernicies, indulgentiarum imposturæ, aliaq; id genus figmenta & traditiones hominum. Idcirco erubescunt se docuisse, quod docuerunt.

Secundo, non operiuntur pallio saccino, ut ante, ad facilius imponendum populis, quin potius, quicquid pharisaicæ abominationis in eis fuit, abijciunt, quale est uestiri cucullo, præscindere calciamenta, & monastices traditiones obseruare in conspectu hominum. Quod si non mox deponunt pallia hæc, saltem non eis uestiuntur, quasi illis uel minimum quicquam tribuant: aut ut mendaciũ prophetẽt, sed ea in tempus nonnunquã seruãt, infirmorũ occasiõe.

Tertio, non se ultra Prophetas esse profitentur, ut ante, nempe falsos. Et si etiam sunt alioqui doctissimi, potius ministerio prophetandi omnino abrenunciant, quam mendacium prophetent.

Quarto, potius quàm esse denuo pseudoprophetæ, faciunt seipsos agricolas, uinitores, artifices, & quodcunque aliud ministerium, ut ciues alij subeunt. Videmus enim plurimos non uulgaris eruditionis, omni solicitudine operantes, qui olim torpebant in claustris illis, ocio & luxui, ad id tantum impigri, ut sua rapaci mendicitate aut hypocrisi, omnem pauperum substantiam uorarent. O bone D E V S, quot porcos & lupos monastice aluit? Sed nunc fiunt dei dono, è porcis iumenta laboriosa, & e lupis benignissimæ oues.

PARS QVINTA.

Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

Et dicetur eidem pseudoprophetæ, non dubium quin ab his, qui eum uiderint plagis cæsum, ut tertia parte diximus. Quid sunt plagæ istæ &c. Quotquot hūc locū de Christo passo enarrarūt, mendacium locuti sunt. Christus enim non fuit cæsus flagellis propter mendaciū, sed pro ueritate. Et is sermo pseudoprophetæ cæso dicitur, non Prophetæ ueritatis. Vide nunc quanti periculi res sit, truncatos ex Biblijs textus, non obseruato locorū scopo, allegare. Nam per id fit, ut penitus ueritati opposita dicantur. Et uere hæc fuit caussa una è præcipuis, propter quas in errore fuimus sæculis multis. In quibus quotquot libri æditi fuere, pleni sunt allegationibus eloquiorum DEI, sumptis fermè in alium sensum, quàm uelit textus simplicitas. Igitur uersus præscriptus ad domini passionem nihil attinet.

Capitur ergo de his, quos suprà tertia parte, dixit à proprijs parentibus confixos, pro eo q̃ mendacium prophetarant. Quos ubi alij uiderint uulneratos & cæsos, dicent eis: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum, id est, in te. Sensus est: Quid fecisti, q̃ sic plagatus es? Mox illi agnoscent peccatum suum, & iustam manum se

diligentium, dicentq; eorum quisq; se interrogantibus: His plagatus sum, non in domo aliena ab hostibus, sed in domo eorum, qui me ex animo diligebant, nempe parentum, qui non ex odio aut iniuste, sed ex amore & iustissime id mihi fecerunt.

PARS SEXTA.

Framea suscitare super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.

FRamea gladius est, & significat omnes amaritudines, quas Dominus IESVS Christus pro nobis in carne sustinuit. Amaritudo quippe & aduersitas, gladij nomine aliquando capitur, ut Lucæ primo: Tuam ipsius animam gladius pertransibit. Porrò hunc locum de Christo esse, ex eo palàm fit, quòd Christus sit pastor domino cohærens.

Dicit ergo dominus Deus exercituum, de CHRISTO, ostendens immutabile decretum suum, de passione & malis, quæ in carne pertulit. O framea, dolor, flagella, & cruciatus mortis, suscitare, ueni: super pastorem meum, id est, super CHISTVM, qui totus meus est, & in quo nihil, quod non mihi sit maxime gratum, quem feci pastorem meum, non ut pascat me, sed oues meas. Et super uirum cohærentem

tem mihi, hoc est, super ipsum Christum hominem, semp diuinitati cohærentem, & quæ mihi sunt placita facientē. Veniant super eū mala, ut pomnibus electis meis satisfaciat, ne in æternū dispereant. Moriatur bonus ipse pastor, p ouibus suis, & sua morte sit ipsis ouibus salus. Sed audi apertius, quid frameæ præcipiatur.

Percute pastorem & dispergentur oues. Et conuertam manum meam ad paruulos.

Framea percussus est dominus IESVS *Christus, sed nequaquam absorptus ab ea. Orauit enim, ut ab ea erueretur. Psalm. 21. & exauditus fuit pro sua reuerentia. Quòd autem de domino* IESV *Christo intelligatur hic textus, ostenditur Matth. 26. Vbi hic uersus ab eo allegatur. Sed quando percussus est hac framea? Quando & toties, quoties graue aliquid pro nobis sustinuit, sed præsertim in tempore paßionis, quando adimpletum est, quod subiungitur:* Et dispergentur oues gregis, *Apostoli scilicet.* Mox *enim capto* Domino, *fugerunt, timentes & ipsi comprehendi ab impijs.*

Vsq; hodie percussiones Seruatoris & pastoris nostri IESV *Christi multos absterrent, & uehementer quidē, ut à Christo se diuidant. Verum si non est eousq; progressus timor, ut toto corde abnegetur Dei ueritas, non est desperandum. Sæpe enim electi (deo ita permittente) cadūt, & surgētes, ardentiores fiunt, ut in Petro habes, et Apostolis. Nimirū respicit eos deus suo spiritu eosdē illustrās in tēpore, & tum uere redeunt ad eū, à quo se diuiserant.*

Noli

Noli tamen putare, quòd omnis ob crucem fugiens, dispergatur aut diuidatur à Christo. Nimirum nisi aliquando fugeret, à uerbo Domini apostataret. Nobis enim præcipitur: Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam. Quæ iussio, nisi gloria Christi, & salus proximorum manere compellat, est obseruanda. Cæterum ubi nullus est mansionis fructus, sed tãtum furor, & tyrannis impiorum, sine ueritatis promotione expectatur, fugiendum est. Ad quid enim curremus in ora luporum, mox ab eis uorandi, maxime ut nostro sæculo habet res? Quandoquidem hostes uerbi neminem audire uolunt, qui ueritati perhibeat testimonium, sed incomparabili animi sæuitia, ad fundendum innoxium sanguinem properant. Fugiendum ergo tum, ut alibi annuncies gloriam Christi. Quod Paulus & alij Apostoli non raro fecere. Tantum id uiderit quisq;, ne ab incredulitatis fonte prodeat fuga sua, sed ut diutius uiuens, annunciet magis fratribus regnum Dei, dicatq; intra se: Non moriar sed uiuam, & narrabo opera Domini. Fugiam ora luporum & ferarum, dum media tribuit Deus. Quod si uoluerit me pro nominis sui gloria pati, & proprio sanguine ueritatem testari, nouit qua ratione id facturus sit, & faciet me comprehendi. Oret autem semper ex animo & fide, ut fiat uoluntas eius sanctissima, de seipso, siue in uitam siue in mortem.

In eo quòd Dominus iubet frameæ, ut Christum percutiat, argumentum certißimũ habes, ꝙ omnia mala, quæ ꝑ

tulit dominus in carne, ab æterno prædefinita erant. Neq; enim fieri potuit, ut quicquam uel minimum pateretur, nisi sicut præordinarat, & hoc quidem hora & potestate tenebrarum impijs concessa. Proinde in captione sua dixit: Hæc est hora uestra & potestas tenebrarum. Lu. 22.

Porrò ipso pastore percusso, ouibusq; dispersis, conuertam (ait Dominus) manum meã ad paruulos. Ad quos paruulos? Non dubium, quin ad ipsas oues dispersas, & ad omnes electos, qui idcirco paruuli dicuntur, quòd diuini spiritus efficacia, paruuli sint malicia, & fiant ut modo geniti infantes, sine dolo, superbia et malignitate. Ad hos conuertit manum suam, hoc est, in eis & per eos operatur mirabilia sua. Manus enim, ut sæpius diximus, operationem & uirtutem seu potentiam significat. Manus ergo domini est cum electis suis, quoniam cum eis habet suum testamentum, suumq; fœdus, & eius auxilium cũ eis est. Sic quispiam fœdus initurus cum proximo, aut illum adiuturus, dicit: Manus mea erit tecum.

PARS SEPTIMA.

Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duę in ea dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.

Ne putes locum præscriptum de dispersis ouibus, de solis Apostolis intelligi. Nimirum ad oẽs quomodolibet ab eo dispersos refertur. Porrò electi sic dispersi sunt, ut denuo oportune congregentur in Ecclesiam, ut de Apostolis exemplum habes. Contrà reprobi disperguntur & intereunt, à pietate ex animo deficientes. Qui quoniã plures sunt q̃ electi, duarũ partiũ nomine capiũtur: electorũ uero paucitas tertia pars est. Quæ alijs duabus à ueritate deficientibus, domino relinquitur.

Porrò is locus tametsi uniuersis gentibus bene conuenit, ut scilicet reprobi per duas partes dispersas & deficientes, electi uero per tertiam relictam capiantur: æstimo ueruntamen, quòd de Iudæis primum intelligatur. Voluit enim ostendere spiritus sanctus, quòd pauci è Iudæis erãt cum Christo relinquendi, hoc est, fidem eius suscepturi, cæteri uero dispergendi & excæcandi, eo quòd Domini Iesu pastoris nostri percussio illis foret in scandalũ. 1. Corin. 1. Verum quia sicut ex eodem loco Pauli notum est, Christi percussi prædicatio fuit gentibus stultitia, & indubie etiam ex eis plures impij quàm pij sunt, ideo non incõgrue reprobi è gentibus duabus partibus, electi uero tertia designantur.

Cæterum hanc tertiam partẽ duxit, ducitq; etiam hodie per ignem dominus, & urit eos, sicut uritur argentum, & probat, sicut probatur aurum. Ignis hoc loco tribulatio est, in quam Apostolos, omnesq; sanctos ductos, & nunc duci, est notissimũ. Quia autẽ dominus est, qui ad eũ

ignem nos ducit, est nobis magna ualde caußa ueræ consolationis, ut non grauatim mala feramus, in quæ dei uoluntate pro eius ueritatis aßertione decidimus, Certi enim sumus, quod nobiscum est dominus in ipso igne, qui nos tandem eripiet & glorificabit. Psal. 90. Quod electi omnes tandem agnoscunt & dicunt: Transiuimus per ignem & aquã, et eduxisti nos in refrigeriũ. Quorũ corda probauit Deus, & uisitauit nocte, & uelut igne examinauit. Psal. 16. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & uelut holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Sapien. 3. Per hunc ignem dominus IESVS Christus ante nos transiuit, ut leuius feramus: percussus est pro nobis, ut nos percussi non doleamus, sed magis in eo gloriemur, scientes, quòd domini immutabile decretum sit, quod oẽs qui eo pie uiuũt, aduersa pati necesse est. 2. Tim. 3. Neque enĩ domĩo et ipso pastore nostro maiores sumus. Io. 13.

Ipse uocabit nomen meum, & ego exaudiã eum. Dicam, populus meus es, & ipse dicet, dominus Deus meus.

Ipse populus, qui est pars tertia relicta, uocabit nomen meum, in me fiduciam habens, & ego exaudiam eum. Simile est illud Psal. 90. Clamauit ad me, & ego exaudiã eũ. Et dicam, populus &c: Sensus est. Habebo eum pro meo populo, imò erit populus meus, et me habebit pro deo suo, et mihi soli fidet. Ipse petet à me auxilium, & in me, ut in Deum suum fiduciam habebit, & ego auxiliabor ei, ut uero populo meo. Hinc habes argumentũ ad probandum, quod

electi

electi soli, qui credunt, & ueritatis causa, per crucis ignē transeunt, populus Domini sunt, & ipse Dominus est Deus eorum.

CAPVT XIIII.

Summarium capitis. Primum, de Antichristorum persecutione aduersum Ecclesiam, quòd uidelicet capient eam, diuidentq; spolia in medio eius &c. Secundo, quòd Dominus sit pro ea præliaturus. Tertio, de scissione montis oliuarū Christi, et ibi multa et magna mysteria. Quarto, de tenebrosis errorum sæculis, & die nota Domino, in cuius uespere erit lux. Quinto, de aquis uiuis perpetuo egredientibus ex Hierusalem. Sexto, quòd Deus sit futurus Rex unus & Dominus, & de unitate nominis eius. Septimo, de reuersione electorum & instauratione Hierusalem. Octauo, de inhabitatione, benedictione ac securitate eius. Nono, de plagis Antichristorum. Decimo, de tumultu Domini magno super eos, & irritatione consilij eorum, ac contritione omnis roboris eorum. Vndecimo, de mysterio festi tabernaculorum. Duodecimo, de punitione non celebrantium ipsum festum. Tertiodecimo, de sancto quod erit super frenū. Quartodecimo, de ueris Ecclesiæ Dei hostijs.

PARS PRIMA.

ECce dies domini ueniũt, dicit dominus, & diuidentur spolia tua in medio tui. Et congregabo omnes gentes ad Hierusalem in prælium, & capietur ciuitas, & uastabuntur domus, & mulieres uiolabuntur. Et egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex urbe.

MAgno cum timore, & plena omnis prioris studij diffidentia ac cũ sola in deũ fiducia, huius præsertim capitis interpretationẽ aggressus sum. Quæsiui scopũ spiritus, quem an tandem inuenerim, esto lectoris iudiciũ, modo ex uerbo dei iudicet. Lætabor enim maxime, si quæ enarrauimus, apertius indies reuelentur.

Igitur primum arbitror satis liquere, quod ea quæ hac priore huius capitis parte habentur de terrestri illa Hierosolyma haudquaquam sint. Non enim intelligitur de captione eius per Chaldæos, quæ nec diebus Zachariæ nec post eum fuit, neq; de eius uastatione per Romanos, quia teste Iosepho libro septimo, de Iudaico bello, populus non fuit relictus in urbe, hic autem dicitur, quod pars populi in ea relicta fuerit.

Deinde ex multis hoc capite positis, quæ iuxta literæ faciem intelligi nequeunt, notum est, quod & alia, quæ simul cum eis pro una prophetia habentur, & ex textus ordine sunt colligata, eundem sensum habent, & una interpreta-

terpretationis ratione sunt enarranda. Ergo in mysterio est caput hoc exponendum.

Iam ergo ad textum accedamus, & scrutemur quæ sit ea Hierosolyma, de qua hic agitur. Ex textus ordine ea est, contra quam omnes gentes, omnes scilicet impij, congregantur in prælium, & pro qua Dominus ipse uictoriosissime præliatur, & ex qua fluunt aquæ uiuæ. Hæc est Ecclesia Dei, uera pacis uisio, per terrestrẽ Hierosolymã figurata. Quancunq; aũt aliã Hierosolymã dederis, semper erit, quod omnibus textus partib. minime cõueniat.

Domini autem est hic sermo, de seipso quasi de tertio loquentis. Ecce, inquit, ueniunt dies Domini, quos scilicet ego qui sum Dominus præfinitui, ut in eis adimpleam, quæ sequuntur. Hi sunt dies, siue tempora, quæ secuta Christi aduentum, maxime post uerbum ab Apostolis nunciatũ, & multiplicatis Antichristis. Quid fiet in ipsis diebus? Diuidentur spolia tua, in medio tui, ó Hierusalem. A quibus? Ab incredulis, ab Antichristis præsertim.

Quæ sunt hæc spolia? Omnis substantia fidelium. Nõ enim potest intelligi de spolijs spiritualibus, quæ non placent impijs, nisi in hypocrisi & mendacio, qui etiam se eadem posse distribuere mentiuntur. Is ergo locus, intelligitur de terrenorum direptione, & de eo quod impij hypocritæ & Antichristi dicunt se dispensatores spiritualium, ut indulgentiarum, orationum, suffragiorum &c.

Liquet aũt ex priore Ioannis canonica, ꝙ ab eorum diebus

diebus Antichristi multi erant, qui proprie sunt hi, qui sub nomine Christi contra Christum agunt, quemadmodum libro de causis excæcationis aperte docuimus. Qui ex dei uerbo non dei gloriam, sed terrena quæsierũt. Ideo nitebantur, ut grata hominibus loquerentur. Per quos introiuit erroris spiritus, et inanis philosophia in Ecclesiã, & tam inualuit excæcatio, ut quæ omnino & ex directo contra pietatem erant, à Christo esse putarentur. Cæterũ ubi tam potuit ipse erroris spiritus, ut lux ueritatis, dei ex pauescendo iudicio, uix à paucissimis uideretur, cœperũt Episcopi amare terrena, pijs ut ualebant obsistentibus. Sed ita factum est, ut pijs cum impijs prælantibus, impij multitudine uincerent, & captiuam fecerunt ciuitatem dei Ecclesiam, & principatum in ea obtinuerunt, ponentes sibi diademata, mitras, galeros, ut ĩ Antichristi regno uidemus. Dixerunt se missos à Domino. Apostolorum uice, & se habere functionem apostolicam, ac facultatem definiendi de uerbo Domini, & simul principari cœperunt, ut posteaquam rapuerant, quæ ad deum spectabant, etiam quæ principum erant, callidissime deprædarentur.

At posteaquam id consecuti sunt, ut super ciuitatem ipsam Domini, eius uices gerere putarentur, nihil est, quod non tentarint, ut sub dei nomine, omnem mundi substantiam exhaurirent, & haberent etiam orbis imperium sub manu sua. Audi autem, & uide raptores hos, has gentes, hos Antichristos, quomodo in medio Ecclesiæ sanctæ, spolia eius diuidant, quæ scz. ab ipsa Ecclesia diripuerũt,

atq; à deo, unico eiusdem ciuitatis rege. Vendunt omnia, quæ Christi sunt, & dant quibus uolunt, priuilegia, diuitias, honores, beneficia, & gloriam huius sæculi, suis clientibus, cinędisq;, procis & meretricibus. Iactant se distributores meritorum Christi. Rapuerunt à deo ius condendi leges, calcantesq; impolluta eloquia Domini, decreta illis contraria passim constituunt, ut de uenerandis idolis, & diuis, de uotis sectarum, de iustitijs operum, de remissione peccatorum, per suas imposturas. Adserunt benedictos, quibus benedicunt, & maledictos, quibus maledicunt. Ecce quàm pacifice & nemine obsistente, tot annis, tot inquam sæculis, diuiserunt spolia Ecclesiæ, in medio eius, & quàm fecerint eam captiuam, sub figmentis & imposturis suis. Hæc diximus de Antichristis Europæ, de Antichristis Africæ & Asiæ, idem sentientes, tametsi speciatim ignoremus, qua ratione in medio Ecclesiæ spolia diuidant. Hos & uniuersos incredulos, congregat Dominus aduersus Hierusalem nouam & sanctam, id est, Ecclesiam, in prælium, & datur illis, ut hora & potestate tenebrarum, quam donauit illis Dominus, adfligant sanctos uarijs modis.

Et præter diuisionem spoliorum, de qua prædiximus, quinq; in hac Ecclesiæ adflictione futura prænunciauit spiritus sanctus. Primo, quòd caperetur ciuitas ipsa dei, nempe Ecclesia. Quod quàm uerum fuerit, multis heu sæculis experti fuimus. Tam enim captiui fuimus, ut nulla ullibi unquã fuerit captiuitas, hac crudelior, diuturnior, abomina-

abominabilior. Liberos nos fecerat Dominus IESVS Christus, inestimabili sui sanguinis precio, à maledicto legis, à peccato, morte, & inferno, & uniuersis traditionibus hominum, ut de manu hostium liberati, sine timore illi seruiremus. Luc. 1. Sed terrendo miroq́;, attamen uenerando altissimi iudicio, tam potuere hæ gentes, hi pietatis hostes, hæ sæuissimæ bestiæ agri, ut nos captiuos hactenus fecerint. Et in ea captiuitate plurimi habentur nostro sæculo, nolentes ueræ libertatis, quæ nobis per uerbum sanctum offertur fieri participes.

Secundo, prædixit quod uastarent domos ciuitatis eiusdem, speciales scilicet Ecclesias, omnia suis figmentis, traditionibus, ac mendacijs, perturbantes ac confundentes. Quemadmodum enim ciuitate tota Ecclesia, ita domibus ciuitatis, speciales Ecclesiæ figurantur.

Tertio, quod mulieres uiolarent, sponsas scilicet Domini IESV Christi, quas sibi in fide, misericordia, & miserationibus desposarat. Hæ sunt tam ipsæ speciales Ecclesiæ, quàm fidelis quisq;. Nimirum ut in Solomonis Canticis ostendimus, utriq; mulierum nomine significantur. Nam ibidem aut per Sponsam, aut per adolescentulas significantur. Nemo autem incongruũ putet, quod ipsas speciales Ecclesias, & domibus & mulieribus seu sponsis, diximus intelligi, nam utrunq; uarijs respectibus eisdem congruit. Domus namq; sunt, quod in eis Dominus habitet, mulieres uero seu sponsæ, quod sint Christo in fide copulatæ.

Quarto, prænunciauit quod egrederetur media pars ciuitatis in captiuitatem. Hanc mediam partem puto esse omnes, qui seducti à totius orbis Antichristis (etenim ut diximus, præter eos qui sunt in Europa, alij sunt) omnino apostatarunt à fide, & toto corde secuti sunt mendacia hominum, doctrinasq; dæmoniorũ. Vnde ut arbitror, nõ posuit, ducetur, sed egredietur in captiuitatem. Voluntarie enim & toto animo, post mendacia currunt, & illa pleno adfectu amplectuntur.

Quinto, quod reliquum populi, non auferetur ex urbe, uel ut Septua. habent. Reliqui autem populi mei, non peribunt de ciuitate. Hi sunt electi, qui tametsi in errorũ captiuitatis præscriptæ, pniciosissimis tenebris fuerint, syncera ueruntamen, ac simplici in Christum fide seruati sunt, quod eos retinente spiritu dei, ipsis tenebris toto corde non subscripserint, de qua re locis alijs egimus, præsertim libro de causis excæcatiõis, quæ hactenus fuit.

Nihil uides hic agi de gladijs, & armis, sed tantum meminit captionis ciuitatis, uastationis domorum, & uiolationis mulierum, quod puto sic scriptum, ut scias hanc captionem, uastationem, & uiolationem, non tam fieri armis quàm imposturis. Tametsi de mulierum uiolatione, nihil reprobarim, si etiam ad literam quis adcipere uelit. Nimirum posteaquam dei ciuitas, modo præscripto, ab hypocritis & Antichristis capta fuit, ob scortatorium illum clericorum & pharisæorum cælibatum, ac prohibitionem impolluti thori casti coniugij, omnia conspurcata fuere

fuere libidinibus, & mulieres proximorum à pseudocastis illis maxime uiolatæ, de qua re libro de sacro coniugio, abunde egimus.

Non defuere, qui hanc persecutionem & captionem Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ, ad persecutionem Gog & Magog retulerunt. Quibus facile accederem, nisi ex Eze. 38. & 39. Vbi plenissime Gog aduentus & interitus describitur, aliud concludendum esset. Ibi enim dicitur, quòd ueniet ad spolia diripienda, & Apoc. 20. Dicuntur circundedisse ciuitatem dilectam, sed nullibi habetur, quòd eam ciuitatem captiuam fecerint, aut alicui ex ea quidquam nocuerint, quinpotius mox interituri, & à deo grauissime iudicaturi prædicũtur. De quibus plura apud ipsum Ezechielem locis præscriptis, deo uolente agemus.

Postremo si quis omnino contendit, textum quem enarrauimus de terrestri Hierosolyma interpretandum, id confirmet ut opus est, & ostendat, quomodo tum conuenient quæ sequuntur. Et egredietur dominus &c. Indubie enim ad eandem prophetiam spectant. Cum autem inuenerit, quòd partes non consentient, & interim nostram expositionem calumniatur, ostendat errata, simul & doceat melius, & in Domino lætabimur. Hæc subiunximus propter nonnullos, à quorum sensu longe est, quisquis ex deo est, qui quidquid eorum sensui non congruit, in aliorum scriptis, fucatissimis calumnijs impugnare nõ cessant. Nos autem non nostrum, sed solum dei sensum, in suis

in suis scriptis requirendum agnouimus, quem etiam cũ eius fiducia requirimus.

PARS SECVNDA.

Et egredietur dominus, & præliabitur contra gentes illas sicut præliatus est in die certaminis.

EGressus est Dominus, cũ uenit in carnem, sicut ipse dixit Ioan. 16. Exiui à patre, et ueni in mundum. Et quoties nos iuuat, aut aliquid ĩ creaturis operatur, egredi dicitur. Hinc Micheæ. 1. Egredietur Dominus de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et Abacuc. 3. Egressus es in salutem populi tui, uel ut seruares populum tuum, per IESVM Christum tuum. Verum quod ad hunc locum spectat, non æstimo quòd intelligatur de alijs quàm nostris sæculis, & his qui futuri sunt, in quibus posteaquam multis præcedentibus, fuit dura ciuitatis dei captiuitas, Dominus egreßus est per uerbum suum, & præliatur aduersum gentes, & Antichristos, sicut præliatus est in die certaminis. Quæ est hæc dies? Alij putant eße diem submersionis Aegyptiorum in mari rubro, alij diem quo Angelus Domini occidit in castris Assyriorũ, centum octoginta quinq; milia. Ego magis arbitror generatim capiendum, ut sit sensus. Dominus præliatur aduersum hostes populi sui, sicut præliari

c consueuit

consueuit aduersum eos, quos debellare uoluit, hoc est, uictoriosissime, ut in die Aegyptiorum. Exo. 14. uel in die Madian, quo Gedeon cum trecentis, de infinita multitudine triumphauit. Iudi. 7. Vel sicut in die Assyriorum contra Hierusalem. 4. Reg. 19 aut alijs diebus, in quibus insignes uictorias fecit. Ipse est qui exit uincens, ut uincat, & conteret omnes hostes suos. Apoc. 6.

Obsistant ergo Principes Deo uiuenti, & exercitui eius, certissime enim tandem conterentur, & uicti iacebunt. Putãt cæci se tum uincere, cũ ueritatis professores, interimunt gladio, igne, suspendio, aquis, ac alijs cruciatibus, nescientes quòd tum maxime deuincuntur. Egreßus iste Domini, contra gentes, quæ aduersantur ciuitati dei, erit semper, diebus ante sæcula præfinitis, quibus & sanctis adeße, & hostes suos calcare & perdere definiuit. Porrò in Gog euersione, egreßus ille Domini, super omnem modum gloriosus erit.

PARS TERTIA.

Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Hierusalem ad orientem. Et scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad orientem & ad occidentem, prærupto grandi ualde. Et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium eius ad meridiem. Et fugietis ad uallem mõ-

tium

tium eorum, quoniam coniungetur uallis montium uſque ad proximum. Et fugietis ſicut fugiſtis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iuda. Et ueniet dominus Deus meus omneſq; ſancti cum eo.

NE putes Dominum egreſſum, ad ſolam hoſtium contritionem, hic habes quòd ſanctis adſit, & illis refugium tutiſſimum ac fortiſſimum tribuat. Et *ſtabunt, inquit, pedes eius, non dubium quin* Domini, *in die illa, cum ſcilicet uoluerit populum ſuum liberum facere à gentibus, & gentes ipſas perdere, ſuper montem oliuarum, qui eſt contra* Hieruſalem *ad orientem. Stare, eſt adſiſtentis, ut iuuet.* Ideo *tametſi etiam uſq; ad conſummationem ſæculi, adſit fidelibus* Deus. Matth. *ult. tum ueruntamen potiſſimum adeſſe dicitur, cum à malis grauiſsimis liberat, tribuens auxilium oportunum.*

Sed quis eſt hic mons oliuarum, in quo ſunt Domini *pedes, oliuis & oleo plenus?* Diximus *in* Solomonis Can*ticis & alijs locis,* Eccle*ſiam monte deſignari, uerum hoc loco non congruit, quoniam* Eccleſia *eſt ipſa* Hieruſa*lem ad cuius orientem, hic oliuarum mons eſſe dicitur.* Ego *non puto aliud hoc monte deſignari, quàm* Domi*num* IESVM CHRISTVM, *ut hominem, plenum oliuis & oleo chariſmatum* DEI. *Siquidem gratia & ueritate plenus eſt, & de eius plenitudine fideles adcipiunt.* Ioannis *primo.* Proinde

Psal. 67. dicitur de ipso: Mons dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. In CHRISTO homine, uero monte oliuarum, monte pinguissimo, stant Dei pedes, cum in eo manet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Col. 3.

Porrò congrue admodum, ab oriente contra Hierusalem esse dicitur, quòd & ipse oriens sit, ut suprà cap. 3. et 6. habes, qui oritur ut sol iustitiæ, timenti Deum Ecclesiæ suæ, Mala. 4. Et ab eo procedit, uenitq; in eam, omnis gratia, ueritas, spiritus, pax, & omne bonum. Christus ergo ut homo, est mons ille sublimis & pinguis oleo, in quo est perpetuo Deus, in Ecclesiæ bonum. Etenim non potest hic locus capi ad literam, de monte oliuarum.

Sed quid est quod dicitur? Scindetur mons oliuarum &c. Quis unquam diuisit CHRISTVM, per medium, ut hic habes? Summam ex hoc loco puto capiendam, nempe, ut scias dici figuratiue, montem diuisum, & uallem in diuisione esse, quæ ualli montis Sion coniungitur, ualli inquam Iosaphat, habenti ab oriente montem oliuarum, & ab occidente montem Sion. Ipsi ergo ualli Iosaphat, iungitur uorago siue apertio montis olíueti, usque ad proximum, id est, sine ulla re media, inter hanc uallem & uoraginem, ita quòd simul ex ipsa ualle atque uoragine, fiat simul una tutissima uallis, montibus cincta, in quam fugiunt ueri Israëlitæ, id est, fideles,

tempore

tempore terræmotus, hoc est, in adflictione desolatæ conscientiæ & omni tribulatione·

Non puto aliquid specialiter designari, per ipsius montis diuisionem, ab oriente in occidentem, nec per id quòd pars montis diuisi, scribitur declinatura ad meridiem, pars ad aquilonem: sed ex tota simul hac prophetia, est colligendum, quòd in tempore adflictionis & tribulationis, C H R I S T V S *se Hierosolymitis, id est, fidelibus aperit, illisq́; est tutißimum refugium, eos cingens quasi murus, ut suprà cap· secundo, murus uocatur, & quasi mons fortißimus, & inexpugnabilis, sicut scriptum est·* Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & usque in sæculum· Psal·124·

Nunc obserua à capitis initio, quàm bene omnia quadrent · Ciuitas illa Dei, cui patet fons Dauidis cap· præce· & quam fluminis impetus lætificat · Psal·45· ab Apostolorum diebus, tam circundata fuit ab hostibus impijs, incredulis, hypocritis, & Antichristis, ut tandem sub imposturis hominum misere captiuata sit, & in ea uniuersa perturbata, confusa, ac polluta, sicut prædiximus · Sed egressus est D O M I N V S, *in auxilium ciuium urbis suæ, hoc est, electorum, & ut prælietur contra hostes suos·*

Cæterum ne putes Dominum, præteritis errorum sæculis, ipsos electos deseruisse, adfuit non longe ab eis Dominus, & quasi mons tutissimus cinxit eos, & fuit

illis in refugium tutissimum, ab omni malo, & tribulatione. Fide enim Domino adsistunt, & DOMINVS protegit eos à perditione, facitq; ne pereant, etiam in medio errorum, & umbræ mortis. Sic fide in hunc usq; diem, inter tot captiuitates, electi seruati sunt, confugientes ad interiora diuisi montis olíueti, Domini IESV CHRISTI, & in eum solum fiduciã habentes.

Quemadmodum enim in terræmotu grauissimo, qui fuit Oziæ siue Azariæ regis Iuda diebus (de quo & in Amos principio agitur, quem ferunt tum fuisse, cum Ozias ipse, sacerdotium contra fas usurpare uoluit) multi fugerunt ad tutiora montium loca, nimio terrore perculsi, ita electi tenebrarum miserandæ cæcitatis horrore, & tot malorum uarietate, quæ præscriptæ captiuitatis infelicissimis diebus fuerunt, quasi à facie horrendissimi terræmotus, admodũ perterriti, ad cor Christi ueri oliuarum montis, syncera fide confugerunt, & confugiunt, tuti per id se esse nihil dubitãtes. Quod & apertius innotescit, per id quod subiungitur.

Et ueniet Dominus Deus meus. Quo? Non dubium quin ad ipsum montem CHRISTVM. Semper enim est Deus uerus, quòd nunquam fuerit CHRISTVS homo, absque Deo, etiam in eo præsentissime existente. Nam pariter & semper Deus ac homo est. Ipse quoque ut Deus est in patre, & pater in eo. Ioan. 14. Et cum eo sunt omnes sancti, fideles, electi. Quomodo cum eo? illi fide purissima iuncti, participes spiritus

ritus

ritus eius, quorum ipse est caput & Deus: ipsi uero membra, serui, & ministri eius.

In monte ergo hoc pingui CHRISTO, est Deus, ut sanctis in firmamentum sit, & ipsi fideles in eo pariter sunt, ea ratione, qua prædiximus, ut à Deo qui in CHRISTO est, per ipsum CHRISTVM roborentur.

Porrò ad eum montem uenit Deus, mox ab initio conditi eius montis, scilicet tum ilico, ubi primum fuit conceptus. Non enim fuit ante homo, quàm Deus, sed simul homo & Deus. Nos autem tum cum Domino in CHRISTO uero monte primum sumus, cum integra fide illi cohæremus, & per illam membra eius efficimur. Beatus qui manet cum Domino in Christo, quod qui non consequitur, est maledictus.

PARS QVARTA.

Et erit in die illa non erit lux, sed frigus & gelu, & erit dies una quæ nota est domino, non dies neque nox & in tempore uesperi erit lux.

CApta ab impijs ciuitate Dei, Ecclesia, & omnibus per Antichristos in ea perturbatis & confusis, non erit lux ueritatis, hoc est, non uidebuur in

 Ecclesia,

Ecclesia, sed absco̅detur, iudicio dei æquissimo, uerum supra modum expauescendo. Quòd autem ipsa ueritas, sit lux, & aliâs sæpe diximus ac probauimus, & id quisquis eius sit particeps experitur. Nimirum absq; ea, non nisi cæcitatis densißimæ tenebræ sunt.

Fuerunt ergo imò adhuc in multis sunt tenebræ, & ob perpetuam ueræ lucis absentiam, est frigus & gelu. Siquidem abundante iniquitate, fides defecit & charitas refrixit. Matth. 24. Hi sunt dies periculosi, quorum abominationes paulus in parte enumerat. 2. Timo 3. & de quibus. 1. Timo. 4. prophetauit, quòd discederent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum, cauteriatam habentes conscientiam, prohibentes in hypocrisi, coniugia sacra, atq; cibos quos Deus cunctis fidelibus fecit liberos, modo ex fide.

Quemadmodum enim lux uehemens calorem nonnunquam tam magnum parit, ut etiam adurere possit, ut patet in ardore solis irradiantis, & ex claritate, quæ reuerberatur ex speculis calibeis, & perpetuæ tenebræ frigus adferunt, ita ueritatis lux adurit in fidelibus, omnem impuritatem, & eos facit in rebus sacris, & charitate ardentissimos, qua absente, tenebræ decretorum, traditionum, ac mendaciorum hominum, tam perniciosum algorem, tamq́; durum incredulitatis gelu producunt, ut eis regnantibus ignis diuini amoris, ac charitatis in proximum nullibi esse possit. Hic locus maxime facit, pro cæcitate

tate præcedentium temporum, in quibus ueritas Domini abscondita fuit.

Sed quæ obsecro est dies illa una, nota Domino, non dies neq; nox, de qua hic dicitur, quòd ad eius uesperam erit lux? Si enim dies, quomodo non dies neq; nox? Indubie hæc una dies aliquod tempus est, sed incertum est, an sicut alibi, per diē, annum, aut aliud tempus uelit intelligi. Quod tempus, ut puto, dicitur non dies, q; in eo non fuerit reuelata & annunciata ueritatis lux. Dicitur autem nō nox, propter electos, quibus semper aliquid lucis exortū est, ne disperirent. Ad huius autem diei siue temporis uesperam, hoc est, in fine, erit lux. Nimirum post errorum tenebras expectanda est ueritatis desyderatiss. lux. Arbitror autem, nos esse in huius temporis uesperi, q; Dei misericordia nobis illuxerit hæc ueritatis lux, quæ nostris patribus abscondita fuit. Quandoquidē si Dei munere ueritatis participes effecti sumus, uere tum agnoscemus, quā perniciosa & tenebrosa fuerit nox, quæ hactenus fuit. Quod hypocritæ & increduli capere nequeunt, q; non nisi fallax carnis iudicium in eis sit, ideoq; hanc Domini lucem, tenebras, & tenebras suas, lucem esse dicunt.

Hi quia suis cogitationibus ab omni sermone Domini facile abducuntur, imponunt nobis propter eos, qui uerbo libertatis Euangelicæ in carnis occasionem abutuntur, q; fidelium opera in nobis haudquaquam sint, quòd scilicet non simus in proximos benefici & pij, & quòd in nobis sit gelu præscriptum, non in eis. Quibus dicimus, quod

si qs se ex nobis eße gloriatur, & i eo nõ est charitas in p ximos, nihil minus q̃ ex nobis est, & charitas uera nõ est in eo. Nimirum *fieri non potest, ut* Christianus *sit, qui nõ est in proximos, ut potest, beneficus & misericors, & qd quid ore profiteatur, ueritas* Dei *non est in illo.* Proinde *ubi aliquos uideris negantes proximis auxilium, scias cer tissime quòd non est ueritatis amicus, etiam si per singula momenta* CHRISTVM *ore prædicet.* Fides *enim, omne cordis gelu dissoluit, & per charitatem semper est operosa.* Hypocrisis *ergo & mendacium est id genus frigidorum uita.* Certißimum *quippe signum infidelita tis & mendacij, hoc est, hypocriseos, est præfatum frigus & gelu.*

Propter *eiusmodi ergo pseudofideles uerbum* Domi *ni, & ueri fideles impie ab impijs & ueritatis hostibus re probatur.* Sed *ita cæci quærunt quid allegent, uel in men= dacio, unde nonnullis simplicibus ualeant persuadere, q in ueritate ambulent, & q dei ueritas mendacium sit.* Sic *agunt impostores, ut ipsi fidelium numero adscripti pu= tentur, cum omnis eorum uita non sit nisi in tenebris, mẽ dacio, & infidelitatis mortifero algore.*

PARS QVINTA.

Et erit: In die illa exibunt aquæ uiuæ de Hie= rusalem. Medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouissimum. In ęstate & hyeme erunt.

Aquæ istæ redeunte luce, redeunt, q idem cum illis sint, nempe ueritas, gratia, pax, & uniuersa charismata spiritus IESV Christi, de quibus suprà in principio·13·cap·non nihil egimus·Fluunt semper selectis, q perire non poßint, uerum aperte non fluxerunt à dieb; quibus nõ fuit aperta & publica dei eloquiorũ profeßio, nunc autem iterũ fluunt ex noua Hierosolyma, nẽpe ecclesia, q in ea sit fons patens·Suprà ca·13· & puteus ipsarũ uiuentium aquarum, fluentium ex Libano·Cantico.4·hòc est, ex ipsa Ecclesia, quæ uera Libanus est· Quamuis enĩ ex Sion & Hierosolyma illa terrestri exierit uerbum per CHRISTVM & Apostolos, ex sancta ueruntamen Ecclesia uera Sion, ueraq; Hierusalem perpetuò exit, ut habes Esaiæ secundo, & Micheæ quarto· De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem· Qui locus primum de terrestri Sion, deniq; de Ecclesia accipitur· Cæterum non nisi filijs Ecclesiæ fluunt, ideo ad illam properet quisquis ex Seruatoris fontibus aquas in gaudio haurire cupit·Esa·5·

Medium earum exit ad mare Orientale, quod mortuum uocatur, quòd in eo sint oĩa mortua: et medium ad mare nouißimum·Mare est mundus hic, sicut alibi probauimus·Porrò è mundo hi sunt in mari mortuo, in quo nihil uiuit: hi sunt qui nõ credũt·Mortui enĩ sunt corã domino oẽs increduli·Ad hos mox ubi perueniunt aquæ præscriptæ, ad quos solũ fide peruenũt, uiuificãtur· Nimirũ Ezec·47·

zec.47.oĩa ad quæ ueniũt, uiuificare dicũtur. Mediũ ergo istarum aquarum currit ad uiuificãdos incredulos, ad seruandas gentes.

Quod ad aliud medium spectat, currunt ad mare nouißimum, mare scilicet magnum, & ut dicto loco Ezechielis habes, sanant aquas eius. Fiunt enim dulces & potabiles. Quid amaritudo aquarum maris, nisi uniuersa huius mundi aduersa? Quæ mox ut aquæ præscriptæ fluunt, dulcorantur & non sentiuntur, immo omnis amaritudo tam longe fit, ut etiam in medio umbræ mortis, atq; etiam in ipsa morte sit dulcedo & pax, quæ omnem sensum exuperat, & quam mundus non capit.

Cum audis has aquas per medium diuidi, noli putare, quòd diuisæ sint aut seiunctæ, sed q̃ hac figura earum primi fructus designantur, nempe uiuificatio eorum, quæ mortua sunt, & omnis amaritudinis dulcoratio. Ergo illarum partitio significat uarium earum effectum, non diuersitatem & uarietatem earum. Semper enim sibijpsis simillimæ sunt, & semper unitæ. Nimirum unum uerbum, unus spiritus, una fides, unicum salutis medium in Ecclesia est, quæ aquis simillimis & nihil differentibus, ab uno fonte profluentibus designantur.

Exeunt autem in æstate & in hyeme, id est, perpetuo, q̃ nec calore siccentur, nec frigore constringantur, ut nõ raro aliæ aquæ. Quis enim poterit aquarum diuini huius æterniq; fontis cursum præpedire, ne fluant? Perpetuò ergo fluent & fluũt, quæ perpetuitas æstatis hyemisq; temporibus

temporibus ideo figurātur, q̃ hæ præcipua ſint anni tempora. Siquidem Autumnus & Ver non ſunt tam propria tempora, quàm ex æſtatis hyemiſq́; proprietatibus admixta & temperata. Per id ergo, q̃ ipſæ aquæ his primis temporibus fluere dicuntur, fluxus earum perpetuitas ſignificatur.

PARS SEXTA.

Et erit Dominus rex ſuper omnem terram. In die illa erit Dominus unus, & erit nomen eius unum.

POſteaquam aquæ uiuæ, quæ fluunt è noua illa Hieroſolyma, aquarũ dulcorarint amaritudinem, et mortua uiuificarint, ſicut prædiximus, omnes ex toto orbe qui earum fuerint experti ſuauitatem & efficaciam, adorabunt dominum, & profitebuntur gloriam eius, & erunt populus eius, & ipſe Deus *eorum. Sicq́;* Deus *in omni terra ſuper electis ſolus rex agnoſcetur, & nulli parebunt fidelium populi, niſi quatenus ipſi eorum regi deo gratum fore cognouerint. Tum erit rex & dominus unus,* Deus *& homo* IESVS *Chriſtus, quemadmodũ aperte habes* Ezech. 34. & 37.

Obſerua, quòd dominus IESVS *Chriſtus in plerisq́; locis Scripturæ prædicitur regnaturus in Sion. Pſalm. 2. in domo Iacob. Luc. 1. in montibus Iſraël. Ezech. 34. Hic autem dicitur, quòd ſit regnaturus ſuper omnem terram.*

Nec

Nec putandum est, diuersum esse, Christum regnare in Sion, & in omni terra, sed id est obseruandum, q̃ unum alterius expositio est, scilicet quòd hæc Sion est in tota terra, ubicunq; sunt qui uerbo ex animo fauent, in quibus dominus IESVS *Christus uere regnat & principatur. Igitur ubicunq; fit dei uerbo locus, ibi est Sion, domus Iacob, solium* Dauidis, *montes* Israël & Hierusalem, *id est*, Ec=*clesia sancta, & ibi dominus regnat.*

Et in omni terra, in sanctis, est nomen Dei *unum, unus de eo sensus, unumq́; iudicium, per unum spiritum ueritatis. In incredulis nomen* Domini *non est unum, sed uarium, quòd de eo uarie sentiant. Putant eum uelle coli iuxta figmenta hominum, coram idolis, uelle ut iustificemur ꝓpria iustitia, ut uiuamus & operemur cum meritorum nostrorum, quæ nulla sunt, fiducia. Sentiunt* Deum *uelle sectas, precularum numeros, uota ad* Diuos, *& alias abominationes, quæ apud Antichristos multiplicatæ sunt super numerum. Sicq́; faciunt* Deum *uarium, non uidentes cæci, quòd unus est illius sensus, una iustitia, una ueritas, unus sermo, una fides, & q̃ in his est perfectissima unitas, & nulla omnino diuersitas. Non est ergo nomen* Domini *in regno* Dei, *hoc est*, Ecclesia, *uarium, sed unũ: in Synagogis autem incredulorum maxime uarium est. Quidam putant hoc nomen* Domini *unum, esse aliquod uocabulum, quo cum sint nominaturi fideles in gloria. Nos contrà hac re nihil minus sentiendum arbitramur. Alioqui rediremus ad insaniam* Iudæorum *somniantium*

plurima

Plurima de quibusdam uocabulis seu nominibus Domini, *& similes efficeremur his, qui perperam docent nomen dei magnum & admirabile, esse hoc uocabulum,* IESVS. Neq; *illis subscribimus, qui dicunt, nomen illud summum* Domini, *esse Christum.* Etenim *si Christus ipse est* DEI *nomen, quod erit aliud nomen, de quo ipse Christus ait* Ioan. 17. Pater *manifestaui nomen tuum hominibus, quos de disti mihi?* Summa. Nomen Domini *est magna eius fama, q, scilicet est solus uere bonus, iustus, uerax, sanctus, misericors, sapiens, potẽs, & in quo est omnis perfectio, & q, nullus est* Deus *præter eum, nulliq; est fidendũ præterquam illi.* De hoc egimus Luc. 1. *ibi.* Et *uocabis nomen eius* I E S V M.

P A R S S E P T I M A.

Et reuertetur omnis terra usque ad desertũ, de colle Remmon ad Austrum Hierusalem. Et exaltabitur & habitabit in loco suo à porta Beniamin usque ad locum portæ prioris, usque ad portam angulorum, & à turre Hãnaneel usque ad torcularia regis.

TRia *hoc textu obseruabis.* Primo, *quòd dicitur, q, omnis terra reuertetur, non dubium quin ad* Dominum, *quæ prius erat ab eo auersa.* Quod *de omniũ terrarum electis intelligitur.* Ad *quorum conuersionem* oportet

oportet præscriptas aquas ad eos fluere. Neq; prius deficiet orbis, quàm in omnem terram ipsæ ueritatis aquæ cucurrerint. Mox autem ubi fluunt, uniuersi qui eis participant, uiuificantur & efficacissime mouentur, ut ad dominum reuertantur. Sed earum participes non sunt qui illis minime credunt, ideo nec reuerti poßunt ad dominũ, ad quem hi soli conuertuntur, qui suis eloquijs ex animo credunt. Reuertentur autem, nedum qui cultas inhabitant terras, sed etiam usq; ad desertum, hoc est, electi etiam in locis incultis & desertis habitantes, ad Dominum reuertentur: impossibile nanq; est, ex eis perire quenquam. Explicat autẽ in figura de colle Remmon, hoc est, de colle excelso, usq; ad plagam australem contra Hierusalem. Sensus est. Etiam ex montibus & collibus excelsis, electi ad Dominum conuertentur. Porrò dum quis ad Dominum reuertitur, eum non nisi in Hierusalem, id est, Ecclesia reperit. Iam si fide reuertimur ad Dominum, fide ad Ecclesiam uenimus. Nunc accipe horum summam, quòd ex omnibus terris cultis uel desertis, montibus aut uallib. electi congregabuntur in Ecclesiam Dei.

Secundo, ita undiq; multiplicatis & conuersis ad Dominum electis, exaltabitur admodum ipsa Hierusalem Ecclesia, & habitabit tum electorum quisq; in loco suo, id est in Ecclesia, fidelium ciuitate et loco, in quem perueniẽs fidelis, ait illud Psal. 22. In loco pascuæ ibi me collocauit.

Tertio, locus ipsius Hierusalem est à porta Beniamin &c. Impossibile est hunc locum intelligi, alioqui quàm

præcedentia

præcedẽtia, nempe figuratiue & secundum allegoriam. Neq; puto singula speciatim interpretanda, sed in summa colligendum scopum, nempe quòd Hierusalem Ecclesia, penè uastata & euersa ab Antichristis, sicut à capitis huius principio diximus, redeuntibus in eam undiq; electis, instauraretur & inhabitaretur. Confidimus autem, imò non dubitamus id gloriosissime adimplendum, cum Israel introierit in Ecclesiam ipsam, tametsi quotidie auctis credentibus, extruitur & inhabitatur. Idcirco autem præscripto sermone Ecclesiæ instauratio figuratur, quòd ipsa Hierusalem, quæ est ecclesiæ figura, plene instauraretur, si in uniuersis limitibus hic positis, esset ut olim ĩhabitata.

PARS OCTAVA.

Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius. Sed sedebit Hierusalem secura.

INhabitabitur à fidelibus ipsa Dei ciuitas, mira cum gloria, auctis filijs suis, & gentibus simulatque Iudæis cõuersis. Et non erit ultrà anathema, abiecta scilicet & dimissa captiua, ut sub Antichristorum manu tot sæculis fuit. Cadet enim magnum illud & abominabile regni eorum fastigium & non poterunt denuo captiuam facere ipsam Dei ciuitatem. Puto autem hic uelle spiritum sanctum, quòd similis abominatio desolationis & captiuitatis, non erit ubiq; in Ecclesia, posteaquam semel idẽ

regnum execrabile ceciderit. Nimirum tametsi tum erunt reprobi & carnales, & in illis sit futurum odium ueritatis, erit ueruntamen absque ullo dubio gloriosa DEI ciuitas semper uictoriosa. Et non æstimo, quòd pestis illa mortifera priscorum errorum sit reditura cum ea potentia qua hactenus fuit. Erunt quidem semper reliquiæ abominationis præscriptæ, & sensim augebitur impiorum multitudo, quos Scriptura Gog & Magog uocat, qui ultimis diebus consurgent in sanctos, prout DEO uolente in Ezechiele & Apocalypsi palàm faciemus.

Erit ergo ipsa Hierusalem sublimis, præclara & benedicta, non anathema, seruante eam DEO, protegenteque ab hostibus, & sedebit secura in fiducia diuinæ bonitatis & protectionis, ac meritorum CHRISTI, & in omnis propriæ iustitiæ diffidentia. Sedebit quieta uidelicet & pacifica erit, sicut alibi dicitur: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta, & in tabernaculis fiduciæ. Esaiæ trigesimo secundo. Magna ergo est fidelium pax in DOMINO, etiamsi externe ab hostibus DEI affligantur. Regnant enim etiam tum per maiestatem diuini spiritus, quod etiam sessione in Scripturis significatur. Ego confido id uerum esse, quòd tametsi multi sint excæcandi, nunquam ueruntamen poterit fieri, ut uerbum Domini denuo tam obtenebretur uniuersaliter, prout hactenus fuit. Oremus autem semper, ne in excæcandorum numero supputemur.

Pars

PARS NONA.

Et hęc erit plaga, qua percutiet Dominus oēs gentes, quæ pugnauerunt aduersus Hierusalem. Tabescet caro uniuscuiusq; stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.

Hactenus ab huius capitis initio uidimus, quàm mira gloria sit Dominus à captiuitate Antichristorum erepturus & adiuturus ciuitatem suam Ecclesiā: nunc ostendit, qua plaga sit omnes Antichristos percussurus, pro eo q; pugnauerunt aduersus Hierosolymam & afflixerunt eam, captiuitateq; durissima tot sæculis presserunt. Obserua autem plagas.

Prima est, q; tabescet caro uniuscuiusq; super pedes suos, hoc est, perdent omnem gloriam, omnesq; uires, & cadet omne illorum fastigium, omnes inuentiones, decreta, traditiones, quæ Carnis uocabulo capiuntur. Cum humiliabuntur & confundentur, alij in salutem, qui resipiscent: alij in æternum interitum, hi scilicet, qui non proinde ueritati adquiescent. Non stabunt ultrà ut prius, in Satanæ altitudine, in qua erant.

Secunda plaga, quòd eorum oculi contabescent, defluent & cadent à proprijs foraminibus. Quid est perdere omnino oculos, nisi absq; sensu & iudicio fieri? Sensus

d 2 est

est, tam confundentur, q mens, ratio & consilium discedent ab eis, & omnino nescient, quid sint facturi. Verum in electis atq; reprobis id differenter erit. Nam electi mox ut in eos fluxerint uiuæ Dei aquæ, abijcient & perdent uoluntarie proprios oculos suos, hoc est, proprium sensum ac iudicium, ut solius Christi spiritus, sensus atq; iudicium in eis regnent. Maledicent enim proprijs iudicijs, & illa abominabuntur quasi uenenum aspidum insanabile, quod semper mendax atq; fallax sit, quemadmodũ scriptum est: Omnis homo mendax. Psal. 115. Contrà reprobi, cum super eos irruerint mala & aduersa, quærẽt auxiliũ, & nõ reperient, neq; in eis erit consiliũ, quo liberi possint fieri de manu mali. Dum autem illis erit inutilis proprius sensus, & omne humanum iudicium, tum quasi eorum oculi contabescent, defluent & perdentur. Ceterũ electis, dum in aduersa inciderint, non erit sicut reprobis perditio & desperatio, quin potius mira pax & consolatio, per dictas uitæ aquas, nempe ueritatem Dei, ac sensum ac iudicium spiritus eius, quibus omnis tribulationũ amaritudo dulcoratur.

Tertia hostium Ecclesiæ plaga est, quòd eorum lingua contabescet in ore eorum. In his tribus plagis destruitur omne robur Antichristorum. Primo, dum exinanitur oĩs eorum gloria, & proprias uires amittunt, ut nihil minus quàm quod ante, possint, hora & potestate tenebrarum effluxa. Secundo, dum omnis mens, sensus & consilium fugit ab eis, & conteruntur omnes scientiæ & traditiões

eorum.

eorum. Tertio, dum eorum lingua in proprio ore deflu it, hoc est, perditur. Quid autẽ per linguam, nisi locutionem ac sermonem intelligimus? Insaniant impij, ut voluerint suis doctrinis dæmoniorum, certissime omnia desi ruentur in tempore, quod Deus ab æterno præfiniuit. Et nostro sæculo uidemus, q mendax sermo hostium Dei stare non potest, sed mox corruit coram impollutis, potentissimis ac semper inuictis sermonibus Domini. Ideo dũ nos ipsos offerimus ad disputandũ cum eis solo uerbo Dei, nolunt cæci nobiscũ congredi, sed modis omnibus refugiũt.

Et uidentes, q tabescit eorum lingua coram uiuacissimis eloquijs Domini, quæ sola asserere nitimur, ad id nituntur, ut mox extinguamur, & ut populis interdicatur, ne textus Bibliorum legañt, scientes, quòd hoc medio etiam plebeis, mulierculis, & pueris eorum insaniæ retegũtur. Sed agant miseri, agant in tempus secundum potestatem tenebrarum, quam acceperunt: Venient dies, uenient dico certissime, quibus tres hic positæ plagæ ueniẽt super eos. Veni Domine IESV, & dissipa has gentes pessimas, quæ bella uolunt.

Alia quoq; ratione tabescent in proprio ore linguæ eorum, cum scilicet senserint contra se ualidam manum altißimi, præsertim in morte, & in iudicio extremo. Tum enim stabunt iusti in magna constantia aduersum eos, qui se angustiauerũt, & uel nolentes per id una morte semel abstulerunt oẽs tristitias & labores eorũ, aut qui abstulerunt eorum labores, hoc est, diripuerunt ea, quæ proprio

labore conquisierant. Quod illi uidentes, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis electorum, dicentes intra se in cordibus suis, q lingua nō poterunt, pœnitentiā uerum impiam & non temporaneam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum &c. Sap. 5.

Hæc de reprobis diximus. Cæterum electi, qui seducti per impostores spiritus, factioni hostiū Dei aliquando subscripserunt, superueniētibus aquis uitæ & manu dei ualida, tabescit lingua ipsorū in ore eorū, uerū longe aliter q̃ in reprobis. Tabescit enim eorum lingua in hoc, ut nequaquā ultra quicquam proprio sensu loquātur, sed sola quæ conueniunt sensui spiritus domini IESV Christi. Et iam eorum lingua non est sua, sed Domini, qui per eos loqui dignatur. Mirabilis Deus in electis suis.

Quidam uoluere plagas hic positas secundum literæ faciem interpretari, de nonnullis tyrannis, quos dominus percußit, sed non congruit eiusmodi enarratio. Nā quod generaliter dicitur, aduersum omnes ueritatis hostes sic explanandum est, ut omnibus conueniat.

PARS DECIMA.

In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & appreh ndet uir manum proximi sui, & conferetur manus eius super manum proximi sui. Sed et Iudas pugnabit aduersus Hierusalem,

rusalem, & congregabuntur diuitiæ omniũ gentium in circuitu, aurum & argentum, et uestes multæ satis. Et sic erit ruina equi & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.

Hunc tumultum, uel ut Septuag. uerterunt, stuporem Domini magnum, quidam esse putant, quòd unusquisq; hostium contra sibi proximum surget & se mutua cæde truncabunt, ut in castris Madian. Iudi. 7. & in castris Philistijm. 1. Regum. 14. Sed si id uellet spiritus, non uidetur quòd hic haberetur: Apprehendet uir manum proximi sui, & conserentur manus, aut adhærebunt manui proximi. Fœdus quippe ista designant, non percussionem.

Ego æstimo, q̄ is est germanus huius loci sensus, q̄ Antichristi & hostes sanctorum ab impetu aquarum uitæ admodũ pauebunt & terrebuntur, celebrantes consilia, ineuntes fœdera, & ad id nitentes modis omnibus, ut supprimant uerbũ domini, & aßertores illius extinguãt. Quod quã uerũ sit, in cũctis ueritatis inimicis luce clarius appa ret. Sed cum omnibus eorum fœderibus miseri homines nihil proficient. Stupor domini, tumultus ac terror super eos decidit, ob sermonum eius potentiam, quibus uident omne robur carnis (cui soli annituntur) conteri. Timor eorum ueniet super eos, & cadent omninoq; disperdẽtur.

 Sed

Sed & domus Iuda pugnat cum gentibus aduersum Hierusalem. Domum Iuda ad literam intellige, & pro Iuda & pro toto Israële, qui donec in Dei populum denuo fuerit receptus, ueræ Hierosolymæ, nempe Ecclesiæ contradicet. Multi quoq; qui ad domum Iuda pertinent, nẽpe electi, antequam à Domino ab errore reuocentur, pugnant contra Hierusalem ipsam, qui mox ut Dei spiritu illustrantur, pro ipsa sacrosancta Dei ciuitate aduersum impiorum Synagogas præliantur, quod in compluribus, nunc uerbo Dei reuelato, conspicimus.

Porrò quotquot aduersum Dei Ecclesiam surgunt, ueniunt ad idem prælium cum auro, argento, diuitiarum et uestium copia, & cum mulis, equis, asinis, camelis, & iumentis omnibus, hoc est, cum omnium carnalium & terrenorum fiducia. Per has diuitias simul intellige inanẽ Philosophiam, superbam eloquentiam, linguarum curiositatem, & omnia etiam quæ à seipsis sunt alioqui bona, si ex fide & spiritu Domini, quibus increduli deo contempto fidunt, & in quibus gloriantur. Sed fieri non potest, ut non uincantur per uerbum Dei potentissimum, & terrendum iudicium Seruatoris nostri IESV Christi, qui in bello aduersum impios est fidelium rex & dux. Ideo omnium præscriptorum erit ruina, omnia cadent, & potestas, regnum ac uictoria, dabitur, uerum sub deo populo sanctorum ipsius altissimi. Dan. 7. Nimirum hi præliantur in solo Dei nomine: illi uero in equis, armis et curribus. Psalmo decemonono. Sed equus & omne car

nis

nis robur, est fallax ad salutem. Psal. trigesimosecundo.

PARS VNDECIMA.

Et omnes qui reliqui fuerint de uniuersis gẽtibus, quæ uenerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.

D*E festiuitate tabernaculorũ, habes* Leui. 23. Non *arbitreris autem, quòd* Deus *uelit, quæ hic ponuntur, denuo ad literam seruari à fidelibus, alioqui necessum foret, ut denuo legis ceremonijs constringeremur.* Legem *quoq; Christi, nulla alia est secutura, quod si denuo seruãdæ essent, ipsæ legis ceremoniæ, quid nisi lex alia Christum sequeretur?* Et *tum Christus, non esset finis & consummatio legis.*

Per *id ergo notum est, quæ hic ponuntur figuratiue poni, itidem locos omnes similes in* Prophetis, *in quibus agitur de instaurandis legitimis, quæ* Deus *in lege præceperat, ut sunt quæ habentur tota fermè ultima* Ezechielis *uisione.*

Igitur *hic dicitur, quòd omnes qui ex uniuersis gentibus incredulis, & pietatis hostibus reliqui fuerint, hoc est, quos sibi* Deus *reseruauerit in reliquias, & ad se conuerterit, nempe, electi, anniuersarie* Hierosolymã *ascen-*

dent, ut tabernaculorum festiuitatem celebrent. Quod ut facilius capiatur, tria sunt obseruãda, scilicet, quis annus iste, quid ascendere Hierosolymam, & quid celebrare festiuitatem tabernaculorum.

Primum ergo, ut aliâs diximus, diem pro anno scriptura nonnunquam, nonnunquam etiam contrarium intelligit. Et habet illa tempora sua, quæ sæpe aliter quàm nos capit, ut de diebus patet Eze. 4. et de hebdomadis. Danie. 9. Ego sentio & ita esse confido, quòd annus hoc loco iterationis perpetuitatem significet. Quid enim anni, nisi recursus temporum? Iteratio autem frequens atq; perpetua eiusdem rei, est illius quidam recursus, idcirco per annos aptissime figuratur.

Sed quid est secundum, hoc est ascendere in Ecclesiam ueram Hierosolymam? Profectò nihil aliud est quàm progredi semper ad meliora in ea. Rectè autem in eam dicimur ascendere, quòd electis perseuerantia necessaria sit, ut non pereant. In Ecclesia autem Dei, non pergere de uirtute aut fortitudine spiritus in fortitudinem, hoc est, nõ fieri indies seipso, fideliorem & constantiorem, quid nisi deficere est? Ascendit ergo Hierosolymam, qui sedulo pergit ad meliora, donec conspiciat Deum Deorum, in Sion. Psal. 83. Porrò quoties ascendit, hoc est, fide in Dominum erigitur, eum uidet in ipsa Sion, id est, Ecclesia, ad quam ascendit. Particeps enim fit maioris lucis spiritus, & purius Deum uidet.

Nunc tertium uideamus, nempe, quid sit tabernaculo-

rum

rum agere ſolennia · Ad hunc ſcrupulum reſpondent quidam, eos celebrare tabernaculorum diem, qui in Eccleſia ſunt, eo quòd Eccleſia tabernaculum quoddam ſit, et per tabernacula ſignificatur· Pſal· 83·et·117· Aut qui ſe agnoſcit peregrinum à Domino, quamdiu uiuit in carne, quæ perinde ac tabernaculum quoddam eſt · Ideo Paulus dicit tabernaculum ſuum, deponendum in proximo· Et iterum: uelox eſt depoſitio tabernaculi mei · Bona quidem ſunt hæc, ſed nullatenus puto ſpiritum ſanctum uelle quidquam horum, ex textu quem enarramus·

Quid igitur eſt, celebrare feſtiuum tabernaculorum diem? Vide ex Leuitico cap·23· quòd ideo iuſſerit Dominus hunc diem celebrari, quod poſteaquam eduxerat filios Iſraël de terra Aegypti, habitare fecit eos in deſerto, in tabernaculis, annis quadraginta, ſcilicet donec ad terram illis promiſſam peruenerunt· Memoriale ergo fuit diuinæ bonitatis, qua habitare fecit Iſraël in tabernaculis, & ſeruauit eos in tam uaſta ſolitudine, tot annis·

Nunc certum eſt, quòd Aegyptus figura eſt incredulorum, & captiuitatis, quæ eſt ſub peccatum, quemadmodum Iſraël fidelium · Terræ quoq; illis promiſſæ, & ad quas tandem peruenerunt, Eccleſiæ ſanctæ typum gerunt· Porrò mare itidem & deſertum, per quæ tranſierunt ex Aegypto in terras promiſſas, figura ſunt amaritudinum, quas indies in Eccleſiam aſcendentes, hoc eſt, uolentes ſemper ad meliora progredi, ab impijs & incredulis ſuſtinent·

Præterea

Præterea obserua, quod id quod Israëlitis fidelibus in ipsa uasta solitudine, in omni malorum amaritudine, Deus aderat & propitius erat, eruens eos misericorditer, figura fuit, Deum semper adesse fidelibus cunctis, in omni malo, sicut promisit. Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam & glorificabo eum.

Iam uero attẽdamus, quis celebret hos tabernaculorũ festiuos dies. Qui uere agnoscit, et toto corde ꝓfitetur, se Dei misericordia, liberũ factũ ab impiorum Synagogis, atq; à peccato, morte, et inferno, deductumq; in uerã promissionis terram, nempe, Ecclesiam, & transeuntem per maria ac deserta aduersitatum, & in eis in carne, quasi in tabernaculis habitantem, à Deo clementer seruatum, & à malis per dies singulos ereptum, is uere celebrat festiuitatem tabernaculorum. Summa, huius festiuitatis celebratio, est memoria fidelis & syncera, omnium quæ à Deo per Dominum IESVM Christũ suscepimus. Quia autem corpora nostra, tabernacula quædam sunt, idcirco dum quamdiu in mortali carne uiuimus, Dei beneficiorum, & nostræ per Christum liberationis, cum gratiarum actione memoramur, quasi in tabernaculis, quæ deponentur, festiuitatem agimus.

Porrò inter Israëlitas ipsam festiuitatem olim celebrantes, et nos aliquid differt, nempe, quòd illi in figura, & externe, nos in ueritate atq; interne, eos tabernaculorum dies agimus, tametsi quasi externe illos celebramus, dum etiam ore gratias ex fide agimus, & in Christi

nomine,

nomine, atq; ex fide uiuimus, & omnia facimus. Deniq; Israëlitæ, non celebrarunt hos dies in deserto, sed tantum posteaquam peruenerunt, in promißam illis terram, nos adhuc manentes in mari & deserto crucis, atq; amaritudinum huius sæculi, nos erutos à prioribus malis, spiritu agnoscimus & memoramur, confidentes in eum, qui nos à prioribus malis fecit liberos, quòd etiam in præsenti tribulatione nobis adsit, & nos ab ea sit tandem erepturus.

Eodem ergo tempore quasi in deserto ac mari sumus, in tabernaculis habitantes, & seruati à Domino, à malisq; uniuersis facti liberi, & simul tum per fidelem recordationem beneficiorum Dei, & gratias agendo toto spiritu pro ipsis, præscriptum diem festiuum celebramus, & id quidem in tabernaculis carnis nostræ, quorũ uelox depositio est.

Cæterum perfectissima & eadem sempiterna huius festiuitatis celebratio erit in gloria, cum Dei beneficiorũ memores, absq; ullo corruptibilis carnis impedimento, perfectissime ac in æternum erimus. Verum hæc perfecta celebratio erit tota in spiritu, quòd tabernaculum nostrum deponi haudquaquam tum ualebit, & in hoc minus exprimemus, quod ab Israëlitis fiebat in figura, in ea festiuitate. Faciebãt quippe sibi tabernacula ad dies tantum septem. Proinde id magis exprimimus, dum adhuc uiuentes in hoc mortali tabernaculo, Dei beneficiorum recordamur, tametsi scopus figuræ, nempe, ipsa recordatio,

datio, & gratiarum actio, in gloria perfectius absq; simi litudine erit. Beatus qui hanc tabernaculorum festiuitatem tum celebrabit.

His præmissis iam ad textum adcedamus. Omnes qui reliqui fuerint ex uniuersis gentibus, & incredulis, nempe, electi, qui antequam illustrarentur à Domino, cum impijs quibus adiuncti persequebantur Ecclesiam dei ueram Hierusalem, ab anno in annum, hoc est, sæpe ac perpetuo, ascendent in ipsam Ecclesiam, in ea scilicet manentes, semper ad meliora progredientur. Sed quæ est causa huius ascensus? Vt adorent, inquit, Regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum. Ergo duplex est causa, huius perpetui in Ecclesiam sanctam ascensus: Primus est adorare Dominum, & nullum præterea, illi soli fidere, & toto corde hærere. Secundus est Dei beneficiorum, quæ ab eo per Christum adcepimus, memorari & gratias agere, quamdiu in deponendo carnis tabernaculo sumus, sicq; interim agere tabernaculorum festiuitatem, donec eam perfectius in gloria celebremus. Hæc duo complectuntur uniuersa, ad quæ in Christi Ecclesiam ascendimus, hoc est, in ea pergimus, ut suprà dictum est.

PARS DVODECIMA.

Et erit qui non ascenderit de familijs terræ ad Hierusalem, ut adorét regem dominum exetci-

exercituum, nõ erit ſuper eos imber. Quod & ſi familia Aegypti non aſcenderit, & non uenerit, nec ſuper eos erit. Sed erit ruina qua percutiet dominus omnes gentes, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum. Hoc erit peccatum Aegypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

NE *putes rem leuiculam eſſe, quæ de tabernaculorum feſtiuitate dicta ſunt: nunc oſtendit eiuſdem feſtiuitatis neceſſitatem, & quid mali ſint paſſuri, qui eius cauſa* Hieroſolymam *aſcendere recuſant, & ait:* Et erit qui non aſcenderit &c. *Cum uides quòd oporteat omnes familias terræ aſcendere per annos ſingulos in* Hieruſalem, *agnoſce uerum eſſe, quod per ipſam* Hieruſalem *tota* Eccleſia *capiatur.* Impoßibile *namq; eſt, ut ex toto orbe in eandem ciuitatem, eodem die, & quolibet anno conueniant.* Q*uæ enim ciuitas, caperet tantam multitudinem?* Et *quomodo ex toto mundo, maxime ex diſtantiſſimis regionib. poſſent omnes uenire* Hieroſolymã?

Igitur *hæc erit pœna nolentium aſcendere* Hieroſolymam, *ad deum adorandum, ac celebrandum præſcriptũ diem.* Non *erit ſuper eos imber, uerbum ſcilicet dei, quem pluuia & imbre ſignificari, ſuprà cap. 10. in principio uiſum eſt. Super illis eſt uerbum, qui illud ſuſcipiunt, & illi credũt.*

credunt. Eodem quoq; imbre, Dei gratia, pax, ueritas, & uniuersa spiritus charismata capiuntur. Quod malum, hoc grauius esse posset? Etenim absq; hoc dei imbre, quid nisi maledictio, furor, sterilitas, nullus fructus, mendacium, cæcitas, & perditio est? Hæc est generalis sententia, non ascendentium. Quod si etiam sexcentos uerbi sancti ministros haberent, nõ eßet ueruntamen super eos ipsum uerbum, hoc est, non susciperetur ab eis, nec participes eßent charismatum spiritus IESV Christi. Hæc est grauißima illa ruina, & expauescenda maledictio, qua uniuersi increduli à Domino percutiuntur. Quid enim increduli, nisi gentes, nisi Aegyptij?

Obseruandum autem, quòd totus hic textus est maxime contra pseudocredentes, quia ad eos spectat, qui ingrati sunt domino, pro eo quòd liberauit eos ab Aegypto, & adnumerauit filijs Ecclesiæ. Apostatant enim à uerbo Domini, & uero cultu eius. Hi proprie sunt Antichristi & hypocritæ, qui secundũ eum modum, quem suprà spiritum sanctum uelle ostendimus, nolunt perpetuò ascendere Hierosolymam, ad adorandum Dominum, & celebrandum festiuos tabernaculorum dies. Veh non celebrantibus eos. Siquidem neq; in gloria eosdem celebrabunt, cũ sanctis & fidelibus.

Porrò tam magnum est hoc crimen, ut hoc solum apostatarum & Antichristorum scelus esse dicatur. Nimirum fons est omnium criminum. Quid enim, quòd nolunt ascendere Hierosolymam, id est, in Ecclesiam, ad Deum

adoran-

adorandum, & celebrandum prædictum diem, nisi quòd uolunt deficere ab Ecclesia, non Deum, sed alia adorare, deumq; negare, & obliuisci ac calcare beneficia eius? Diximus enim pauloante, quòd qui non ascendit in Ecclesiã, ab ea deficit. Et qui deum recusat adorare, nonne illum negat? Et quemadmodum celebrare dictam festiuitatem, est dei miserationũ esse memorem, ita nolle eam celebrare, est calcare miserationes eius, & de uniuersis ab eo acceptis esse ingratum. Hoc peccatum ante omnes perpetrant, qui dei spiritum blasphemant, qui scilicet posteaquam gustarunt delicias futuri sæculi, & bonum dei uerbum, ac participes facti sunt spiritus sancti, à ueritate, quam agnoscunt, apostatant. Quorum peccatum non remittetur in æternum. Matth. 12. Mar. 3. & Lucæ. 12. Nam fieri non potest, ut denuo per pœnitentiam renouentur, Hebræ. sexto.

Speciatim deniq; Aegypti meminit, quod nõ puto ob aliud esse, quàm quia uerbum, gratiam, & spiritum dei, adsimilarat pluuiæ seu imbri, terra autem Aegypti aquis plena est, et dicit se non daturũ imbrem, etiam Aegyptijs, & quòd nihil ueri fructus adferrent, quantumlibet aquis abundarent. Ac si dixißet: Nemo qui non ascenderit Hierosolymam, imbrium meorum erit particeps, & nihil proinde ueri fructus proferet, neq; etiam Aegyptij quantumlibet aquis abundent, quòd nullæ aquæ, præter aquas uitæ, aquas imbrium dei, ad fructus salutis æternæ producendos, sint efficaces.

Obserua quòd suprà, partibus nona & decima, prophetauit de plagis, & euersione regni Antichristorum. Sed quia ut suprà diximus, semper aliquæ ex eis reliquiæ, usq; ad sæculi consummationem supererunt, admixtæ fidelibus, contra easdem, hac parte duodecima specialiter prophetatur.

PARS XIII.

In illa die erit quod super frenum equi est, sanctum domino.

DE hoc freno, *primum quidem nihil minus putamus, quàm quòd hæc prophetia capiatur, de freno equi Constantini, in quo ferunt* Helenam *posuisse unum è clauis, quibus* Dominus IESVS *Christus, pro nobis confixus est. Quid enim si nō nisi fabula esset? quod ueruntamen nō adserimus.* Demum *quid freno illi, & festo tabernaculorum, de quo prius egit, & lebetibus* Iuda & Hierusalem, *de quibus mox aget?*

Deniq; *in Hebræo non est* Resen, *quod significat frenum, sed* Mezullot *uel* Mezillot, *quod significat equorū phaleras, aut illorum bellicum ornatum.* Cæterum, *nunquid* Deo *cura est de equis, ut* Paulus *de bobus ait.* 1. Corin. 9. *ut in tam insigni prophetia, de illorum phaleris & ornatu uoluerit haberi mentionem?* Ego *omnino non arbitror, equum de quo hic agitur, esse aliud quidpiam,*

ab his

ab his quos Deus *posuit, ut equum gloriæ suæ in bello, quod aduersum gentes suscitauit, suprà cap. 10. super quibus quasi super equo ille sedit, qui habet coronam in capite suo, & exiuit uincens, ut uinceret.* Apoc. 6. Hæc *est equitatio, quæ sola est salus.* Abac. 3. Vide *suprà de his equis cap. 10. quòd scilicet hi sunt, qui nomen* Domini *portant coram gentibus & populis, illis annunciantes ueritatem eius.*

Hi *habent timoris* Domini *suauissimum frenũ, fideiq́; ac fructuum illius, & omnium spiritus dei charismatum phaleras & ornatum, quæ omnia, non prophana, ut equorum brutorum phaleræ, sed sancta* Domino *sunt. Super his equis* Deus *sedet, dum pro* Hierosolyma, *id est,* Ecclesia, *aduersum incredulos &* Antichristos *præliatur, sicut ab huius capitis initio habes.* Ex *his phaleratis equis fuit, uas illud electionis, quod* Dominus *elegit, ut portaret nomen suum, coram gentibus, & tribubus, & filijs* Israël. Acto. *nono.* Beatus *est, quem* DOMINVS *in equum gloriæ suæ eligit, & suis phaleris adornare dignatur.*

Nunc *uide quàm bene conueniunt, quæ diximus, cum his quæ ante & post habentur, nempe, quòd* Dominus *insidens his phaleratis equis, præliatur in gentes, & uincit eas, uictis uero, iubet ut ueniant ad celebrandam præscriptam tabernaculorum festiuitatem, in* Hierusalem. Et *uenient multi &* Domino *offerent sacrificia, ut parte sequenti habetur.*

PARS XIIII.

Et erunt lebetes in domo domini quasi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Hierusalem, & in Iuda sanctificatus domino exercituum. Et uenient omnes immolantes & sument ex eis, & coquent in eis.

Lebetes non ænei, sed sicut phialæ, nempe, mundi, & preciosi, qui sunt in Iuda & Hierusalem, id est, in Ecclesia Domino sanctificata, sunt fidelium corda. Qui sunt coram altari Domini, hoc est, Domino IESV Christo, super quo solo, in cuius scilicet fide, sacrificia deo adcepta offerre ualemus. De hoc altari plenissime habes. Eze. 43. Vbi & de eodem, propitio illo quem figurat, agemus. Igitur coram altari isto CHRISTO, sunt hi sancti lebetes, illi uidelicet grati. Et omnes, qui ex gentibus immolare domino uoluerint, sumẽt ex his Iuda lebetibus, hoc est, fidele cor, abiecta incredulitate, à Deo recipient, & in eo coquent hostias suas. Quid est coquere hostias, in fideli corde, nisi operari ex fide? Sunt autem in hac coctione, lebes cordis fidelis, aqua uiua æternæ ueritatis, ignis diuini spiritus, & hostia quæ decoquitur, opus scilicet, quod secundum hæc operamur. De mundis fidelium hostijs habes. Mala. 1. & in Ezechielis ultima uisione.

Hæc

Hæc sunt sacrificia de quibus Psal. 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes (iustitiæ) holocausta (iustitiæ) tunc imponent super altare tuum (iustitiæ) uitulos. Iustitiæ intellige, non nostræ corruptißimæ, sed eius quæ est ex fide.

PARS XV.

Et non erit Chananęus ultra in domo domini exercituum, in die illo.

CHananæus negociator interpretatur, ideo Hieronymus uertit, pro Chananæo mercatorem. Ego magis puto dimittendum uocabulum Chananæus, & quòd non accipiatur pro negociatore, sed pro gente illa Chanaam, & uniuersis impijs, qui per eam figurantur. Nimirum si pro negociatore, hunc locum accipis, sensus non eßet conueniens, nempe, quòd nullus negociator, in domo Domini, id est, Ecclesia, neque saluus esse potest. Si enim non potest esse in Ecclesia, profecto non seruabitur. Verum est quòd in Ecclesia eße nequeunt impij negociatores, usurarij, raptores, auari, periuri, mendaces, sed si hæc omnia quis diligenter uitarit (quod fateor esse difficillimum) non uideo qua ratione eis salus eße nequeat.

Alia ergo ratione adcipitur Chananæus, nempe, sicut

Eze. 16. Radix tua & generatio tua, de terra Chanaam. Pater tuus Amorreus, & mater tua Cethea. Chananæus est, quisquis impietatem & incredulitatem gentis Chananeæ imitatur. Puto autem, imò ita est, quod alludit ei historiæ, qua Israëlitæ non purgarunt à Chananæis, terram illis datam, sicut illis iusserat Deus. Quod factum est illis in scandalum, & idololatriæ exemplum, propter quod ab angelo Domini increpantur. Iudi. 2.

Ait ergo: Et non erit ultrà Chananæus, hoc est, hostis sanctorũ, impius, incredulus, in domo Dei, nempe, Ecclesia, in die illo, cum scilicet uniuersæ gentes, ad tabernaculorum festiuitatem conuenerint in Hierusalem. Ac si diceret. Olim Chananæi erant in Iudæa & Hierosolymis, etiam cum filijs Israël, illis admixti, & terræ Israël quæ ob domum Domini eius esse dicebantur, ab eis nunquam purgatæ fuerunt, sed dies uenient, quibus in terra & domo Domini, nullus Chananæus & incredulus erit, sed soli fideles in ea erunt, non admixti impijs. Siquidem tametsi corpore sunt admixti impijs & apostatis, non sunt tamen eis in Ecclesia mixti, quòd ex ea neque in ea impius et incredulus quispiam sit. Spiritu quippe ac fide, est Ecclesiæ unio, cui nemo alioqui quàm fide miscetur. Miscentur quidem nunc impij, in terra uisibili, fidelium corporibus, sed interim propter incredulitatem, ab eisdem animo summe diuisi sunt, & ad illorum sacratissimam unionem, nisi crediderint, nunquam admittuntur.

Non enim dixit: Non erit ultrà in terra, sed in domo

*Domini. Nunquam enim fiet, ut increduli, non ſint cor=
pore admixti fidelibus, niſi in gloria, ad quam perue
nient ſoli electi. Quorum numero, nos ille ad=
ſcribere dignetur: Cui cum patre & ſpiritu
ſancto, eſt honor unus, eadem gloria,
idemq́; imperium, in ſæcula
ſæculorum,
Amen.*

*Commentariorum Franciſci Lamberti
Auenionen. in Zachariam
Prophetam,
Finis.*

COMMENTARIORVM FRANC. LAMB.

Auenionen. in Malachiam Prophetam,

PROLOGVS.

QVONIAM Malachi interpretatur angelus uel nuncius meus, putarunt quidam angelum missum à Domino, & in specie uisibili, prophetasse in Iuda, quæ hoc libro habentur. Hebræi & Hieronymus nonnullis moti coniecturis, Ezram sacerdotem esse dicunt, sed nulla in his certitudo. Ego neq; abnego fuisse angelum, quòd & in ualle flentium angelus Israëlitis prophetarit. Iudi. 2 neq; adsero itidem quòd fuerit Ezras, uel non. Id solum certum esse sentio & profiteor, quòd uerbum Domini sit, ab eo mißum per Malachi, id est, nuncium suum, siue angelũ, siue hominẽ. Quid enim frustra contendimus, super calamo scripturæ huius (siquidem ministri uerbi, calamus Domini sunt) ubi nihil certi adserere ualemus. Satis atq; abunde, ad fidelis confirmationem est, certum eße, quòd quæ hic habentur sint scribæ, nempe, Domini, scribentis uelociter. Psal. 44. etiam si ignoret, quo calamo eadem conscripserit.

Insigne autem est in hoc Propheta, siue homine siue

angelo,

angelo, q̃ mira efficacia, & palàm facit & damnat incredulorum ac carnalium studia siue affectus, qui omni Dei uerbo contradicunt, & dum per illud carpuntur aut damnantur, quærunt paßim excusationes in peccatis suis, qd' maxime facit in locis, ubi dicit: Et dixistis etc. Summa. Exprimit, quàm nitatur caro in spiritum domini, & ipse spiritus in carnem.

Porrò omnium iudicio missus fuit ipse Malachi post Aggeum & Zachariam. absoluto templi dei opere, quòd etiam si quis hunc uult esse Ezram, bene congruit. Nam templo extructo uenit Hierosolymam, ut ex priore Ezræ cap. 6. & 7. est uidere. Tum autem sacerdotes & filij Iuda complures nihil meliores facti, omnibus malis prioribus, fraudulenter, hoc est, sine spiritu & zelo gloriæ magni nominis Domini, perficiebant legitima eius. Proinde illis missus est Malachi, durus nuncius incredulis, credentibus uero desyderatissimus.

In eo deinde, q̃ populus ille etiam post tam multa DEI flagella, prodigia, liberationem mirificam à malis, in quæ inciderant, ac manum in cunctis potentißimam, in ceruicis duritie ac impietate permansit, erudimur, q̃ nullis malis, aut beneficijs, aut prodigijs, aut alijs quibusuis externis, carnales possunt meliores fieri, imò deteriores fiunt, q̃ omnia illis in malum cooperentur ob incredulitatē. Solius quippe Dei spiritus est, malos ab impietate reuocare.

EIVSDEM ARGV=mentum in eundem Prophetam.

MAlachias priore sui libri capite agit de electione Iacob, & reprobatione Esau. De impijs sacerdotibus, suis reprobis sacrificijs polluentibus nomẽ Domini: deq; munda electorum ex gentibus hostia, & q̄ increduli sacerdotes, & illorum sacrificia sint Deo abominabilia.

Cap. 2. maledicit dolosis, comminatur se maledicturũ impiorum benedictionibus: de pacto quod habuit cum Leui, & de ueri sacerdotis munere. Prophetat aduersum impios sacerdotes, & cunctos qui acceperãt mulieres alienigenas, proprijs abiectis. Reijcit eorum lachrymas & sacrificia, & ibidem alia insignia.

Cap. 3. De angelo misso ante faciem domini, & aduentum Domini in templum, & ibi de Christo præclara multa. Deinde multis argumentis eos carpit, & ad resipiscẽtiam commonefacit.

Cap. 4. De die Domini succensa, ut caminus, de ortu solis iustitiæ, de Heliæ aduentu, & præterea nonnulla præclara.

Incipit



INCIPIT MALACHIAS PROPHETA.

CAPVT PRIMVM.

Summarium capitis. Primum de electione Iacob, & reprobatione Esau. Secundo, de timore & honore Domini. Tertio, de reprobis sacrificijs sacerdotum polluentium nomen domini. Quarto, admonet eos ad resipiscentiam & misericordiam petendam. Quinto, de abiectione tam impiorum sacerdotum, quàm sacrificiorum eorundem. Sexto, de oblatione gentium munda, dum interim sacerdotes Iuda immundam offerebant. Septimo, quàm Deus cõtradicat his, qui excusant excusatiões in peccatis.

PARS PRIMA.

Onus uerbi Domini ad Israel in manu Malachi prophetæ. Dilexi uós, dicit Dominus. Et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater Esau Iacob? dicit Dominus. Et dilexi Iacob, Esau autem odio habui.

De

De eo quòd sermo Dei onus uocatur, abunde scripsimus in principio Nahum prophetæ, ideo nihil hoc loco de ea re adijcere uoluimus. De nomine quoq; Prophetæ egimus in præfatione, seu prologo. Superest iam, ut uideamus, quod sit onus sermonis Domini, quod est carnalibus & incredulis onerosissimum. Dicit Dominus Israëli, id est, regno Iudæ, quod euersis decē tribubus, translatisq́; in Aßyrios. 4. Regum. 17. etiam Israël uocabatur. Dilexi uos. Porrò quia is qui uere diligit, suam dilectionem beneficijs ostendit, idcirco impij et carnales ex Israël uere cæci, & non uidentes, quàm admirabilia illis contulerit Deus, præ nationibus cunctis uniuersæ terræ: paruiq́; ducentes omnia, quæ illis contulerat, dicere non expauerunt aduersus Dominum, quasi illum mendacij arguentes, pro eo quòd dixerat: Dilexi uos. In quo, aiunt, dilexisti nos? Quod uerbum quid aliud est quàm si dixissent: Non uidemus signa dilectionis, quam dicis te habere erga nos. Et sermo tuus non habet ueritatem, nec dilexisti, sed magis odisti nos. Sic uere etiam nostro sæculo respondent pseudofideles ipsi Deo in proprijs cordibus, nihili ducentes uerbum, gratiam, & spiritum eius, quòd horum sublimitatem per cæcitatis nimiæ tenebras non uideant, nec agnoscant se quæcūq; habent, à deo recepiße, & quicquid sunt & uiuunt, à Dei manu pendere. Impoßibile nanq; est, ut ineffabilem altissimi dilectionem caro intelligat.

Dignatur autem dominus efficacißima ratione notam

facere

facere suam erga Israëlem dilectionem. Nonne, inquit, frater (erat) Esau Iacob, dicit Dominus? Et Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sensus est: Meam erga uos dilectionem per id maxime agnoscere deberetis, quod ex filijs Isaac dilecti mei non elegi mihi in populum, Esau & filios suos, sed Iacob patrem uestrum, & domum eius usque in æternum. Sed quare hunc elegit, illum uero reprobauit? Etenim simul & electio & reprobatio fuere æterna, & antequam boni & mali quicquam egissent. Certe id non fuit ex operibus, neq;, ut quidam scribit (profecto inconsulte) ex præuisis bonis meritis Iacob, & malis meritis Esau, sed ex uocante atq; reprobante Deo, ut aperte docet Paulus Roman. 9.

Porrò in eo quòd dicit, se dilexisse Israëlem, Esau uero seu Idumæos odio habuisse, uult intelligi, quod Israëlem elegerit in populum, ex quo nasceretur Christus,, crediderit sibi eloquia sua, iudiciáque manifestarit, seruarit & auxerit in Aegypto, ex eáq; liberum fecerit, & duxerit in terram lacte & melle fluentem, eos in deserto pauerit, & alia innumera eis fecerit, quæ nõ fecit Esau, & filijs eius, quinpotius illos euertit. Vnde & subdit:

Et posui montes eius in solitudinem, & hęreditatem eius in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt, hæc dicit dominus exercituum. Isti ædificabunt, & ego destruam. Et uocabuntur termini impietatis,

tatis, & populus, cui iratus est Dominus, usque in æternum, & oculi uestri uidebunt, & uos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel.

Hic duo habes. Primo, desertionem regionis Idumæorum factam per Nabuchodonosor. Secundo, quod si fuerit ab eis instaurata, denuoque extructa, quæ destructa erant, prænunciat se quæcunque restaurarint, denuo euersurum. De Idumæis plura diximus apud Abdiam. Summa huius loci est: Necesse est tandem Idumæorum deficere populum, ut non sit in fastigio & gloria, in qua est, & Israëli, qui nunquam deficiet, subijciatur, quod non speramus futurum, nisi sicut in Abdia legimus, nempe quòd domus Israël erit ignis, & domus Esau, stipula, scilicet quod Israël ignitis sermonibus præliabitur aduersum Esau, id est, Idumæos, & uincet eos, ita ut suscipiant fidem, verbumque ipsum ignitum, & in semine Abrahæ ueroque Israële sint connumerandi: Quod impletum est in Apostolis, per quos Deus Idumæos gentesque conuertit. Confidimus autem id perfectius implendum, contrito Antichristi cornu, siue regno, ac Israële ad Dominum uere conuerso. Quod uidebunt Israëlitæ, & magnificabunt Deum, agnoscentesque, quàm sancta, admirabilis & gloriosa sit uictoria, qua Idumæi & gentes uincuntur, & uniuntur Israëli, dicent: Magnificetur Dominus super terminum Israëlis. Sensus est: Dominus adaugeat terminos Israëlis, multiplicando fideles, qui sunt ueri Israëlitæ, in quibus nomen suum magnificetur.

In eo quòd Dominus dicit, se euersurum & destructurum, quæ Idumæi ædificarent, argumentum locumq́; insignem habes, ad probandum, q̄ eorum quos Deus reprobat, studia, & conatus nequeunt diebus multis prosperari & permanere, quòd illorum aduersarius sit Deus, quē spernunt. Deus enim superbis resistit.

Habes quoq; hic locum memorabilem, hic dico, in hac tota primi capitis parte de Prædestinatione, q̄ scilicet sit æterna, gratuita, ab eo solo pendens. Ab eo quoq; solo pēdet et rep̄batio, & contra utramq; nemo anniti potest. Facit quoq; isdem locus contra p̄pria merita. Si enim quos præsciuit (iuxta Paulū Ro. 8.) hos uocauit, & quos uocat, eosdem iustificat, iustificatos autem glorificabit secundum prædefinitionem suam æternam, immutabileq́; propositum, ubi sunt merita? Nam si iuxta & propter ipsū Dei propositum est gratia & salus, profectò non ex operibus aut meritis est. Porrò electi solis Christi meritis ab æterno præuisis, sunt prædestinati, quæ quia impij calcāt & aliam iustitiam, aliúdue salutis medium quærūt, æquissimo Dei iudicio reprobantur. Si quid latius de hac re desyderas, lege Paulum Ro. 8. 9. & 11.

PARS S SECVNDA.

Filius honorat patrem, & seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si dominus ego sum, ubi est timor

meus

meus, dicit dominus exercituum.

EX prædestinatione & uocatione, atq; electione seminis Iacob ostendit, quàm multum eos dilexerit, & quidem plus & syncerius quàm patrum quispiam filium proprium. Et uere fuit illis pater uerus, & plus quàm pater. Quia uero assumpsit eos in populū, qui eum secundum uerbum suum coleret, & illi seruiret, ideo eorum Deus & dominus erat. Proinde ab eis exigebat, quæ illi ut patri optimo, & domino clementissimo reddere debebant, nempe honorem & timorem.

Hi sunt fructus, quos ut in parabola habes, Matth. 21. Mar. 12. & Lu. 20. missis seruis suis Prophetis, ab eis quasi à uineæ suæ cultoribus exigebat, quos illi reddere nolebant. Propter quod à Domino increpantur. Filius, inquit, honorat patrem, & seruus dominum suum. Qu d. Et uos qui pro filijs & seruis meis haberi uultis, per dies singulos multis modis inhonoratis me. Vnde & ait: Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus, ubi est timor meus? Ac si diceret: Hæc mihi debetis, cur ea non redditis?

Quidam sic dicunt intelligendum, q honor illi reddēdus est quasi patri, timor quasi domino. Quibus respondemus, uerum quidem esse, utrumq; ueruntamen eidem reddendum est quasi patri, itidem quasi Domino. Nimirum & patres & domini honorandi ac timendi sunt. Alioqui suprà non dixisset: Filius honorat patrem, & seruus dominum suum.

Iam expendamus, quo honore, quóue timore uelit Deus honorari ac timeri à nobis: Et primum quidem de honore, id obseruandum, à domino parui duci eũ honorem, qui ab extrà est (si tamen honor dici meretur honorantis testimoniũ coram hominibus, q̃ scilicet deũ magnificiat) nisi quatenus ex fide procedet. Siquidem in fidei puritate sita est tota uis honoris diuini. Qui enim uere credit in Dominum, fidit illi, nihil dubitat de omnibus uerbis eius. Tribuit illi soli sapientiam, ueritatem, iustitiam, uirtutem & omne bonum. Quæ faciens, uere honorificat Deum. Cæterum ad honorem externum spectant lingua, opera, ceremoniæ, gestus. Lingua, inquã, prædicatio scilicet uerbi: opera, nempe ieiunia, preces, eleemosynæ, & alia id genus: ceremoniæ, ut quæ seruantur in templis (si tamen nomen tẽpli cõpetat lapideis tabernaculis à deo neutiq̃ institutis) Gestus, ut genuflexio, capitis nudatio, & similia, quæ omnia si non sunt ex fide, nihil aliud sunt, quàm hypocrisis, iniquitas, mendacium.

Primum ergo illum, internum, uerũ, perfectumq́; honorem à nobis exigit Deus, secundũ uero neutiquam, nisi quatenus ipse iussit, & ex fide, ut ꝓfiteri Christũ corã hominibus, uerbũ eius syncere nunciare, dũ te mittit: dare eleemosynã indigenti, & illi gratificari dei caussa, et sic de alijs, quæ necessaria esse nemo sanæ mẽtis ignorat. Quòd si qd externi cultus, præter ea quæ ab eo iußa sũt, deo nõ nunq̃ exhibendũ est, docebit unctio fidelẽ. Id tantũ uiderit q̃ nihil faciat non ex fide, aut quod uetuerit Dominus.

De timore aliâs sæpe diximus, ideo paucis nunc agemus. Timores duo sunt, nempe sanctus, & impius seu prophanus, de timore Domini intellige, quòd de hominum timore non sit hic locus, in quo de eo loqui oporteat. Timor Domini prophanus & impius est is, qui Dei sermonibus neutiquam congruit: in summa, omnis timor qui non est ex fide, ut dum quis agit nonnulla, ut non puniatur, & terrore maledictionis diuinæ. Porrò is timor non est in Dei uera dilectione, quòd nimirum non cum timore, sed cum multa fiducia agat, qui Deum diligit ex toto corde, & in ueritate. Is est timor hypocritarum & gẽtium siue incredulorum.

At sanctus & preciosus ille Domini timor ab hoc est omnino diuersus. Non enim timet uerus fidelis mala, quæ Dominus immittit, sed ipsum Dominum ex fide & in ueritate. Nam mala ipsa sustinere non abnuit, si ita bonum uisum fuerit in oculis Domini, id tantum uolens, & ad id toto animo tendens, ut à domino neutiquã diuidatur. Vide autem rationem huius ueri timoris, & eum metire ex fide, à qua procedit. Fides scit deum uerum, potentem, sapientem, iustũ, sanctum & perfectũ ex se, & solũ quidem. Proinde scit & profitetur, ꝙ ab eo sit auxilium; ꝙ ei soli fidendum, ꝙ omnia ab eo sint, & ꝙ pro omnibus gloria sit ei reddenda. Quæ dum sunt perfecte in corde fidelis, nihil est sub cœlo, quod magis timeat, quàm istorum diuersum sentire aut facere, nempe quòd sibijpsi aut alij cuipiam debeatur, quod nemini debetur, præterquã Deo.

Hoc

Hoc etenim rapina admodum execrabilis. Proprie *is timor est, quod fidelis expauescit & contremiscit, timens. ne quicquam eorum, quae ad Deum spectant, per incredulitatem subripiat, & sibi aut alijs tribuat.*

PARS TERTIA.

Ad uos ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Et dixistis: In quo despeximus nomé tuum? Offertis super altare meum panem pollutum. Et dicitis: In quo polluimus te? In eo q̃ dicitis: Mensa domini despecta est.

D*iximus in prologo, huic* Prophet*æ esse proprium, ut spiritus* Domini *contra carnem, & carnis contra ipsum spiritum affectus exprimat, dum dicit:* Et *dixistis & c.* Incipit *à sacerdotibus, ut ostendat, quàm nihil timuerint, & honorarint nomen suum.* Ad uos, *inquit, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Sacerdotes legis alloquebatur, sed ad pseudofideles cunctos nunc dirigitur hic sermo secundum allegoriam, q̃ per* Christum *sint in sacerdotes consecrati, & obliti miserationum dei, magnum eius nomen despiciunt, quos oportuerat impollutas* Deo *offerre uictimas, cum timore ac tremore summi nominis eius.* Legis *ergo sacerdotibus ait :* Ad *uos, supple, est primum sermo meus, qui despicitis, calcatis, & inhonoratis nomen meum, non credendo uerbis meis,*

& legem meam neutiquam seruando. Qui interim non agnoscitis peccatum uestrum, sed pro innocentibus uultis haberi, & quasi non uerum esset, quòd spreuistis nomen meum, dixistis mihi: In quo despeximus nomen tuum? Sed in hoc despexistis me, quòd offertis super altare meũ panem pollutum, scilicet paratum aut alioqui conquisitũ, seu oblatum, quàm lex uelit. Leui. 24. Quæ facientes, nihilominus pro integerrimis uoluntatis meæ obseruatoribus uultis haberi, & dicitis: In quo polluimus te? Sed in hoc cæci maxime polluistis mensam meam, quòd dicitis eã esse despectam, hoc est, in corde uestro despicitis eam, & pro nihilo habetis quemcunq; panem super eam ponere.

Diximus secundum allegoriam, quæ huic loco maxime cõgruit, per sacerdotes istos, hypocritas & falsos fratres designari, hos præsertim quibus incumbit ministeriũ uerbi Dei. Quemadmoum enim pijs legis sacerdotibus ueri fideles, ita reprobis sacerdotibus falsi fideles capiuntur. Qui tum panem pollutum in mensa Domini offerunt, cum hominum figmenta, traditiones, & decreta eloquijs sanctis admiscent. Quid enim sunt ipsa eloquia, nisi mensa Dei? Hinc Psal. 22. Posuisti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Et Psal. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. Quæ mensa, teste Paulo, Dei Scriptura est. Hanc calcant, floccipendunt & polluunt suis mẽdacijs Antichristi, interim nihilominus abnegant se pollutum quippiam admittere, quibus nihil sub cælo abominabilius

bilius est. Qui uel omnium maxime in hoc magnum Dei nomen, quantum in eis est, contaminant, cum admirabilibus et sacratißimis testimonijs, id est, sermonibus eius, tā parum deferunt, ut quiduis illis miscendum putent.

Ex hoc iam facile conijcere uales, qui ueri sint, quiue falsi Domini sacerdotes, aut ministri uerbi: Nimirum hi fideles & ueri sunt, quibus præscripta Dei mensa est admirabilis, sancta, præclara, incontaminata & preciosissima, summoq; decori: ideoq; dum illam populis fidelium præparant, nihil super eam offerunt, nihil illi admiscent, præterquam quod eius gloriæ maxime competit. Contrà pseudosacerdotes, falsiue prophetæ, quia eiusdem mensæ gloriam, precium, magnitudinem, & sanctitatem nesciunt, eam prophanare & contaminare nihil expauescunt, & haud secus illam habent, ac si hominum inuentum, aut aliud quiddam pollutum esset.

Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum.

In sacrificijs legis, duplici modo error contingere poterat. Primo, in ministri macula, uidelicet si maculam habebat sacerdos, qui ministrabat. Nimirum nulli maculā habenti licebat aut panem aut aliud quicquam Domino offerre uel sacrificare, ut liquet Leu. 21. Secundo, in rebus immolatis seu oblatis, ut si panis cū fermento, aut animal

 claudum

claudum, cæcum, seu alioqui uicium habens, quæ interdice bantur. Leui. 2. 7. & 22. Contra uero has Dei leges sacer dotes non raro faciebant, propter quod hic à Domino re prehenduntur, & abijciendi in sequentibus prædicũtur.

Vbi obserua, q̃ à nobis exigat Deus uerbũ suum. Obserua itidẽ, quã sit zelaturus oportune ꝑ sacratissima elo quiorũ suorum mensa, aduersum oẽs qui illã suis menda cijs cõspurcãt Si enĩ ꝑ mẽsa illa tẽpli lapidei, cuius usũ ces sare oportuit, & ꝑ sacrificijs illis externis mox desituris tã zelans fuit, q̃ putas eũ plus in immensum zelaturum ꝑ æternis sermonibus ueritatis suæ, aduersum uniuersos an tichristos eiusdem ueritatis adiuratissimos hostes, qui no lunt impollutum ueræ fidei deo offerri sacrificiũ, aut mũ dissima iustitiæ quæ est ex fide, holocausta, uitulos & ho stias domino immolari, sed annituntur ut omnia secundũ propria inuenta mendacijs plena à nobis fiant, & pollu tißima quasi pannus menstruatæ, nostrorum operũ sacri ficia, docent nos domino offerre, asserentes q; per ea iusti ficari ualeamus.

Quid est autẽ, q; dominus uidetur ex hoc loco tam multũ exigere externorum sacrificiorum mundiciem, cum di cat Psal. 49: Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos? Et paucis interiectis: Nunquid mã ducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum pota bo? Respon. q; Deus non exegit ipsa sacrificia, ut exter num quiddam erant, sed uerbum suum exigebat ex ipsis sacrificijs, atq; etiam fidem, ut scilicet non coacte, quasi

ex obligatione legis, & timore maledictionũ eius, sed ut uoluntarie & magna fide, animoq; promptissimo ea facerent, quia sic tum in figuram agendum, uisum fuit illi, cuius uoluntati omnia subsunt, & cuius decreto omnes parere debent. Exigebat ergo etiam tum ab eis, dum sacrificarent, externa illa iustitiæ, quæ est ex fide, sacrificia, oblationes, holocausta, & uitulos, non minus quã nunc. Exigebat puram obedientiam in uerbum suum, quam & nunc exigit, & idem faciet in sæcula. Litera quædam erant ipsa sacrificia, quæ sine spiritu & fide mortifera erant. Neq; minus ab eis exigebat ipsum spiritum, quàm à nobis. Deniq; ab eis neutiquam ob aliud exegit ipsam sacrificiorum literam, seu carnem, quàm propter spiritum & fidem ac iustitiam eius. Cæterum nos illis in hoc liberiores per CHRISTVM sumus, q non iam à nobis eorundem sacrificiorum litera exigitur, sed spiritus solus. Et pro externis illis sacrificijs habemus sacrificia non iam à lege posita, sed ad quæ spiritus regnans in cordibus fidelium, efficacissime, & magna libertate mouet, ut sunt abnegatio suijpsius, crucifixio ueteris hominis, omnia ex fide operari, proximis inseruire, & id genus cuncta, si tamen alia sunt, quæ his non comprehendantur, quæ etiam in sanctis olim sub lege erant. Qui dum ad carnea illa sacrificia properarent, profecto id erat non propter literam, sed propter spiritum, quem solum agnoscebant à Deo summe requiri.

Nemo etiam fidelium putet, in sacrificijs operũ, quæ sunt ex fide, à nobis requiri opus externum, propter seipsum, sed fidem in eo. Ad id enim exigit opus, ut fidem factis exprimamus, ideo fidem summe ubiq; exigit, quæ sola ei placet. Hinc dicitur Hier. 5. Domine oculi tui respiciunt fidem. Sensus est: Fides tibi placet. Proinde ipsi fideles nunquam absq; operibus sunt, quòd in eis fides sit, per sibi induiduam comitem charitatẽ, efficacissima, & semper in proximorum bonum & utilitatem latissima ac effusissima. Verum neq; eleemosynis, neq; ullis omnino operibus fidunt, aut credunt se per ea iustificari posse. Ideo semper humiles sunt, quòd nullis externis inflentur, dum illis nihil tribuunt. Seruant præcepta omnia, sed cũ omnium operum diffidentia, scientes quòd soli fidei sit iustificatio tribuenda. Dant eleemosynam, docent, iuuantq; modis omnibus proximos, orant, uigilant, sobrij uiuũt, & semper ex fide benefaciunt, etiam dum manducãt & bibunt, & sciunt tum omnia illis munda esse, uerum non ex ipsis operibus, sed ex fide. Sic Daniel cum suasit Nabuchodonosor, Dani. 4. ut peccata eleemosynis redimeret, non fuit usq; adeo cæcus, ut putaret externis illis peccata dimitti, sed uoluit ut impius rex timeret Dominum, & ex fiducia bonitatis eius se pauperibus misericordem exhiberet. Unde & adiecit: Forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Quasi d. Suadeo quidem tibi, ut misericors sis, & pauperibus eleemosynam tribuas, uerum quia scio, ea minime futura Deo accepta, nisi fuerint ex fide, neq; per ea

sed

ſed per fidem peccata dimitti, ideo ſub conditione, forſitan dixi, certum te faciens, quòd ſi ex fide magni dei nominis, eleemoſynas fueris largitus, peccatorum miſericordiam conſequeris, alioqui nunquam.

Non eſt deinde prætereundum, ex hoc Prophetæ loco, quod poſteaquam Dominus oſtendit, ſacrificia à ſacerdotibus oblata contaminata eſſe, ſubiunxit: Offer illud duci tuo &c. Si homini haudquaquam ſunt grata, quæ non ſunt impolluta, multo magis de me iudicare debetis, quòd maxime uelim, quæ ſine macula ſunt. En (dicet quiſpiã, literæ ſeu carnis, et nõ ſpiritus aduocatus) quòd Dominus ex hac ſimilitudine, aperte docet, ꝙ ſi animalia quæ offerebantur, non fuiſſent languida, clauda, cæca, aut alioqui maculoſa, illi adcepta fuiſſent. Quibus dicimus, quòd nõ fuiſſent adcepta, imò execrabilia, ſine ſpiritu & fide. Cæterum per id uoluit oſtendere, quòd ſi uera fides in eis fuiſſet, nihil ei obtuliſſent, niſi ſecundum legem ab eo poſitam, & tum ſicut ſcripta erat externe ſeruãdam, ſed quia increduli, & rebelles erant, pro nihilo habuerunt, offerre ſacrificia polluta, ſuper altari & in templo Domini, contra manifeſtiſſimas leges eius. Signum ergo manifeſtiſſimum incredulitatis eorum fuit, quòd ei ſacrificabant contra uerbum eius. Quocunq; enim tempore hoc eſt uerum, quòd tranſgreſſio uoluntaria, & contemptus eloquiorum Dei, infidelis animi ſignũ certiſſimum eſt.

PARS QVARTA.

Et nunc deprecamini uultum Dei ut miſereatur ueſtri, de manu enim ueſtra factum eſt hoc, ſi quo modo ſuſcipiat facies ueſtras dicit dominus exercituum.

Dignatus fuit ipſe Dominus *eos adhortari, ut ipſum deprecarentur. Verbum quippe ſuum eſt hoc:* Et *nunc deprecamini &c. In quo uide quàm miſericors ſit, qui ſibi contradicentes ad ſe precandū ſolicitat.* Non *enim uult abnegare miſericordiam, qui impios, ad eam conſequendam, & à ſe petendam uocat.* Dei *ergo pronitas, ad miſericordiam, ex hoc loco & ſimilibus deſignatur. Nimirum qui in omnibus uerbis ſuis fidelißimus eſt, nunquam iuberet, ut eum pro miſericordia precaremur, niſi eandē fideliter orantib. exhibere uellet.*

Inculcat autem illis peccatum eorum, dicens, de manu enim ueſtra factum eſt hoc. Etenim *nemo poteſt peccatorum miſericordiam conſequi, niſi prius uere & ſine ulla fictione ſe peccatorem agnoſcat.*

Porrò *quod adijcit: Si quo modo ſuſcipiat facies ueſtras, hoc eſt, uos exaudiat, nō eſt dubia miſericordiæ promiſſio, nec oſtendit uarios eſſe modos, diuinæ miſerationis conſequendæ, ſed indicat uarietatem eorum, quos ad orandum cōmonefaciebat, è quibus fideles miſericordiam fide conſecuti ſunt, increduli uero minime, quod ſola fides diuinæ miſerationis conſequendæ modus ſit.*

Den*iq; phraſis quædam eſt: Si quo modo &c. qua ue-*

lentes

lentes aliquos adiuuare, & illos ad meliora prouocare, uti consueuerunt.

Quis est in uobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?

Carpit illorũ auaritiam, quòd scilicet, ea sola, ad templi eius ministeria ducerentur, pari omnino insania, qua uniuersi ferme, qui sub Antichristorum abominabili imperio & schismate, spirituales & Ecclesiastici adpellati sunt. Dominus conterat & eliminet ab Ecclesia sua, hos sanguisugas, terrenis nunquam saturos, sed semper clamantes: Adfer adfer.

At non ita ueri Ecclesiæ ministri. Quia enim gratis quæ ad Christi regnum spectant, à Domino adceperunt, eadem gratis fratribus dispensant, ut uerbũ Dei. Verum qui non habent alioqui, quo alantur, ab his quibus ipsum uerbum annunciant, cum eorum familia sunt nutriendi. Viderint autem, & probent cor suum, nec propter alimentum, ipsum uerbũ administrent. Quærant ali in ipso ministerio, ne deficiant in labore, sed nihil pro eius ministerij precio adcipiant.

PARS QVINTA.

Non est mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra.

Adferun

ADſerunt nonnulli, hic reprobari legis ſacrificia, quare nihil minus putamus, imò neq; bene conſentit. Etenim non ipſa ſacrificia, propter ſe, ſed propter incredulitatem ſacerdotum hic damnātur, quòd ſcilicet non ex fide, ac ſecundū legem ſacrificarēt. Quemadmodum enim, iuſtorū ſacrificia fide ſola adcepta erāt Domino, ita impiorum uictimæ ob incredulitatem, Deo erant abominabiles. Nimirum fides omnia Deo grata facit, incredulitas uero ingrata. Ob id reprobantur impiorum ex Iſraël uictimæ. Eſa. 1. Hiere. 6. & Amos. 5.

Igitur non reprobantur hic legis ſacrificia, ſed impij ac increduli ſacerdotes, cum muneribus eorum. Vbi obſerua textus ordinem, in quo primo illi reprobantur, deinde munera. Prius enim in gratia aut odio eſt perſona, deinde munera. Hinc dicitur, Gene. 4. de Abel & Cayn. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius (primum enim placuit ipſe, deinde munera eius) ad Cayn uero, & ad munera eius, non reſpexit. Reſpicere eſt gratum habere: non reſpicere uero, odire. Sic de ſacerdotibus illis impijs loquitur Dominus: Non eſt mihi uoluntas in uobis, hoc eſt, nō diligo uos, nō mihi placetis. Et munus aut quod uis ſacrificium, non ſuſcipiam, hoc eſt, non erit mihi adceptum, de manu ueſtra, ſcilicet à uobis.

PARS SEXTA.

Ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum, magnū

eſt no-

est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Et uos polluistis illud in eo quod dicitis, mensa domini contaminata est, & quod superponitur, cõtemptibile est cum igne qui illud deuorat.

MIror quomodo à multis sæculis tam insanitum fuerit, ut hunc textum de Eucharistia *adceperint, dicentes, quòd sit sacrificium fidelium, quod in toto orbe offertur. Sed tam stupida est ista adsertio, ut eam putem indignam omni responsione.* Nam *quòd non sit sacrificium, nemo ignorat, nisi qui in spiritu errorum* Antichristianæ *factionis, adhuc ambulat.* Qui *proinde è sancta* Christi *mensa fecere sacrificium, ut eo medio quasi efficacissima cautela, & incomparabili impostura, uniuersam fidelium substantiam deprædarentur.* Absit *ergo ut huic plusquam insaniæ ullatenus subscribamus.*

Alijs *autem uisum est aliud, nempe, quòd de gentium quæ tum erant sacrificijs* Deo *oblatis, capiatur.* Aiunt *enim, quòd tametsi* Deos *suos colebant, ueruntamen simul & super omnes,* Deum *uiuum & uerum proprijs sacrificijs uenerabantur. Sed huic enarrationi obsistit, quòd in omni loco offerri dicitur nomini suo, munda oblatio.* Impossibile *quippe est, ut de aliquo intelligatur, qui*

non

non uere credat, incredulorum autem inmunda oblatio est. Sed increduli sunt omnes, qui præter unũ Deum, alios colunt. Ergo non potest hic locus enarrari de gentibus, qui alios Deos colebant, etiam si eum summum Deum putarent.

Sunt etiam qui dicant (quorum sententiæ fui & ego aliquando) hæc capi de sacrificijs Ecclesiæ, post Christi aduentum, de sacrificijs inquam, iustitiæ de quibus in superioribus, nonnihil actum est. Sed dum textus ordinem & connexionem meditor, necesse est hunc locum intelligi, etiam de nonnullis ex gentibus, qui tum erant, quorum oblatió munda fuit.

Ad id est obseruandum, semper Deum habuisse electos in gentibus, puto autem ex hoc loco, quod etiam in omni terra, aliqui tum electi erant, qui offerebant Domino mundam cordis oblationem, nempe, fidem, quos spiritus erudiebat, sacrificia quæ maxime Deo sunt grata, ut suiipsius abnegationem, charitatem in proximum, & quodcunq; opus ex fide. Quos & spiritus docebat, idola nihil esse, & unum solum uiuum & uerum esse Deum.

Quia autem sacerdotes Israël, qui legis Dei ministri erant, & ad eos spectabat ferre scientiæ clauem, imò eam ferebant, ipsum Deum spernebant, & sacratissimas leges eius calcabant, & pollutas uictimas eidem offerebãt, dum interim nonnulli ex cunctarum gentium terris, nempe, electi, sacrificium cordis contriti, & ueræ iustitiæ sacrificium, inquam, mundissimum, ipsi Deo sacrificabãt,

& id

& id quidem sine lege scripta, uerum non omnino sine lege, quod lex spiritus esset in corde illorum, eosdem gentium electos, impijs legis sacerdotibus, proponit Deus in exemplum, ut confundantur, & scelera sua manifestius uideant.

Respondet autem, quasi tacite interrogantibus, quare non esset ultrà uoluntas sua in eis, & nollet adcepta habere munera eorum. Ab ortu, inquit, solis &c. Sensus. Ideo uos odi, & munera uestra mihi haud placent, quod non seruetis legem meam, neque offeratis mihi hostiam mundam, quam maxime à uobis exigo, & ipsam uestræ oblationis immundiciem, abunde tastamini, sacrificijs animalium quæ polluta offertis. Ab ortu autem solis usq; ad occasum, in toto uidelicet orbe, nomen meum, hoc est, fama, & claritas, sublimitatis meæ in omnibus supremæ, summe uidelicet sapientiæ, potentiæ, ueritatis, iustitiæ, bonitatis, & omnis perfectionis, hoc inquam nomen meũ, magnum est in gentibus, id est, in omnium gẽtium electis, ut in Iob & amicis eius, qui è gentibus erant, tametsi eo tempore neutiquam essent.

Et in omni loco, sacrificatur & offertur, ab ipsis electis, meo nomini oblatio munda, fidei, & iustitiæ, quæ est ex ea, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Et cum in ipsis gentibus, mũdum sacrificium mihi offertur, interim uos quos elegi in sacerdotes, & ministros meos in populo meo, uestra incredulitate & durissima ceruice polluistis ipsum nomen meũ, mihi

mihi alioqui ministrando, quàm in lege mea præceperim.

In hoc autem præsertim ipsum nomen polluistis, quòd dixistis, Mensa Domini contaminata est &c. Sensus est: Parui ducitis ipsam mensam seu altare, et ignem, ac quæ altari ab igne deuoranda imponuntur. Idcirco pro minimo habetis aliter mihi sacrificare, quàm in lege mea posuerim, ac iusserim.

Audiant hoc Antichristi, qui dicunt se Deo, tam sanctas offerre uictimas. Qui è mensa domini, faciunt contra fas nouum quoddam sacrificium, & sacrificia cordis contriti, ac ueræ iustitiæ calcant. Profecto illis dicitur à Domino hoc uerbum: Non est uoluntas mea in uobis, & munus nō suscipiam de manu uestra. Execrabilia quippe sunt coram Domino. Non sunt ipsi, qui offerunt Domino oblationem mundam, sanctam, Deoq́; gratissimam, sed gentes, hoc est, hi quos pro gentibus incredulis ac impijs habent. Veh hypocritis impijs, qui nō cessant damnare sanctos, qui perpetuò, impollutas Deo hostias offerūt. Sed in proximo est iudicium & abiectio eorum, fiat.

PARS SEPTIMA.

Et dixistis. Ecce de labore. Et exufflastis illud, dicit dominus exercituum. Et intulistis de rapinis claudum, & languidum & intulistis munus. Nunquid suscipiam illud de manu uestra, dicit Dominus?

Summe

SVmme abominatur Deus excusationẽ, quam in peccatis proprijs increduli faciunt, quos magis oportuerat agnoscere ipsa peccata. Proinde fidelis precatur· Psal· 140· Non declines os meum in uerba maliciæ, ad excusandas excusationes in peccatis·

Ergo id genus peccatorũ excusationes, malitiæ sunt· Pro qua malitia, arguit hic legis sacerdotes Dominus· Quoties enim reprehendebantur, quòd maculosa animalia Domino immolarent, semper habebant in promptu, excusationes in peccatis. Hinc prodijt hoc uerbum· Ecce de labore· Sensus est: Non sumus in antiqua prosperitate, sed multis indigemus· Nec tam abudamus animalibus, aut pecunia ad illa emendũ, ut ꝑ dies singulos, munda animalia reperire liceat· Offerimus, quæ multo labore cõquisiuimus, & quæ sola habemus, quod satis superq; eße debet·

Vides quàm contradicant impij Deo, & caro spiritui· Nolunt agnoscere peccatum suum, sed magis Deo tribuunt iniustitiam, aut imprudentiam, quasi exigeret plus æquo, & non nosset, quæ quisq; potest· Hæc abunde experimur in carnalibus, cũ ex uerbo Domini, eorũ scelera arguimus· Veh excusantibus excusationes ĩ peccatis suis·

Sed quid respondit ille, qui nouit mendacium eorum, qui sic in malicia peccata excusant? Exufflastis, dissipastis, & alioqui perperam absumpsistis, quæ de labore habuistis, nec sicut ualuistis, mihi impolluta animalia obtulistis· Maluistis ipsa animalia meliora, comedere, aut alijs uendere, aut alioqui perdere substantiam uestram·

Deniq; adseritis, quòd de labore uestro sunt, quæ offertis, & mentiri non erubescitis coram me, cui omnia sunt nota, quasi nescirem quòd ex rapinis sint, quæ offertis. Præterea cæcum, aut languidum, aut claudum, aut alioqui maculosum offertis nomini meo. Nunquid eiusmodi sacrificia, multis nominibus execrabilia, de manu uestra suscipiam, & mihi grata erunt? Quid? Minime, quinpotius summe odi illa.

Vbi nos habemus. Et exufflastis illud, non incongrue ex Hebræo legeretur. Et exufflastis me, ut sit sensus: Vos dicitis, quòd ex labore uestro offertis quæ potestis, ego autem scio quòd mentimini, nam de rapinis sunt, non de labore.

Nunc quia tam confidenter mendacium coram me adseritis, liquet manifestißime, quòd non creditis omnia mihi nota esse, & peccatum uestrum haudquaquam agnoscitis. Per quæ exufflastis, abiecistis, & repulistis me, ideoq; & ego, nec uos, nec munera uestra suscipiam.

CAPVT SECVNDVM.

Summarium capitis. Primum, dolosis maledixit. Secundo, comminatur se maledicturum impiorū benedictionibus. Tertio, comminatur se abiecturum tam eos, quàm eorum solennitates, & brachium terrenæ substantiæ ab eis proiecturum. Quarto, de pacto inito cum Leuitis, &

sancti-

ſanctitate eorum. Quinto, de abiectione eorum. Sexto, unum eſſe omnium patrem & creatorem. Septimo, de peccato Iudæorum, quo alienigenas uxores duxerunt. Octauo, de abiectione precum et omnium ſacrificiorum, ob ipſum peccatum. Nono, de unione coniugum, & fine caſti coniugij. Decimo, admonet ad reſipiſcentiam, & de iniquitate deſerentium uxores ex odio. Vndecimo, de peccato in quo Iudæi fecerunt laborare Dominum.

PARS PRIMA.

MAledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & uotum faciens immolat debile domino. Quia rex magnus ego ſum dicit dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.

HIc locus & aliquot præcedentes, maxime faciunt aduerſus dolum, mendacium, ſeu fictionem impiorum, quibus Domino contradicere non ceſſant. Cæterum textus eſt apertus, in quo execrabilis oſtenditur coram Domino, qui uotum habens, non offerebat maſculum, & bonum, cum poterat, ſed debile, & maculoſum. Et eſt hoc uerbum, reſponſio ad tacitam interrogationem, qua quis ex præcedentibus, quærere ualeret. Nunquid ita nos abijceres, ac tam abominareris noſtra ſacri

ficia, si offerremus debilia, nulla prætereà habentes? Et ait Dominus. Maledictus &c. Ac si di. Si præcipiēte me, ut uictimas offerretis mihi, sola debilia haberetis, nō esset in uobis peccatum si ea sacrificaretis mihi. Sed ego qui præcipio sola mascula & fortia offerri nomini meo, & uolo & scio eadem posse reperiri. Et ideo cum bona habentes, debilia offertis, maledicti coram me estis. Sed quid faciendum erat, si omnino defuisset masculus sine macula? Dicimus quòd potius nihil offerendum fuit, quàm si debilia obtulissent, contra prohibitionem Domini. Leui. 22. Sed id quærere, superuacaneum est, quòd semper munda reperirentur.

Nunc uideamus, quid doctrinæ pietatis ex hoc loco detur fidelibus. Diximus à principio, quòd hic locus facit cōtra dolū, seu mendaciū, præsertim cōtra id quod Domino nonnulli mentiuntur, quærentes excusationes in peccatis. Nimirum hi sunt maledicti à Domino, qui perdet omnes, qui loquuntur mendacium. Sæpe nos excusamus miseri, & dicimus: Nō possum, cum bene ualeamus. Sed is cui aperta & nuda sunt omnia. Hebræ 4. scit dolum nostrum: Sed quid dolum cogitamus aduersus Dominū? Nimirum in caput nostrum retorquebitur. Homini potes mentiri, & nō intelliget, sed Deo non ita. Nouit enim fideles, & placent: nouit & incredulorum dolos, sed illos abominatur, & illis maledicit. Veh his qui etiam cum Domino, dolose agere non expauescunt. Eiusmodi sunt uniuersi, qui Domini opera, hoc est, quæ iubet, fraudulenter

agunt,

agunt, imò idem sunt, cum dolosis præscriptis. Fraudulenter quippe operatur Domini opera, qui ea quæ Deus præcipit, negligenter & cum incuria, ac non sicut adcepit à Domino, & potest, fidelißime perficit. His maledicit Dominus. Hiere. 48.

Porrò ideo id genus fraudulenti, maledicti sunt, quia Rex magnus ego sum, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus. Vere rex magnus, quòd omnis perfectio, sublimitas, & magnitudo in eo sit, & cum quo collati uniuersi terræ sublimes & gloriosi, qui fuere ab initio, puluis quidam sunt. Et ideo magnum nomen suum, est in gentibus horribile, uerum differenter electis & reprobis. Electis quidem, horribile est, hoc est, expauescendum, terrendum, & admirabile, in eorum æternam salutem. Ex electis quippe erat, qui dixit: Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Psal. 8. Itemq; Psal. 46. Terribilis, Rex magnus super omnem terram. Itidem, & qui dixit: Horrendum est incidere, in manus Dei uiuentis. Hebræ. 10. Et quis etiam sanctißimus, ad nominis Dei celsitudinem, non terrebitur? Sed cum pietate, est terror electorum. Contrà reprobis, ipsum Dei nomen est horribile, quod experiantur magnitudinem brachij eius. Horrent idcirco & timent, timore quidem impio, & Deo execrabili, ne quando incidant in durißima, summeq; horrenda manus eius flagella. Horrent autem magis ob ipsa flagella, quàm ob ipsum Deum.

PARS SECVNDA.

Et nunc ad uos mandatum hoc ò sacerdotes. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait dominus exercituum, mittam in uos egestatem, & maledicam benedictonibus uestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.

ADmonuit, imò iussit, ut resipiscerent, & seruarēt mandatum, de quo Leui. 22. *Vt scilicet sola immaculata, & mascula offerrent, non cæca, languida, clauda, debilia, aut alioqui maculata, ac per id darent gloriam magno nomini suo, adquiescentes purissimis eloquijs suis, & secundum illa, nihil addendo aut minuendo illi sacrificantes.* Nolentibus autem adquiescere, & resipiscere, comminatus fuit, quòd in eos mitteret egestatem, & maledictionem, in benedictiones eorum. Quod in maiorem adsertionem replicat, dicens: Et maledicam benedictionibus uestris, & maledicam illis, subaudi benedictionibus. Sensus est: his in quibus uobis benedixeram, et quibus uos ipsi benedicitis, quæ scilicet laudatis, amatis et quibus bene precamini, maledicam, quoniam non posuistis super cor, non dubiū quin uerbum suum, ut illud pleno corde, plenaq; fiducia obseruarent.*

Benedicit nobis Dominus, *cum nos iuuat, cum facit ut*

qua

quæ nobis largitus est, prosperentur, ut cum terra fructū suum adfert in tempore, & seruat familiam, pecora et armenta. Ipsis autem benedictionibus nostris, in quibus uidelicet, nobis benedixerat, tum maledicit, cum diuersum à præscriptis mittit. Nostræ quoq; benedictiones sunt, cū nonnullis bene precamur, ut cum dicimus filijs aut alijs. Dominus uos iuuet, à malis eripiat, & seruet. Crescite et adaugeamini. Dominus adcrescere faciat, & multiplicet fruges uestras. Porrò ipsis nostris benedictionibus, his scilicet quibus benediximus, tum Deus maledicit, cum oppositum eorum quæ precati fuimus immittit. Ex his liquet, quid Deus comminaretur, impijs sacerdotibus legis.

Congruit admodum hic locus, aduersus perfidiam Antichristorum, qui solis impijs benedicere, & sanctis maledicere consueuerunt. Quorum censuras Deus irridet, & dum uerbo suo notum facit electis quàm nihil sint, eorum reprobam potestatem calcari facit, & pro nihilo haberi. Et uere his quibus benedicūt, ac bene precantur, maledicit Dominus: his uero quibus male precantur, et quos excommunicant, Deus benedicit, quemadmodum etiam habes Psal. 108. Maledicent illi, & tu benedices. Et hic habes, benedictionibus uestris, hoc est, his, quibus benedixeritis, maledicam.

Vbi obserua, quā resistat Dominus impijs. Quemadmodū enī desideriū pauperū suorū, id est, fideliū, qui spiritu pauperes sunt, et adflicti ac calcati ab impijs, Dominus

exaudit. Psal. 9. & illorũ benedictionibus, hoc est, his quibus bene precantur, Deus benedicit, adquiescẽs fidelium desiderio, et his quibus fideles maledicũt ex fide, Deus maledicit illis cõsentiens, ita incredulorum uoluntatibus Deus contradicit, maledicens, his quibus benedicunt: & benedicens, his quibus maledicunt.

Ex hoc textu quatuor collige, & certißima ac uerissima quidem. Primũ, quòd desiderabile ac sanctis utile sit maledici ab impijs. Secundum, quòd formidabilis res sit, ab eis benedici, quodq; nocet his, quibus placet eorum benedictio. Proinde sancti nolunt, imò summe odiunt eam. Tertium, quòd summe timendum est, ne maledicamur à sanctis & fidelibus. Perdidit namq; maledictio Heliæ, duos Principes quinquagenarios, cum suis quinquaginta 4. Reg. 1. & maledictio Helisæi, perdidit pueros quadraginta duos in Bethel. 4. Reg. 2. Quartum, quod summe desiderandum est, ut fideles nobis benedicant, hoc est, nobis bene precentur. Fideliũ quippe benedictio, semper utilis est, eorũ uero maledictio semper est perniciosa. Nõ putes ueruntamẽ, ꝙ omnis benedictio, aut maledictio eorum qui fideles adpellantur, eiusmodi sit. Non enim semper ex fide loquuntur.

Fidelis benedictio est, cũ ex fide quispiã alijs bene precatur, et hanc benedictionẽ, impossibile est nõ esse utilem, quòd fidem nunquam nõ exaudiat Deus, & uerbum Domini sit æternum, ex quo certum est, sanctorum desideria exaudiri. Et hæc benedictio admodum est exoptanda.

Cæterum

Cæterum maledictio fidelis, est, cum ex fide & zelo Dei ac ueritatis eius, hostibus Dei ac rebus eorum quis maledicit, hoc est, mala eis imprecatur. Eiusmodi autem maledictio semper efficax est ob fidem & desyderium fidelis & zelantis uiri. Quia enim sancti non nisi ex fide & spiritu domini, ac secundum uerbum eius cuipiam benedicunt aut maledicunt, ideo ab eo cuius oculi respiciunt fidem, Hier. 5. exaudiuntur.

Ob id tam sollicita fuit sancta Rebecca, ut pio filio Iacob Isaac sanctus benediceret, potius quàm impio Esau; & ipse Esau tam ingemuit, posteaquam Iacob benedictionem quam expectabat, subripuerat. Nemo tamen per hæc arbitretur me subscribere pharisæorum superstitionibus, qui tot benedictiones ab eorum senioribus aut Antichristis petere consueuerunt. Neq; fidendum benedictionibus istis, sed domino, in cuius nomine benedicitur. Licet filio petere à patre aut matre benedictionem, sed uiderit, ut ex fide petat. Viderint & pater & mater, aut alij, qui Dei nomine aliquibus benedicunt, hoc est, bene precantur, ut id faciant ex fide. Laudandum quoq;, si quis assuescit alijs bene precari, modo ex fide. In maledicendo, hoc est, malum deprecando, uiderint qui maledicunt, ut non nisi ex fide & secundum uerbum domini maledicant. Sancta erit maledictio, si quis ex ea quærat solam Dei gloriam, ueritatis promotionem, salutem omnium etiam impiorum, ut scilicet conuertantur, & destructionem mendacij, ac omnium per quæ fouetur. Verum

in his nemo speciatim definire potest, sed fides & spiritus haec abunde docent.

PARS TERTIA.

Ecce ego proijciam uobis brachium, & dispergam super uultum uestrum stercus solénitatum uestrarum, & assumet uos secum. Et scietis, quia misi ad uos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.

Comminatus fuit se abiecturum omnia eorum sacrificia & solennitates, & loquitur more abijcientis munera sibi oblata. Ecce, *inquit, ego proijciam uobis, id est, contra uos brachium seu humerum, ut Septuaginta habent, uel armum, subaudi animalis oblati.* Ego *magis putarem, hic brachium figuratiue poni, ut significet omnem substantiam, ut alibi dicitur, robur panis, sitq; sensus:* Ego *proijciam uobis, id est, à uobis, brachium, id est, frumentum, uinum, oleum, & omnem substantiam, hoc est, ista à uobis auferam.*

Et *dispergam super uultum uestrum, stercus solennitatum uestrarum, hoc est, ipsas solennitates, quae sunt mihi uelut stercus contemptibiles.* Et *assumet uos secum, subaudi stercus solennitatum.* *Sensus est:* Etiam *uos eritis contemptibiles, cũ solennitatibus uestris, uelut stercus.*

Vide

Vide æquitatem diuini iudicij. Qui Deum contemnunt, contemptibiles fiunt.

Et scietis, posteaquam humiliati & contempti fueritis, quoniam misi ad uos sacerdotes, hoc mandatum de sacrificijs mundis, ut esset pactum seu testamentum meum cum Leui, *id est,* Leuitis, *quos solos ex omnibus* Israël *tribubus elegi, ut essent ministri in templo meo, & mihi sacrificarent.*

Ex hoc habes argumentum, quòd nihil tandem prosperum esse potest, uerum Dei *cultum ab eo constitutum abijcientibus, & quòd spernentes uerbum* Domini, *ab illo proijcientur, & uelut stercus habebuntur, & id quidem tempore præfinito, etiam si in tempus in prosperitate dimittantur.* Deniq; *ipsa impiorũ prosperitas est illis in maledictionem & infelicitatem, q. omnia in malum illis cooperentur, prout fidelibus omnia in bonum redeunt.* Ro. 8. In *uniuersis autem his locis uide studiose, quã zelet* Deus *pro uero cultu suo, & quàm odiat cunctos* Ecclesiæ *ministros, qui ministerium suum alioqui implent, quàm iusserit* Deus.

PARS QVARTA.

Pactum meum fuit cum eo uitæ & pacis & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat.

H*ic per* Leui *intellige* Mosen, Aaronẽ, *& alios sanctos,*

ctos, qui fuere ex tribu Leui: per pactum uero seu testamētum legem Domini: Et nos de Leui sicut in textu singulariter loquemur, tu autem de sanctis primis intellige.

Dicit igitur: Pactum meum, nempe lex & omnia eloquia eius, fuit cum Leui, pactum uitæ & pacis, quòd scilicet illud obseruantes pacem & uitæ tranquillitatem assequerentur. Et uere lex Domini, est lex uitæ & pacis, nedum ratione qua prædiximus, sed ob id potissimum, quod spiritus sub carne literæ absconditus sit uita & pax his, qui Dei munere facti sunt eius ex fide participes. Ex fide dixit, quod hæc sola sit uia, qua participes effici ualemus omnium spiritus Dei charismatum, & omnis ueritatis. Nam liber Domini, hoc est, Scriptura sacra, & tota mundi machina, incredulis clausus est, dum non possunt ex ipsis dei scriptis, aut operibus peruenire ad noticiam ueritatis. Nimirum omnia Dei opera in fide sunt. Psalm. 32. Veritas autem est, id quod scriptum est, in omnibus scriptis & operibus Domini, quasi in libro. Is est liber, quem in Apocalypsi cap. 5. Ioannes uidit, signatum sigillis septem, id est, fortissime clausum, donec à Domino IESV Christo aperiatur. Quem tum aperit & reserat ueritates sub eis latentes, dum in eis quis in fidei synceritate meditatur. At de his, Christo (qui solus aperit ipsum librum) propitio, apud ipsam Apocalypsim agemus.

Vbi nunc sunt Scholastici cæci, qui dicunt sola carnalia in lege promitti, quiq; sic de ea loquuntur, ac si prophanum quiddam esset? Non uident ueritatem sub literæ

cort ce

cortice absconditam, idcirco dicunt: Non sunt nisi car*nales & terrenæ promissiones. Sed non aperuisti eis librum tuum, quin potius semper firmius occludis. Aperis autem hæc simplicibus & paruulis tuis, & profitentur ueritatem ipsam, & sciunt uniuersa eloquia tua, quæ legis nomine capiuntur, eloquia esse uitæ & pacis, quod eorum finis sit pax & uita æterna.*

Sequitur: Et dedi ei, *scilicet* Leui, *timorem, & timuit me, non dubium quin timore uero, à facie nominis mei pauebat, hoc est, cum tremore admirabatur.* De timore *egimus cap. præceden. ibi:* Vbi est timor meus. *Hunc timorem atq; pauorem iubet spiritus sanctus.* Psalmo *secundo:* Seruite, *inquit,* Domino in timore, *& exultate ei in tremore.*

Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.

Lex *est pactum, ut diximus, sic ueritatis ut uitæ & pacis, hoc est, quòd in ea sola sit ueritas.* Per *legem autem omnia* Dei *scripta intellige, præter quæ non nisi mendacium esse potest:* Nimirum *quicquid illi non consentit, mendacium est.* Hæc *igitur ueritatis lex fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius.* Quæ *est hæc iniquitas, nisi inuenta & traditiones hominum?* Iniquitas *propè in corde est, uerum quicquid ab impietate animi procedit, rectè iniquitas dicitur, quòd animi maliciam ad extrà*

extrà exprimat: proinde uerbum mendacij rectè iniquitas dicitur, quod in sanctorum ex Leui tribu labijs inuentum haudquaquam fuit.

In pace & in æquitate ambulauit mecum ipse Leui. Ambulat cum Domino, qui perpetuò illi fidit & acquie- [illegible] eius. Et quisquis ita cum Domino ambulat, in æquitate ambulat, itidem & in pace. Quemadmodum enim sermo mendacij est iniquus, ita sermo ueritatis est æquus, & eum seruans, est in uia æquitatis: seruans autem figmenta hominum, est in uia iniquitatis, à qua sanctus liber fieri cupit, dicens Psalm. 118. Viam iniquitatis amoue à me. Et quemadmodum ambulans in uia iniquitatis, est perpetuò intranquillus, quòd non sit pax impijs. Esaiæ. 48. Ita ambulans in uia ueritatis & æquitatis etiam inter quæcunque aduersa, & in medio umbræ mortis pacem habet.

Hæc autem gloriam fidei, quòd de fideli Dominus ait: Ambulauit mecum. Quomodo tecum? Mihi iunctus, meo spiritu [illegible]. Ergo cum Domino sunt fideles, & [illegible] Psalm. 90. Imò unum [illegible] Vt sint unum sicut [illegible] nos, hoc est, eodem spiritu, quo nos, uniantur. Et hoc est quod Paulus ait, 1. Cor. 6. Qui adhæret Domino, unus cum eo spiritus est. O magnam fidelium consolationem, dum licet eis dicere: Dominus mecum est. Hinc est illud Psalm. 15. Quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Et Hier. 20. Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

tis. Rursumq; Psal. 22. *Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Itemq; *illud* Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? &c.* Hinc *Christo nomen est*, Esaiæ. 9. E-*manuel, quod interpretatum est, nobiscũ Deus, quod soli fideles uere proferre ualent, increduli uero non nisi in men-dacio illud dicere possunt.*

Porrò *quisquis cum* Domino, *sicut prædiximus, am-bulat, ut* Leui, *hoc est, sancti ex* Leui, *multos auertit ab iniquitate, sed id non alioqui, quàm lege ac pacto uitæ, pa-cis ac ueritatis.* Quia *enim lex æquitatis est,* [illegible] *ac quie-scẽtes reuocantur ab iniquitate ad æquitatem.* Et *ideo qui uerbi ministerio impios ad pietatem,* Domino *adsistẽtes, reuocant, eosdem ab iniquitate auertere dicuntur.*

Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessi-stis de uia, & scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.

Hic duo insignia admodum habes. primum, quod sit pro-prie ministerium Sacerdotis. Alterum, quid sit esse Sacer-dotem, à posteriore autem incipiemus. Sacerdos, inquit, angelus seu nuncius Domini *exercituum est.* Generalis *est hæc Sacerdotis acceptio, spectans nedum ad ueteres il-los, sed ad omnes uerbi ministros, qui angeli, id est, nuncij* Dei *sunt, quos scilicet ille mittit.* Hinc *toto ferme libro Apo-*

pocalypseos

pocalypſeos, per angelos, preſbyteros ſeu ſacerdotes, hoc eſt, miniſtros uerbi ſancti ueritatis ſpūs accipit. Ergo nullus ex ſacrificulis Antichriſtianæ Synagogæ Sacerdos domini eſt, quòd eius nuncij haudquaquam ſint. Magis enim ſunt angeli uel nuncij Satanæ & Antichriſti, idolorumq; ſacerdotes.

Erit autem hoc tibi notius, ſi alterum expenderis, nempe quid ſit proprie Sacerdotis miniſterium. Labia, inquit, ſacerdotis cuſtodient ſcientiam. Quam ſciētiam? Non dubium quin pacti uitæ, pacis & ueritatis. Vnde & ſubiungitur: Et legem requirent ex ore eius, ſubaudi, populi fidelium, dum aliquid dubij illis euenerit. Igitur lex Domini, ueritas ſcilicet eloquiorum eius eſt ſcientia, quā labia ueri ſacerdotis cuſtodiunt, hoc eſt, nihil diuerſum ab ea loquuntur, ſed omni ſolicitudine moderantur ſermonem ſuum, ſecundum eiuſdem ſcientiæ puritatem. Nunc cum uides aliquos uerbi concionatores prædicare hominum figmenta, & illorum labia non cuſtodire hanc Dei ſcientiam, certò ſcias eos non eſſe Domini ſacerdotes, niſi in hypocriſi & mendacio. Vere enim ſi ſacerdotes domini eſſent, ſcientiam DOMINI cuſtodirent. Hinc liquet, quòd toto fermè errorum ſæculo, nullus fermè extitit, uerus Dei ſacerdos, eo quòd ſpreta ſcientia DOMINI, hominum ſomnia & traditiones quiſq; pronunciaret & populos erudiret.

Deniq; ait legis ſacerdotibus Deus: Vos non eſtis ſecuti pietatem ſanctorum ex tribu Leui, ſed apoſtataſtis

&

& recesſiſtis à uia, per quam ambularunt, à uia, inquam, æquitatis & ueritatis, ac per id ſcandalizaſtis plurimos, qui ueſtro exemplo, à me facti ſunt alieni, hoc eſt, apoſtatarunt, & irritum feciſtis, rupiſtis, non ſeruaſtis dictum pactũ Leui, quod ſcilicet cũ eo feci, quod uos ſeruare oportuit, eo quòd ad totum Leuiticum genus ſpectaret. Hoc pactum erat, quòd omni diligentia cuſtodirent legem Domini, & ad idem populum ſolicite & pure edocerent. Sic omnes uerbi miniſtri, qui aliud quàm purum Dei ſermonem annunciant aut ſeruãt, irritum faciunt pactum ſeu teſtamentum Domini, quod cum eis in Apoſtolis & primis Euangeliſtis fecit.

PARS QVINTA.

Propter quod & ego dedi uos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis uias meas, & accepiſtis faciem in lege.

Dignatur oſtendere, quibus potiſſimũ cauſis, tot malis Iſraëlem preſſerit. Sunt autem duæ. Prima, quòd non ſeruarunt uias ſuas. Secunda, quòd acceperunt faciem in lege. Primum, notum eſt quid ſit, nẽpe Domini ſermo, qui uia aut uiæ ueritatis dicitur. Pſal. 118. Neq; id prætereundum arbitror, quòd ſermo ipſe Domini uia dicitur, quòd per eum quaſi per uiam fideles

affectuum & sanctæ conuersationis pedibus incedant. Pari quoq; ratione traditiones hominum, uiæ dicuntur, sed impiæ, fallaces, iniquæ.

Secundum, nempe accipere faciem in lege, nonnulli interpretantur de eo, q quidam spernunt personam pauperis, & honorant uultũ potentis. Verũ si textus circunstantias diligenter expendimus, aliud ex hoc uult spiritus sanctus, nempe q per id carpit eorum hypocrisim, & q non spiritum & ueritatem Scripturæ, sed solam literam, seu carnem in ea attendebant. Non enim conuenit, ut per faciem legis, persona hominis capiatur. Faciem ergo in lege accipiebant, qui ex lege non spiritum, sed carnem requirebant, & sola caro seu cortex legis, non eius spiritus & ueritas, illis grata erat. Faciem legis quærebãt & accipiebant pharisæi illi, q decimabant mentã et anetũ: fidẽ uero charitatẽ & misericordiam aspernabantur. Sic faciẽ legis accipiũt nostri sæculi hypocritæ & Antichristi, quos regis facierũ nomine Daniel figurauit, Dan. 8. Veh uniuersi, qui ex diuinis eloquijs solas facies quærũt. Profecto hic textus nunquã tã cõgruit ipsis, q tũ erant pharisæis, aut saltem nõ plus, q̃ nostri sæculi Antichristis, regno scilicet facierum.

PARS SEXTA.

Nunquid non pater unus omniũ nostrum. Nunquid non Deus unus creauit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrẽ suum, uiolans pactum patrum nostrorum?

Superbiam

Superbiam, tyrannidē et immisericordiam carpit. Duplici aūt argumento ꝓbat, charitatem nos inuicē habere debere, & ꝙ non debeat quispiā ꝓximū contemnere. Primū argumentū est, ꝙ omnibus unus sit pater, nempe deus. Secundū, ꝙ unus sit oīm creator. Propter primū, ut fratres nos debemus inuicē diligere; ꝓpter secundū uero, nō debet quisꝗ superbire in ꝓximū, ꝙ oēs tam maiores quā minores, tam diuites quā pauperes sint ex æquo dei creaturæ. Cæterū hoc uerbū: Nunquid nō etc. uerbum fideliū est, reprehendentiū immisericordiā hypocritarū, seu falsorum fideliū. Dictū nanq; tū primū fuit à sanctis, aduersum impios ex Israël, qui pseudocredentiū typum gerunt, & nunc conuenit, ut sit dictum Sanctorum aduersum omnes impios.

Quidam hæc intelligi putant de his, qui pro alienigenis mulieribus ducendis, proprias uxores abiecerant, ego sentio, ꝙ generale dictū sit aduersum omnē proximorū contemptum, & immisericordiam. Nam contra impietatem eorū, qui proprias uxores ꝓ alienigenis dimiserant, mox aperte aget. Ergo hic locus est generalis. Audiant precor hunc locū uniuersi falsi fratres, superbi, immisericordes, sine charitate. Nonne idē est nobis pater & conditor? Nunquid ipsi plus nobis sunt filij, aut creaturæ Dei? Cur ergo tā insaniunt? Cur non exprimunt, qđ sunt, si tamen sunt, nempe fratres, & eiusdem conditoris facturæ? Veh hypocritis execrabilibus, nihil minus exprimentibus quàm quod se esse profitentur.

PARS SEPTIMA.

Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalem, quia contaminauit Iudas sanctificationem domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdat Dominus uirum, qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.

Liquet ex. 1. Ezræ. 9. & . 10. filios Israël maxime aberrasse, etiam posteaquam liberati fuerant à captiuitate Babylonica, in eo q, contra Dei prohibitionē, quæ habetur Deu. 7. filias alienigenarū in uxores acceperūt, & ut paulo post habes, etiam proprias abiecerūt, aut saltem non habuerunt pro primis uxoribus, sed quasi p ancillis. Proinde hic dicitur: Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israël & Hierusalem. Quæ abominatio? Quòd contra uerbum Domini, populum ab eo sanctificatum & electum contaminauit. Per quid? Dum habuit filiam dei alieni. Ex hoc uide, q, abominatio sit, quod fit contra uerbum Domini. Non enim tantū id est sentiendū de hoc facto, sed de uniuersis, quæ contra uerbū fiunt.

Disperdat Dominus uirum, qui fecerit hoc, magistrū & discipulum, id est, maiorem aut minorem. Disperdat, inquam, illum de tabernaculis Iacob. Et offerentē munus Domino exercituū, nempe sacerdotem, subaudi, etiam disperdat

sperdat dominus. Nimirum etiam ex eis se alienigenis matrimonio copularant, ut 1. Ezræ 10. est uidere.

Id autem obseruandum, quàm magno zelo Propheta mala precatus est his, qui lege domini contempta, ex filiabus gentiũ uxores ducerent. In quo exemplũ habes, qua ratione sanctis liceat maledicere impijs, de qua re paulo ante aliquid egimus. Cogitauit quàm grauia mala ex communione, quam prius habuerant cum gentibus ipsis euenerint, & quod præsertim mulierum artificio, multi à uero Dei cultu apostatarant, propter quod Deus noluit eos cum gentibus contrahere, ut manifeste habes Deu. 7. Idcirco Propheta timens, ne denuo contingeret eos hac occasione apostatare à Deo, post gentiũ abominatiões, maledixit, accipienti filiam idola colentis, in nomine domini. Scopus eius fuit zelus diuinæ gloriæ quã primũ cupiuit permanere in Israël, & zelus boni populi dei, quẽ timuit ex cõiuctu mulierũ alienigenarum idolatrã fieri, per idq; à deo reprobari.

PARS OCTAVA.

Et hoc rursum fecistis. Operiebatis lachrymis altare Domini fletu & gemitu, ita ut nõ respiciam ultrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu uestra. Et dixistis: Quã ob causam? Quia dominus testificatus est inter te, & uxorẽ pubertatis tuæ, quã tu despexisti. Et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.

Apertus est hic textus, quo repbantur eorũ preces, et sacrificia, ac omnis oblatio. At de his in superioribus actum est. Sic aũt reprobanti deo, impij homines non agnoscentes propria crimina, dicebãt: Quam ob caußam, supple abijcis nos & munera nostra? Ac si dicerent, nihil tam graue fecimus, q̃ proinde ita nobiscum agere debeas. Sic perpetuò domino contradicit impia caro, & cæca permanens, non agnoscit peccata esse, quæ cõtra Dei uerbum admisit. Sed quid respondetur ei? Quia Dominus testificatus &c. Sensus est: In Dei nomine coniuncta est tibi uxor, quam primum duxisti, & ipsa tecum est una caro, quam despicere non expauisti, ut duceres alienigenam, contempto fœdere, quam cum ea in Dei uerbo cõtraxisti. Ob id præsertim nec tu nec tua munera grata sunt: aliæ quidem sunt causæ, uerũ hæc una est è summis.

PARS NONA.

Nonne unus fecit, & residuum spiritus eius est? Et quid unus quęrit, nisi semen Dei?

Vnus iste factor est Deus, de quo pauloante. Nũquid non Deus unus creauit nos? is fecit uirum & mulierem, & fecit in eis, ut duo essent in carne una, ita ut mulier sit uelut residuum spiritus eius, nẽpe uiri, q̃ ex costa uiri facta sit mulier. Gene. 2.
Porrò deus ipse, q̃ est unus, ille qui fecit oĩa in gloriã suã,

&

& fecit ut fœmina esset quasi residuũ spiritus uiri, & essent duo una caro, nihil aliud quærit ex hac duorũ unione, nisi semen dei, hoc est, filios iustorũ et piorũ, q̃ p dei semĩe habentur, ꝓut in Gene. filij Seth cõparati cũ filijs Cain, filij dei appellati sunt. Gen 6. Dicit ergo: Nonne unus deus fecit etiã mulierem cũ uiro, & unionẽ coniugij firmauit, & ipsa mulier est quasi residuũ spiritus uiri? Ex qua unione quid quærit ille unus, nisi semen dei, semen sanctũ?

Ex his quæ hac parte, et duab. præcedẽtibus habentur, nõ fuerit incongruũ nõnulla transferre ad allegoriã, præsertim, q̃ maxime illis cõpetat. Ad qđ primũ obserua, filios Israël, ut sæpius diximus, typũ gerere fideliũ. Secũdo, mulierẽ ex Israël, cũ qua filij dei ꝓducuntur pietatem & ueritatem esse. Tertio, mulierem alienigenã, ex qua non nisi idolorum cultores ꝓcreantur, eße mendaciũ seu impietatẽ. Hæc est mulier, cui nomẽ ĩpietas, de qua, Zac. 5. egimus

Nunc filijs Israël, id est, fidelibus cunctis prohibuit deus, ne filiam dei alieni, doctrinam dæmoniorum, mulierẽ idolorũ cultricem, carnis sapientiã mendacẽ, impiã, diabolicam, execrabilem, ꝓcacẽ atq; fallacem, Prou. 5. et aliâs sæpe in eodem libro per scortum petulantissimũ figuratã accipiant, sed uirginẽ illam sanctiss. impollutiss. mã, suauiss. fœcundissimam, & summe desyderabilem ueritatem Dei. Hæc est sponsa fidelißima, & nunquã sterilis omnium electorum. Sed multi heu, ex his, qui in Dei populo supputantur, abijciunt sponsam hãc pudicissimam, cui fidem promiserunt, & sibi copulant scortum illud execrabile

bile mendaciorum hominum. Proinde in ſcripturis paſſim apoſtatæ adulteris ac fornicatoribus aſſimilantur.

Sed quid iubet Dominus? Vt ſcortum illud impuriſſimum à nobis abijciamus, et toto animo copulemur caſtiſſimæ illi ſponſæ ueritati, cui fidē ab initio noſtræ uocationis pmiſimus. Impoſſibile nanq; eſt, ut cū præfato doctrinæ mendacis ſcorto fructus alios quā mortiferos proferamus. Mox aūt ubi ad caſtos, deſyderabiles, ac ſuauiſſ. ueritatis amplexus fide peruenerimus, fieri non poteſt, ut nō pferamus dignos ueræ reſipiſcentiæ, quæ eſt ex fide, Deoq; gratiſſimos fructus, permanentes in uitam æternam. Et deus quid quærit ex hoc, q̄ ſcilicet ueritas nobis fide copulatur, niſi ſemen ſanctum, fructus ſcilicet ueræ iuſtitiæ, quæ eſt ex fide. Tametſi & alioqui fideles per ueritatem procreant ſemen Dei, cum uerbi ſancti miniſterio plurimos ad pietatem conuertunt. Hinc Paul. 1. Cor. 4. In Chriſto IESV per Euangelium ipſe uos genui.

Porrò eos quos ſic impius ſcorti fallacis, nempe mendacij amor ſic uinxit, ut nullatenus ad ſanctæ ueritatis thorum caſtiſſimum redire uelint, deus ſic odit, ut & ipſos et omnes eorum preces ac munera ſit perpetuo abiecturus, peribuntq; tandem in æternum. Beatus uir, qui polluto mēdacij thoro toto corde abrenunciat, & rediens ad mundiſſimum cubile ueritatis dei ab ea nunquam uult ſeparari, ſed modis omnibus illi firmiſſime hæret.

PARS DECIMA.

Cuſtodite

Custodite ergo spiritum uestrum, & uxoré adolescentiæ tuæ noli despicere.

A quo iussit spiritum custodiri? Profecto, ne abduccerentur libidinibus alienigenarum, earumq; reprobo amore, à diuinæ iussionis obseruantia, qua uxores spretas & abiectas, uolebat denuo ab eis recipi. Sẽsus est: Videte cui magis adquiescetis, mihi, an ipsis cultricibus idolorum, quas contra legem meam uobis in uxores copulastis.

Dicitur quoq; is sermo uniuersis, qui apostatarunt à ueritate, & fornicati sunt cum mendacio. Custodite spiritum uestrum, ne uincamini à meretrice, cui in hunc usq; diem adhæsistis. Suscipite iterum castissimam à uobis prius abiectam ueritatem, per quam seruatur spiritus fortitudo & adolescentia, & obseruate, ne ullatenus despexeritis eã. Maledictus, qui nõ adquiescit huic uoci Domini.

Cum odio habueris dimitte, dicit dominus Deus Israel. Operiet autem iniquitas uestimentum eius, dicit dominus exercituum. Custodite spiritum uestrum, & nolite despicere.

Tum aberrarant miseri, ex his quos Dominus à Babylone redemerat, & reduxerat in terram suam, ut proprias uxores, non pellerent quidem ab ædibus, sed à seipsis durius abijcerent, quàm si ab ipsis domibus emisissent. Nimirum calcabãt eas, sub alienigenis, quod in maiorem

illis erat pœnam, quàm si abiectæ fuissent à domibus, & libere dimissæ. Proinde hic præcepit Deus Israël. *Cum odio habueris uxorem, tibi scilicet non placuerit, dimitte eam, ut libere exeat à te.* Quod uerbum non est intelligendum simpliciter, sed cum conditione, nempe, si non uult eam, ut coniugem habere, & potius quàm tam male agere cum ea. Non fecit diuortium, sed legitimas & ueras coniuges uoluit redimere ab iniustis pressuris. Verum etiam dimittens ea ratione, uxorem à se, peccat. Vnde & subiungitur. Operiet autem iniquitas uestimentum tuum. Sensus est: Cum ex odio eam dimiseris, non æstimes te immunem à scelere coram me. Nam hoc tibi ad iniquitatem imputabitur. Quod aperte reddiderunt Septua. Si odio habens, dimiseris eam, dicit Dominus Deus Israël, operiet impietas cogitationes tuas. Denuo quoq; admonet, ut custodiant spiritum suum, cuius loci declarationẽ, mox habuisti. Hinc uides, deum potius uelle, ut à uiro coniunx separetur, quã ut tyrannũ cõtra illam maritus agat.

Quod spectat ad allegoriam, pseudocredentes & Antichristi, desponsam sibi dicunt ueritatem Dei, cui se fidem in baptismate aiunt dedisse. Sed interim, admittunt scortum illud maledictum figmentorum hominum, & illius causa, tam misere lacerant, sponsam castissimam ueritatem, ut nemo satis explicarit. Cogunt enim eandem seruire mendacijs suis, purissimos & apertißimos dei eloquiorum sensus, ad mendaciorum suorum confirmationem torquentes, quantumuis repugnent. Et sic quasi

ex ueri=

ex ueritate dei, faciunt quasi iniquitatum seruam. O execrabiles tyrannos. In hoc maxime insaniunt, perfidiæ Antichristianæ Prophetæ, nempe, Rabini Pharisæorum, & prostibulorum Satanæ uniuersitatum primores, præsertim Sophistæ illi, & Romani idoli canonum adsertores. Sed quid ait Dominus? Quid tam laceratis ueritatem meam, ó cæci & sæuißimi tyranni? Quid tam pulchram, fœcundam, & ubiq; benedictam sponsam, sic conculcatis? Quid interim uultis haberi pro amicis eius, & gloriamini quòd eam in sponsam uobis adiunxeritis? Non ita fiat, sed si odio habetis, imò quia oditis atq; abominamini eam, dimitte eam à uobis, hoc est, ipsum odium uestrum aperte testemini, & nolite fingere uos amicos, ubi nihil minus estis. Minus quippe malum est, esse palàm hostem, quàm in abscondito: esse hostem publicum, quàm domesticum: esse aperte incredulum, quàm hypocritam. Quandoquidem nulla pestis nocentior, domestico hoste. Sed dum à uobis dimiseritis eam, operiet iniquitas uestimentum uestrum. Quidquid eritis, aut uiuetis, iniquitas erit, quòd absente ueritate, non nisi iniquitas in uobis eße poßit.

Eritis tum aperti apostatæ. Sed quid? hoc saltem minus quiddam mali erit, quã dum fingitis coram hominib. uos amicos ueritatis, & illã ueruntamẽ dolosißime persequimini, cogitisq; eã seruire peccatis et mẽdacijs uestris. Veh uobis Hypocritæ, Pharisæi, Sophistæ, et Antichristi, hostes

hostes domestici ueritatis, & omnium amatorum eius, qui cum sitis illius adiuratissimi hostes, pro eius ueruntamen amicis, uos ubiq; contra conscientiam uenditatis, ut uel hoc mendacio, hac pietatis facie, laudem uenemini coram hominibus, & per id fidelibus facilius & efficacius imponatis. Veh uobis hypocritæ, cæci, laruæ, monstra, statuæ, & idola mundi, qui non estis facti, nisi in diem malum, ut scilicet perdatis & seducatis errorũ filios reprobos, & cum eis tandem perdamini.

PARS VNDECIMA.

Laborare fecistis dominum in sermonibus uestris. Et dixistis, in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis. Omnis qui facit malum bonus est in conspectu domini, & tales ei placent. Aut certe ubi est Deus iudicij?

LAborare fecistis, hoc est, prouocastis Dominum, *in sermonibus uestris. Quasi enim laborat, qui tristicia adficitur, & ad iram prouocatur. Hæc improprie dicuntur de* Domino, *uerum de eo, sicut de nobis loquimur, & sensus est capiendus, sicut illi competit.* Deus *enim improprie prouocatur aut laborat, ideo in hoc, tantum est sentiendum, quòd impij illi suis iniquis locutionibus prouocabant* Dominum, *quãtum in eis erat. Verum ipse* Dominus, *non proinde mutabatur. Est ergo sensus.*

Si deus

Si Deus mutabilis esset, profecto ad iracundiam prouocatus & mutatus esset, propter sermones uestros.

Sed carnales non agnoscentes peccatum suum, nec æstimantes, quod suis uerbis deum prouocarint, contradixerunt Domino, & dixerunt. In quo laborare fecimus siue prouocauimus eum? Et respondet. In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, aut certe ubi est Deus? Videbant impios diuites esse, & prospere agere, & sanctos sæpius uarijsq; modis adfligi, ideo iudicabant ex his, aut malos gratos esse Deo, & bonos ingratos, aut deum non habere prouidentiam de his inferioribus. Proinde enim dixerunt, aut certe ubi est Deus? Quid. Si ubiq; esset, & de omnibus prouideret, certe cum iustus sit, non sineret impios prosperari, & pios adfligi.

Hæc est tentatio omnium ferme electorum, quam psal. 72. apertissime exprimit spiritus sanctus, loquens in persona fidelis tentati. Quam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens &c. Lege psalmum ipsum, quandoquidem totus in hac re est, & uidebis, quàm miro consilio Deus fideles tentatos esse uelit, & illos tandem consoletur. Videbis quoq; miram Dei manũ, aduersum impios, quos sic diuitijs in tempus opplet.

Sic tentabantur olim sancti ex Israël, uidentes amplas gentium diuitias, & Israëlis pressuras. Verum nonnulli

ex eis,

ex eis, adhuc infirmi, & alij forsan reprobi, super his scandalizabantur. Propter quod iratus fuit Dominus, *uerum immutabiliter, odiens præscriptas locutiones, quæ ab incredulitatis fonte proficiscebantur.*

CAPVT TERTIVM.

Summarium capitis. Primum, *de Iohannis* Baptistæ *prædicatione, & quòd illum* Dominus *secuturus esset. Secundo, de gloria aduentus* Domini IESV *Christi. Tertio, quòd per eum electi sint purgandi & innouandi, & de ueris* Ecclesiæ *sacrificijs.* Quarto, *de reprobatione omnis impietatis, & iudicio spiritus* Dei, *& de ipsius dei immutabilitate.* Quinto, *qua ratione deum supplantabant.* *Sexto, admonet ad resipiscentiam, & meliora spondet.* *Septimo, de hypocritis & infirmis, de* Domino *murmurantibus.* Octauo, *ponitur sermo timentium* Dominum, *& de illo bene sentientium.* Nono, Deus *promittit se timentibus, quòd sint illi futuri in peculium.*

PARS PRIMA.

ECce ego mitto angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Et statim ueniet ad templum suum dominator quem uos quęritis, & angelus testamenti quem uos uultis.

Certum

CErtum est ex Matthæi capite undecimo, hunc angelum primo loco positum, Ioannem Baptistam esse. Ait enim Dominus. Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, & præparabit uiam tuam coram te. Quod si ita est, profecto dominator quem quærebant, & testamenti angelus quem uolebant, Christus est. Hunc enim quærebant, & uolebant, nedum Iudæi, sed & uniuersi omnium gentium electi. Proinde in scripturis uocatur desiderium collium æternorum. Et desideratus cunctis gentibus.

Igitur est hic manifestissima de Christo prophetia, in qua primum obserua personam loquentis: Certe is est Pater, qui mittit filiũ, ideo Christus sensum magis expressit, allegans manifestissime hunc locum, de patre ad eum loquente, ut mox habuisti. Qua ratione autem ualeat Malachiæ textus de patre loquente accipi, non erit difficile, si obserues dictum illud seruatoris. Ioan. 14. Ego in Patre, & Pater in me est. Profecto si unus in alio est, qui est coram facie unius, etiam corã alterius facie est. Bene ergo congruit textus iste, ut sit Patris sermo dicentis. Ecce ego mitto, id est, mittam (quod & Septua. habent) angelum meum Ioannem Baptistam, non Heliam secundum persoNam (ut Hebræi putant) sed secundum spiritum. Et præparabit uiam, ante faciem meam, id est, ante filium meum, in carne uenturum, qui unus mecum est. Et ideo Ioannes, quem ante illum mittam, certe ante me uenit. Ipse enim & ego unum sumus. Ioan. 10. Et qui uidet filium, uidet

uidet & patrem. Ioan. 14. Et qui ante faciem filij uenit, idem uenit ante faciem patris. Porrò hæc præparatio nõ est alia à prædicatione Ioannis, atq; Baptismate, in nomine Christi tum uenturi. Venturi quidem, non in mundum, quandoquidem iam uenerat, sed in ministerium uerbi, quod nondum inceperat annunciare, quod nondum uenisset hora eius. Nihil enim facere potuit, nisi sicut immutabiliter ab eo præfinitum erat, nempe, ut singula proprijs temporibus fierent. De hac Ioannis præparatione prophetauit Esaias, sui libri cap. 40 dicens: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Quem locum Lucæ. 3. explanauimus.

Sequitur. Et statim, mox scilicet posteaquam angelus ille præpararit uiam, ueniet ad templum sanctum suum, quod erat Hierosolymis, in quo Dominus prædicauit sæpius. In templum quoq;, id est, in Ecclesiam, quæ templũ Domini est, ut multis locis probauimus, præsertim Zachariæ. 6. Quis uenit in hoc templum? Dominator Christus quem uos electi quæritis, credentes eum uenturum, & angelus, id est nuncius testamenti, id est pacti, qui scilicet uobis annũciabit pactũ, imò faciet pactum, quo remissionem peccatorum, & Dei gratiam consequamini ex fide, quem dominatorem & angelum, uos uultis. Hunc carnales, & sancti differenter quærebant, & uolebant. Nimirum electi eum desiderabant, sed alio spiritu quàm increduli, nempe, ut per eum fieret omnium instauratio. Contra reprobi & carnales, diuitiarũ amplitudinem, Israëlis

gloriam

gloriam & regnum secundum carnem instaurari, deiectionemq́; omnium hostium suorum per Christum expectabant, quo errore miseri Iudæi, usq; hodie tenentur. Dominus illustret eos.

PARS SECVNDA.

Ecce uenit, dicit dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad uidendum eum?

NOn puto eos audiendos, qui hunc locum ad secundum aduentum Domini, nempe, ad iudiciũ retulerunt. Diximus enim aliquoties, atq; probauimus, in Prophetarum enarratione id summe uitandum, ne in eadem prophetia, contextum sensus immutemus, nisi textus circunstantia, ad id cõpellat. Manifestissimũ autem est, quæ hic habentur connexa esse. Proinde nihil dubitarim, de priori Christi aduentu capienda.

Igitur posteaquam Christum dominatorem & testamenti angelum, uenturum semel dixit, idem secundo adserens replicat, dicens. Ecce uenit, præteritum pro futuro, ob certitudinem. Ac si diceret: Credite his uerbis firmißime, certissime namq; ueniet. Nihil dubitate, sed confidite. Porrò quod mox subnectit, nempe: Et quis poterit &c. ad patres & sanctos, qui illius aduentum præcesserunt

runt spectat. Alius uero uersus, nempe: Et quis stabit &c. spectat ad eos, qui secuti sunt.

De præcessoribus ergo aduentus eius ait: Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Nemo putet hanc cogitationem, simplicem quandam memoriam esse (si tamen memoria, futuris competit) ut dum quis memoratur amici, aut de eo cogitat, quòd sit doctus, sed signat perfectissimam notitiam, quam electis etiam tum infudit spiritus sanctus, quo fide & spiritu, CHRISTI aduentum noscebant & certissimi de eodem erant, pro eodemq́; lætabantur. Hanc cogitationem habuit Abrahamus, cum exultauit, ut uideret CHRISTI diem, uiditq́; eum, & gauisus est. Sensus præscripti uersus est: Nemo poterit suo sensu, suaq́; sapientia, peruenire ad id, ut possit spiritu nosse, & pleno corde credere diem aduentus eius, & nihil dubitet eum uenturum in carnem ad omnium electorum salutem.

Verum si quis ad id Dei munere peruenerit, nemo eo felicior, quòd ipsa cogitatione, notitia, scientiaq́; salutis, nihil utilius, sanctius, amabilius, suauiusq́; haberi possit. Hæc quippe notitia, est uita æterna, quam dum habuerunt patres illi, eandem nobiscum escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. 1. Corin. decimo. Quod autem CHRISTVS sit esca & potus, liquet Ioan. sexto. Hunc diem Christi, quisquis, sicut prædiximus, cogitat, in eo est.

Qui

Qui dies tametsi fuit semel, nempe, tum cum uenit, lux ueruntamen eiusdem diei, in omnium electorum & fidelium corda irradiat, dum credūt. Sic irradiauit in corda fidelium, qui fuere ab initio, & irradiabit usque in finem. Proinde unus dies est, totum tempus ab aduentu Domini IESV, imò à mundi principio, in quo soli electi sunt, & quidem tum solum dum credunt. Sunt in eo quandoque reprobi, sed non permanent in eo. Apostatant enim ab ea luce, in mendaciorum hominum tenebras, in hoc blasphemantes spiritum Dei, quos rursum per pœnitentiam renouari impossibile est. Hebræorum sexto. O quàm felix, qui potuit cogitare diem aduentus eius. Si quis dicit hunc uersum, etiam ad eos qui DOMINI aduentum secuti sunt pertinere, non contra dicimus, conuenit enim.

Hunc sic uerterunt Septuaginta. Et quis sustinebit diem introitus eius? Et est sensus: Tam admirabilis erit Christi in mundum introitus, & tam terribilis & horrendus carnalibus, quod nemo ex se sustinebit eum, imò impossibile est, ut quisquam non renouatus spiritu IESV Christi, sustineat aduentum eius, aut ueritatis eius. Conuenit autem cum nostra uersione, quòd nemo ex se posit cogitare aut nosse, diem aduentus IESV Christi, nec de eo cogitationem sustinere quidem.

Iam uide, quā sit impatiēs omnis caro, in his quæ ad Dominū nostrum IESVM Christū spectāt, ut pati nequeat,

 ut uel

ut uel ſolum cogitet de die aduentus eius. Quia autem uniuerſa Dei eloquia, ad ipſum diem attinent, nemo carnalium ea ſuſtinere poteſt. Hinc uides, quòd mox ubi uerbum Domini, incipit alicubi annunciari, uniuerſa perturbantur, q, fieri nõ poſſit, ut carnales ipſum uerbũ ſuſtineãt.

Christo quoq; & Apoſtolis prædicantibus, mundus totus fuit perturbatiſſimus. Noli ergo terreri, dum uides impios, non poße Chriſti ſuſtinere introitum, nec de eo cogitare quidem, ac eorum Synagogas perturbari. Nimirũ poſitus eſt in ſignum, cui contradicatur. Et Chriſti introitus, ac præſentiæ uerbi eius ſignũ certiſsimũ, eſt carnalium perturbatio. Vide quàm bene cõſentiant ipſæ uerſiones, è quibus altera per alterã notior fit. Beatus ergo qui illuſtratus à Dei ſpiritu, potuit olim, aut amodo poterit ſuſtinere cogitationẽ diei aduentus Domini IESV Chriſti.

Sequitur. Et quis ſtabit, ad uidendum eum? Septua. Et quis poterit ferre, ut adſpiciat eũ? Idem uult ſpiritus ſanctus, quod in uerſu præcedenti, nempe, quòd nemo nõ renouatus, poteſt ſuſtinere, nec noſſe Dominum IESVM Chriſtũ. Puto ueruntamen, quòd maxime ſpectet ad eos, qui aut ipſius Chriſti diebus, aut mox poſt eũ erãt. Nullus aũt putet hunc locum, de adſpectu Domini corporeo adcipi, ſed de uiſu & adſpectu fidei. Oſtenditur quoq; ex hoc loco, quàm terribilis et intolerabilis erat futurus Dominus IESVS Chriſtus, carnalibus cunctis, et ſimul his, qui uere nouerunt eũ, tametſi differenter. Senſus etenim

eſt

est: Nemo ex *se poterit ferre, ut uideat Christi magnitudinem, imò nec umbram quidē eius.* Non *potuerunt ferre illum* Iud*æi, mox cupientes eum extinctum, sic nec gentes, nec modo* Antichristi.

Modis *quippe omnibus adnituntur, ut eum pellant. Sancti quoq; etiam maxime à* Domino *illustrati, & Christum agnoscētes, nisi à* Domino *adiuti, nunquam possent Christi sustinere magnitudinē & gloriam, donec in mortali carne sunt.* V*nde non nisi guttula quædam suæ magnitudinis, fidelibus hic reuelatur.* O*bserua autem unde maxime, à se nemo eum ferre posit.*

PARS TERTIA.

Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans quasi argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt domino offerentes sacrificia, in iustitia. Et placebit domino sacrificium Iuda, & Hierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.

M*etalla igne conflantur, & purgantur.* C*hristus aūt dicitur quasi ignis cōflās, eo quòd suo spiritu absumat, quidquid spectat ad carnem, et damnet*

 quid-

quidquid impia sæculi prudentia adprobat, & laudat. Quod dum filij huius sæculi nō sustinent, sumpta ex hoc occasione, omnia tumultibus implent, ut in uersibus superioribus habuisti. Igitur sui spiritus ignē mittit, ut adurat & expurget argentū et aurū, hoc est, electos, à scoria. A quo, qui se sinit aduri, beatus est, nimirum fit purgatissimus, deoq; acceptissimus. Hanc quoq; purgationē, figurat herba fullonū, qua scilicet uestes expurgare soliti sūt.

Herba fullonum

Sequitur. Et sedebit conflans, et emundans, nō dubiū quin electos et fideles, quasi argentū. Loquitur more conflantiū argentū, aut aliquid arduū operantiū, qui sedere consueuerūt, dum operātur, et designat perfectā electorū conflationē, et purgationē. Et purgabit filios Leui, quod in Apostolis ac cæteris ex tribu Iuda & Leui cōuersis, impletū est, implebitur aūt generalius, in postrema Israëlis cōuersione. Tametsi per Leuitas, uniuersos Ecclesiæ ministros intelligimus, etiā qui nunc administrant, nēpe, Episcopos, & Diaconos. Et purgabit eos, Leuitas, quasi aurū et quasi argentū, ut suprà. Et tū, cū purgati fuerint, erunt Domino offerētes sacrificia, nō iam animalium, ut olim, sed ī iustitia, quæ ē ex fide, ex ea uiuētes et operātes. Et tū placebit Domino, sacrificiū Iuda et Hierusalem, sicut à principio, cū Abrahamus, et alij sancti ex fide sacrificabāt. Et hoc est quod prædixit spiritus sanctus, per os Dauidis. Psal. 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare

tuum

tuum uitulos. De his ſacrificijs, plura ſcripſimus ſuprà cap. primo.

Obſerua duo, primum, quòd tametſi ſolo Chriſti ſpiritus igne, credentes purificantur, quòd is ſit ignis, quem miſit in terram, ut uehementer accenderetur, ipſe ueruntamen CHRISTVS ſolitus eſt, his quos ſuo purgat aut uult purgare ſpiritu, ſimul ignem ſuæ crucis mittere. Vult enim, ut tanquam aurum in fornace probentur. Sapien. tertio. quòd non ſit maior ſeruus Domino ſuo. Propter quod etiam ipſe DOMINVS conflator nuncupatur.

Secundo, quia Iuda & Hieruſalem Eccleſiam figurant, non dubium, quin hic locus, de ea etiam capiatur, cuius ſacrificia, Domino nunquam non ſunt gratiſſima. Nimirum ex fide omnia faciunt, ex eaq; uiuunt uniuerſi filij eius.

Addam & tertium, non obmittendum, quòd Eccleſiæ ſacrificia dicuntur placere Domino, ſunt dies ſæculi, & anni antiqui, hoc eſt, ſicut placuere, quæ à ſanctis illis priorum ſæculorum, Enoch, Noë, Abraham, Moſe, & reliquis oblata fuere. Vnde argumentum habes, quòd eadem per omnia fuere à mundi principio, credentium ſacrificia, nempe, quòd oĩa ex fide operati ſunt, & idem omnino reſpexit Deus in illis, quod in nobis, nempe, fidem. Semper enim uerũ fuit illud Hieremiæ quinto: Domine, oculi tui reſpiciunt fidem. Admodum ergo aberrarunt.

Error q[illegible]

rarunt, uniuersi qui dixerunt, Deo esse gratiora sacrificia, quæ nunc fiunt, quàm ea quæ sub lege, sancti Deo obtulerunt. Sacrificium enim quod Deus respicit, in corde est. Parum autem immo nihil retulerit, quo signo cordis sacrificium protesteris. Idcirco quæ ad extrà olim fuere sacrificia, nihil plus aut minus Deo grata fuere, quàm secundū mensuram fidei, quā habuerunt, et idem penitus sentiendū, de uniuersis nostris externis sacrificijs, id est, operibus ex fide. Siquidem aut fide aut incredulitate, oīa quæ à nobis sunt, metitur Deus.

Verum nō proinde instituta fuere in uanum, uetera illa animaliū sacrificia, quod tamen uideretur sequi, ex eo quòd nihil plus aut minus, grata erant domino ipsa sacrificia, quàm quæcunq; opera ex fide. Nimirum ob duo maxime ea constituit Deus. Primo, in figuram immolationis Christi agni immaculati, qui pro nobis fuit in cruce oblatus. In eo enim fuit omnium sacrificiorum legis ueritas consummata. Vnde & morti uicinus, pendensq; pro nobis salutis hostia, ait: Consummatū est. Ioan. 19. Secundo, [illegible]gurā mortificationis ueteris hominis, in electis omni[illegible]perum ex fide, quæ etiam in ueteribus illis sanctis [illegible]sciebant Deum, ex animaliū sacrificijs id uelle. Q[illegible]nius figuratiuæ immolationis ueritas implet[illegible]delibus, ideo in ultima Ezechielis uisione, quæ à cap. 40. incipit, et aliâs sæpe in pphetis, prænūcians spiritus sanctus, Israëlis ad Dominū tandem conuertendi, & omnium

omnium fidelium uera sacrificia, de quibus in superioribus, maxime capite priori actum est, secundum figuram in faciẽ literæ id facit, multa scribens de uitulis, arietibus, hircis, agnis, panibus mẽsæ Domini, olei mẽsuris, alijsq; id genus, tu aũt hæc semper intelliges, de his quæ per hæc figurantur. Confidimus autem in Dominum, quòd de his plene breui agemus apud ipsum Ezechielem.

Aliam rationem assignant nonnulli, nempe quòd ne Israélitæ ad hæc idolis immolanda Gentium exemplo prouocarentur, iussit ea in templo suo sibi offerri. Nos hanc rationem nullam eße putamus, nec credimus id uoluisse Deum. Nam si de timore idololatriæ id agitur, per id nequaquam ab idolorum cultu reuocati fuere, quinpotius per legem auctæ fuere illorum transgreßiones. Duæ ergo præscriptæ rationes sunt potiores. Quandoquidem præcipere, ut hæc sibi quispiam offerat, non est reuocare animum ab opposito, lex enim non reuocat impios à malo, sed iritat, ut peiores fiant, & per eam peccata augentur. Solus autem Dei spiritus à malo uere reuocat, & facit, ut lex uoluntarie seruetur. Alioqui impius hominis sensus ex sancta ueritatis lege, quam odit, sumit occasionem, ut magis peccet, ut etiam si in faciem eam seruet, animo sit illius maxime transgressor, ex incredulitate & odio legis, & sic vides, q̃ dum sumus sine spiritu, peccata in nobis ex lege, uel per hypocrisim maxime augentur. Quod si cui placet hæc posterior ratio, proinde illum minime damna

mus. Vtcunq; enim tolerabilis est, quod diuinis eloquijs nihil aduersetur. Verum interim sciat, quòd hæc externa sacrificia non nisi meliorum hostiarum figuræ extiterunt, & ideo ob res figuratas maxime instituta fuere.

PARS QVARTA.

Et accedam ad uos in iudicio, & ero testis uelox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercennarij, uiduas & pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituũ.

Et hanc quoq; partem de ultimo illo iudicio complures enarrant, quod illis quidem permittimus, uerũ ex textus ordine nihil minus arbitramur, hic uelle spiritum Dei. *De iudicio nanq; spiritus* IESV *Christi, quo mundum in fidelibus, uel per eos reprobat & damnat, hic locus intelligitur, quemadmodum &* Dominus *ipse* Ioan. 12. *ait:* Nunc *iudicium est mundi.* Et Ioan. 16. *de ipso spiritu* Christus *dicit:* Ille *arguet mundum de peccato, de iustitia & de iudicio. Posteaquam enim de fidelium purgatione, & ueris illorum sacrificijs egit, nunc subnectit de iudicio, quo per spiritum suum in eis iudicat.*

Ait ergo: *Et accedam ad uos per spiritus mei illustrationem.*

tionem· Tum quippe Dominus ad nos accedere dicitur, dum nos illustrat, aut alioqui nos iuuat, uel aliquid aliud in nobis operatur, ut dum nos punit· Accedam, inquit, ad uos, in iudicio, tribuens uobis spiritum meum, per quem solum secundum ueritatem iudicium est. In uobis meo spiritu iudicabo de omnibus, docens quid amplectendum, quidue reprobandum· In uobis iudicabit & damnabit ipse spiritus omnem impietatem· Ergo hoc iudicium significat nedum rectum in omnibus sensum, sed & reprobationem impietatis· Summa, hic est sensus huius loci: Ego uobis infundã spiritum meum, spiritũ, inquã, iudicij et ardoris, q uos docebit, quid piũ, quidue ĩpium, et omnẽ ueritatem: simulq; omnẽ iniustitiã condemnabit, qđ manifestius ostendit ex eo, qđ sequitur: Et ero per ipsum spiritũ testis uelox maleficis etc· Velox, hoc est, festinus, mox ostẽdẽs maleficis & oĩbus impijs q mala sint admodum opera eorum, & nunq̃ uel ad momentum illis cõsentiens· Nõ ero tardus testis, sed mox reuelabo, q̃ malũ sit, esse criminibus irretitũ, & non acquiescere uerbo meo. Hinc habes argumentũ, q fieri nõ possit, ut fidelis & habens Christi spiritum non semper odiat & condemnet omnem impietatem·

Porrò speciatim enumerat aliquot scelerosorum genera, nempe maleficos, seu ueneficos, adulteros, periuros, mercennarium in iusta mercede fraudantes, calumniantes uiduas & pupillos, opprimentes peregrinos, & omnes

mnes qui non timent eum, per quos uniuersos impios intel ligit. Vide autem, quàm grauia sint crimina, adulterium, periurium, fraudare mercenarium, & affligere peregrinum, dum inter grauissima supputantur, ab eo qui omnia perfectissime nouit. Hæc iudicat & condemnat spiritus I E S V C H R I S T I, *etiam in electis suis, faciens, ut si quid ex his aliquando perpetrarunt, summe odiant & damnent, mortificentq́; in seipsis opera & desyderia ueteris Adami, quærentes semper magis renouari per* C H R I S T V M I E S V M. *Quia autem his, in quibus spiritus sanctus damnat impietatem, & sanum operatur iudicium, salus uera est, ideo electis ex Israël promittit, quòd id faciet in eis, ne pereant, sed salui fiant, stetq́; promissio sua, qua spopondit se redempturum ab omni iniquitate Abrahæ semen. Vnde & subdit:*

Ego enim Dominus, & non mutor, & uos filij Iacob non estis consumpti. A dieb. enim patrum uestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me, & reuertar ad uos, dicit dominus exercituum.

Vere memorabile uerbum, quo manifestissime omniū Dei sermonum immutabilitas ostenditur. Quid enim

sermones

ſermones ipſi, niſi teſtimonia certißima diuinæ uolunta=tis? Siquidem ipſa Dei uoluntas, ſpiritus eſt ſermonum eorundem. Conſolare ergo ô fidelis, ipſis DEI ſermonibus, quandoquidem nihil ad ueram animi pacem efficacius eſt.

O uere magnum uerbum: Ego Dominus, & non mutor. Et quis ſatis poterit illud expendere? Si non mutaris Domine, & tuæ immutabilis uoluntatis teſtimonia ſunt ſcripturæ tuæ, certe poſt tenebras malorum huius ſæculi ſperamus lucem tuam, & eripies nos à malis omnibus. Et quidem id facturus es, qui non mutaris, implebisq; omnes ſermones tuos. Da nobis domine, ut uere ſciamus hoc uerbum tuum, & uim eius. Ego Dominus, & non mutor. Tu DOMINVS ſolus, qui omnia potes, cui nihil difficile eſt.

Præter te nullus uere Dominus, quòd multa non poſſint omnino, & ſine te nihil penitus. Deniq; tibi ſubſunt, & tu ſuper omnes es. Quod promittis, certißime facturus es, quòd non muteris, & nihil non poſſis. Quod prædicis, eueniet, & neceſſario quidem, pari ratione. Hinc ſermonum tuorum ueritas & æternitas eſt. O uerſum inſignē, in horas ſingulas meditandum & replicandum.

Per hunc maxime locum confirmat, quod multis locis de ultima Iſraëlis conuerſione ſcripſimus. Promiſit ei Dominus, quòd quantumlibet abijceretur, tandem rediret ad eum, & acquieſceret ueritati. De quo uide Amos. 9.

Sed

Sed non mutatur, & id præstare facile ei est, ergo faciet, & uere faciet. Vtinam uiderem dies illos, qui certissime futuri sunt. Nimirum præscriptum uerbum est uelut responsio, si quis inquireret. Cur tu, ô Deus, accedes ad Israëlem in iudicio, & eris testis uelox omnibus criminibus eius, modo quo prædiximus? Ait Deus: Ideo sum id facturus, quòd salutem & misericordiam semini Abrahæ promiserim. Sum quoq; Dominus, qui id præstare ualeo, & non mutor, ideo fieri non potest, ut ipsum meæ promißionis uerbum non impleatur. Propter hoc uerbum uos filij Iacob quantumlibet fueritis uarijs malis afflicti & contriti, tamen non feci uobis, nec sum facturus, ut Sodomitis & Gomorræis, ac alijs gentibus, quas deleui. Non enim estis consumpti. Ecce nunc etiam impij admodum ac pleni criminibus estis, à diebusq; patrum uestrorum recessistis à legitimis meis, nec custodistis ea, uerum reuertimini ad me, & ego reuertar ad uos, dicit DOMINVS exercituum.

Reuerti & conuerti idem est. Diximus primo Zachariæ capite, præcedere conuersionem Dei ad nos, quod non possit quisquam ad dominum conuerti, nisi prius eum dominus suo spiritu illustrarit. Quid est ergo, quod nunc prius dicit: Reuertimini ad me, & postmodum adijcit: Et ego reuertar ad uos? Obserua ad id, duplicem esse Domini ad nos conuersionem. Primam, qua nos illustrat, & trahit, ut ad eum conuertamur. Secundã, qua iam conuersos ma

gis

gis illustrat, & copiosius sui spiritus muneribus donat, aut alioqui iuuat. Nimirum omne Dei auxilium, quædam illius ad nos conuersio est. Prima conuersio præcedit nostram. Secunda uero eam subsequitur.

PARS QVINTA.

Et dixistis: In quo reuertemur? Si affigit homo Deum, quia uos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitijs. Et in penuria uos male dicti estis, & me uos configitis gens tota.

Cæca est caro, & omne iudicium eius fallax, idcirco nesciebant & nõ uidebant cæci homines, quid mali erat in eis, à quo reuerterentur ad dominum. Proinde iubenti domino ut resipiscerent, & ad eũ reuerterẽtur, cæci non intelligebant impia esse, quæcunq; eorum opera ob incredulitatem, sed magis æstimantes iusta & pia esse, ipsi domino responderunt: In quo reuertemur? Ac si dicerent: Non agnoscimus in nobis eam impietatem eaq; scelera, nec auersi sumus à te, ut dicere nobis debueris: Ad me reuertimini. Nonne colimus te? Nõne facimus quod ualemus? Sic impia caro propriam, eandemq; sordidissimam iustitiam, etiam coram oculis Domini iactare

non

non erubescit, & uix peccata illa craßiora pro peccatis habet.

Sed quid respondit Dominus. Si affiget homo deum? Quia uos configitis me. Septuaginta uerterunt: Si supplãtat homo deum? quia uos supplantastis me. Et dixistis: In quo supplantauimus te? Et paulo post, ubi nos habemus: Me uos configitis. septua. habent: Me uos supplantatis. Quod magis congruit, tã sensui, quàm Hebræis codicibus. Haijkba enim Hebræa uox, supplantare eorum iudicio significat, quos & nos in nostra enarratione sequemur. Igitur primũ id obseruandũ, q, improprie quis deũ supplantare dicitur. Verum, ut sæpe diximus, de deo scriptura multoties loquitur, ut de hominibus, ipsæ autẽ locutiones non sunt alioqui, quàm deo conueniunt, exponendæ. Iudæi non reddebant Leuitis decimas, sicut deus præceperat, sed clàm multa suffurabantur ex iure ministrorum templi Dei, & per id quantum in eis erat, fraudabãt dominum suo iure, quod fraudulenti est hominis, propter quod Deum non incongrue supplantaße dicuntur.

Ait ergo: Si supplantat homo Deum? Ac si d. Hoc nemo potest, nec debet id uel cogitare quidem. Idcirco autẽ id dico, quia uos quantum in uobis fuit, supplantastis me. Et neq; id profiteri uoluistis, sed contentioso animo respõdistis mihi. In quo supplantauimus te? In decimis & primitijs, non reddendo easdem ministris meis Leuitis, prout in lege constitui. Attamen p hac supplantatione maledicti

estis

estis penuria. Credidistis non reddendo ipsis Leuitis, quæ iussi, ditiores fieri, sed propterea in egestatem decidistis. Et sic me supplantatis gens tota, hoc est, uniuersi. Nō puto q̃ nullus decimas ac primitias redderet, sed quòd fermè omnes, aut maior pars in hoc peccabat.

Si Israëlitæ tum dominum supplantare dicebantur, cū non dabant Leuitis, quod illis reddi iußerat, profecto supplantatores Domini sunt, quicunq; non dant proximis, quæ ille iußit, ut eleemosynam pauperi, mercedem mercenario, mutuum fratri petenti & indigenti, & similia. Putant multi se per id ditandos, sed fieri nō potest, ut hi fraudulenti non proinde male habeant, & diuitiæ male partæ diu eße nequeunt. Festinanti quippe ditari, egestas ueniet, & nescit. Prouer. 28. Festinat autem ditari, qui contra uerbum Domini, & spretis proximis id facit. Cæterum dans pauperi, non deficit, dum interim abscondens oculos suos, hoc est subtrahens misericordiam à paupere, multiplicat penuriam. Prouer. 28.

PARS SEXTA.

Inferte omnem decimam in horteum meū, ut sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus. Si non aperuero uobis cataractas cœli, & effudero uobis benedictionem usq; ad abundantiam. Et increpa-

bo pro uobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ uestræ, nec erit sterilis uinea in agro, dicit dominus exercituum. Et beatos uos, dicēt omnes gentes. Eritis enim uos terra desyderabilis, dicit dominus exercituū.

Apertior est hic textus, quàm ut longa expositione indigeat, tantum id obserua, q deuorans ille, de quo hic dicitur, quòd Deus sit illum increpaturus, uermes illos omnia corrodētes, nempe bruchum, herucā, locustam, item rubiginem, seu uentum adurentem significat. Hæc si resipuerint Israëlitæ, promisit se increpaturū, hoc est, expulsurum & amoturum, ne fructus absumant. Obserua quoq; in eo quòd dominus ait: Probate me super hoc, quod non intelligitur, q Deum tentarent, cum scriptum sit: Non tentabis dominum Deum tuum, sed hic est sensus. Facite quod iubeo de primitijs atq; decimis, & tū probate, id est, probabitis ac uidebitis me super hoc, uel in hoc. Scilicet agnoscetis, quàm auxilier his, qui sermonibus meis acquiescunt.

Ad hæc, quia domus siue templum Domini, Ecclesiæ typus est, cibus eiusdē domus ministris eius necessarius, est quicquid uerbi ministris opus est. Non enim congru it hoc

it hoc loco, ut secundum allegoriam per cibum aut Christum, aut uerbum suum capiamus. Oportet enim intelligi, de his quæ à populo ministris Ecclesiæ, uniuersis scilicet Episcopis ac pauperibus fratribus sunt danda. Ministri enim populo Dei sermones dispensant, non populus ipsis.

Ait ergo Dominus: Inferte omnem decimam in horreum meum, in horrea scilicet sacerdotum. Hæc ueteribus illis, nunc autem fidelibus ait, ut abunde pauperibus omnia dispensent, pro mensura eorum, quæ à Deo acceperunt. Et utinam fidelium quisque decimam ad minus ex omnibus, in usus pauperum tam ministrorum Ecclesiæ, quàm aliorum segregaret. Nimium enim execrabile in multis est, quòd nunc reuelato Euangelio, quia ex eo docemus, sicut & uerum est, decimas, primitias, & oblationes, non deberi ex uerbo Dei, Episcopis illis aut sacrificulis regni perditi cessant ab his reddendis, sed nihil interim miserentur proximorum indigentium. O infelices & cæcos homines. Olim adhuc regnantibus errorum tenebris, Pharisæis et sacrificulis, omnia fermè largiebātur: & nunc fulgente gloria uerbi domini, quod maxime exigit, ut fides sit per charitatem operosa, nihil omnino tribuunt. Sic miseri, sic audetis fraudare & supplantare dominum? Date & inferte abunde, et cum fiducia, in manus pauperum seruorum Dei. Facite ut sit cibus in Ecclesia uniuersis indigentibus. Et uere nullus fidelium deberet, quantum liceret per opes

ditiorum egens dimitti. Et certe maledicti sunt, qui haben tes quod poßint, non distribuunt egenis, etiam peregrinis. Non enim licet audire eos, qui dicunt, solis conciuibus distribuenda, quæ in urbe qualibet in usus pauperum congregantur, quòd in tam multis locis iubeatur hospitalitas, & Esaiæ quinquagesimooctauo dicatur: Frange esurienti panem tuum, & egenos uagósque induc in domum tuam.

Profecto si hæc seruarent uniuersi, qui Christi nomine gloriantur, nihil infelicius haberent, quinpotius dominus benediceret tam illis, quàm omnibus quæ ad eos spectant, & nihil eis nocere posset. Et quis possit recensere, quàm mirifice deus benedicat sanctis misericordibus? Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Matt. 5.

PARS SEPTIMA.

Inualuerunt super me uerba uestra, dicit Dominus. Et dixistis. Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui seruit deo. Et quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes. Siquidem ædificati sunt facientes impietates, & tentauerunt deum, & salui facti sunt.

Quæ

Quæ suprà in fine capitis præcedentis, de facientibus laborare dominũ suis sermonibus, habuimus, hic latius & plenius habes. Inualuerunt (dicit dominus) uerba uestra super me, id est, contra me. Sed id nõ agnoscebant impij & carnales, unde & dicebant: Quid locuti sumus contra te? Quibus Dominus: Dixistis: Vanus, stultus, & sine fructu est, qui seruit Deo, qui scilicet fidit illi, & acquiescit omnibus præceptis eius. Hæc est malicia, hoc est peruersissimum iudicium omnium hominum, quos non docuit spiritus sanctus.

Credere & ex fide uiuere, est seruire Deo, quod impij rem uanam & stolidam putant, propter quod & dei seruos pro stultis habent. Hoc profitebatur uerum Paulus, in sua & omnium fidelium persona dicens: Nos stulti propter Christum. Vident impij iustos à Deo castigari uarijs modis, & nesciunt hanc esse uirgam filiorum. Vident eorum fermè perpetuam crucem, & nesciunt opus eße, ut transeant per ignem & aquam, donec educantur in refrigerium. Et si caput electorum sustinuit contradictionem & persecutionem ab impijs, qui fit, ut non omnes serui eius idem perferant, cũ domino suo maiores haudquaquam sint? Hæc uident cæci, & scandalum patiuntur. Vident autem apertos ueritatis hostes, ditatos, impinguatos, dilatatos, quòd eorum filij sicut nouellæ plantationes, & filiæ circumornatæ, ut templi quædam facies: denique promptuaria eorum plena, oues eorum fœ

tosæ, & boues crassæ. Non est ruina maceriæ neq; transitus, neque clamor in plateis eorum. Et beatum dicunt populum, cui hæc sunt. Sed nequaquam ita est, nimirum solus ille populus beatus est, cuius dominus Deus eius. Psalm. 143.

Igitur increduli & hypocritæ ex Regno Iuda, æstimantes sortem iniustorum meliorem esse, dicebant, ut & nunc dicunt falsi credentes: Vanus est, qui seruit DEO. Vnde autem moti fuere, ut id dicerent, subiunxerunt: Et quod emolumentum, quis fructus, quæ utilitas, quia custodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes coram DOMINO DEO exercituum? Quasi dicerent: Nihil nobis inde accessit. Sed mendacium locuti sunt, quia DEO nunquam seruierunt. Nam qui ob terrenum emolumentum quidquam eorum, quæ DEVS præcepit, adimplet; non nisi in faciem, & in hypocrisi quicquam facit. Et ideo nihil minus, quàm DEI uoluntatem facit. Summe nanque detestatur hypocrisim DEVS. Porrò ipsam eorum hypocrisim abunde testati sunt, cum dixerunt: Ambulauimus tristes. Et DOMINVS ait: Nolite fieri uelut hypocritæ tristes. Siquidem proprium est hypocritis, ut in omnibus, quæ DEVS iubet, tristes sint, quòd non ex animo illa faciant. Vnde fieri non potest, ut conscientiæ gaudio repleantur, ac participes sint olei lætitiæ, qd' solis fidelibus uere infunditur. Hypocritæ igitur erant, & propter hypocrisim loquebantur

bantur contra Dominum, *qui non tristes hypocritas, sed hilarem inquirit datorem.*

Vide quòd non possint diu abscondi hypocritæ, ut non manifestum faciant, quod sunt, nempe hostes DEI. Nam *quia tristes sunt, & humanum cor perpetuæ tristitiæ est impatiens, idcirco etiam ab his operibus, quæ in faciem habere uidebantur, apostatant, ut uel in carne læten tur.* Q*uia enim emolumentum, non* Dei *gloriam ex proprijs quærebant operibus, ubi pro eorum reprobo desyderio non recipiebant, ad id tandem deducti sunt, ut* Dei *cultum reprobarent.* Is *nanque est hypocriseos fructus, & quidem mortiferus, damnare cultum* Dei, *& dicere:* V*anus est, qui seruit* Deo.

Sed quid ultrà dixerunt? Ergo *nunc beatos dicimus arrogantes, impios, superbos.* Q*uid fingis te diligere ueritatem, ô hypocrita?* Q*uandoquidem fieri non potest, ut quantumlibet te in faciem bonum exhibeas, animo non damnes cultum* Domini, *& laudes iniquos.* Sic *ut olim impij ex Iudæis, beatos dicis arrogantes, & asseris ædificatos, ditatosq́;, ac saluos factos, omnes impios & tentantes* Dominum. *Sed nescis, cum cæcus sis, quòd eorum ædificatio, instar puncti est.* Videbis *impium super exaltatum & eleuatum, uelut cedri* Libani, *sed si post modicum transieris, non apparebit.* Ad *id habes totum* P*salmum septuagesimum secundum:* Q*uàm bonus* I*sraël* Deus, *&c.*

PARS OCTAVA.

Tunc locuti sunt timentes DEVM, unusquisque cum proximo suo. Et attendit DOMINVS, & audiuit, & scriptus est liber monimenti coram eo timentibus DOMINVM & cogitantibus nomen eius.

QVANDO *hypocritæ blasphemant uerum* DEI *cultum, timentes* DOMINVM, *ueri scilicet fideles, qui norunt & profitentur magnum* DEI *nomen, locuti sunt: Quid? Nonnulli dicunt, eorum sermones haudquaquam hic positos.* Ego *diuersum sentio, nempe, quòd sermones hic mox positi, usque ad principium partis sequentis timentium* Dominum *eloquia sint.*

Quid igitur dixerunt, non tristes illi, fallaces & hypocritæ, sed iucundi isti serui DEI, *timentes nomen sanctum eius, qui ex animo* DEVM *colunt? Profecto alienum, & prorsus diuersum à cæteris. Alij dixerunt: Vanus est, qui seruit* DEO. *Et iterum:* Beatos *dicimus arrogantes.* Contrà, *fideles & timentes* DOMINVM *duo memoria dignissima subiunxerunt.*

Primum

Primum, Dei prouidentiam, et quòd illi sit cura de omnibus profitentur. Secundo, profitentur ueritatem scripturæ Dei, in qua uniuersi arrogantes, & impij maledicuntur, pij uero benedicuntur.

Dixerunt ergo primum. Et attendit Dominus, & audiuit. Attendit, illi cura fuit, & prouidentiam habuit de omnibus. Non neglexit seruos suos, qui omnia prospicit, omnia audit. Nec impunitos deseret impios, uero cultui suo detrahentes, & laudantes iniquos. Qu. d. Si Deus uniuersa attendit, profecto mendacium est, quòd hypocritæ dicunt, uanos esse eos qui Deo seruiunt, impios uero beatos. Cum seruis enim suis semper est, etiam in tribulatione. Psal. 90. Et pacem etiam in medio umbræ mortis atq; flammarum eis tribuit, & omnia illis uertit in bonum. Roma. 8. Mendacium quoq; est, quòd impios adserunt beatos esse, cum Deus iustus sit, & ideo fieri non possit, ut fallax huius sæculi (quam in tempus habent) felicitas non mox corruat. Tenent tympanum & citharam, gaudentq; ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendent.

Dixerunt quoq; sancti. Et scriptus est liber monumenti &c. Quis hic liber monumenti? Alij ad Dei notitiam, qua oculis eius omnia patent: Alij ad diem iudicij, in quo reuelabuntur animorum abscondita referunt, dicentes quòd ea quæ tum palàm fient, nunc quasi in libro scribuntur. Nos hunc librum scripturam Dei esse, nihil dubitamus.

Quid enim sunt Biblia sacra, nisi liber monumenti diuinæ uoluntatis? Propter quod hic dicitur scriptus coram eo, scilicet eo gratum habente, imò iubente, & reuelante, quæcunq; in eo scripta sunt. Alludit enim, præcipienti aliquid scribi coram se, & interim dictanti, ac emendanti, si quid perperā scriptū esset. Significat aūt in Biblijs, nihil omnino aliud esse, quā purissimū uerbū Dei, & testimoniū uoluntatis eius. Vnde psal. 18. & 118. itemq; Esa. 8. ipse Dei scripturæ liber, testimoniū Domini adpellatur. Et id quidem recte, quod in eo solo libro, sit nobis certum testimonium uoluntatis Domini, & iudiciorum eius. Et in nullo alio libro, ueritas est, nec certum Domini testimonium, nisi ipsi Dei libro conueniat.

Porrò is liber dicitur scriptus, timentibus nomen Domini, & cogitantibus uel scientibus nomē eius, quia propter eos maxime à Deo reuelatus est. Semini quippe Abrahæ datus est, ad quod semen pertinent, fideles cuncti. Roma. 9. Deniq; ipsum librum nemo intelligit, nisi timeat Dominum. Vide suprà cap. 1. quid sit proprie timere Dominum. Nunc ò fideles, ò uniuersi timentes Dominum, intendite. Vobis, id est, pro uobis, in uestram scilicet utilitatem, scriptus est hic liber monumenti Dei. Hunc ergo perlegite, meditemini q; in eo die ac nocte.

Veh Antichristis execrabilibus, qui hunc librum auferunt, ab his qui maxime Deum timent, nempe, à simplicibus, prohibentes ne ab eis legantur, habeantur, & in eorum

eorum uſum excudantur · O tyrannidem nullatenus ferendam· Hunc librum reuelauit Deus pro ſimplicibus, et homines hypocritæ, mendaces, ac execrabiles id fieri nolunt, & modis omnibus præpediunt·

Attamen nihil expaueſcite uos, qui timetis Dominũ, ſed intrepide agite· Legite hunc librum monumenti Dei· Petite quoq; à Deo ſpiritum, ut uobis utilis ſit, & per ea quæ in illo ſcripta ſunt, ĩ fide roboremini, ne in tẽpore tentationis deficiatis à timore ſancto · Orate ut ipſius myſteria, agnus Dei uobis aperiat, qui ſolus eundẽ aperire poteſt, et ſoluere oĩa ſignacula ſiue impedimẽta eius, ea ſcilicet quæ præpediunt ne intelligatur · Apoc·5· Interim ueruntamen nihil negligent, audire ſynceros illius concionatores· Quod ſi deſit, qui uiua uoce erudiat uos eiuſdem libri abdita, quærite eos qui ſimplicius & purius, eundem explanant· De quibus uolente Domino, libro de prophetia, plenius agemus·

P A R S N O N A·

Et erunt mihi, ait dominus exercituum in die qua ego facio in peculium, & parcam eis ſicut parcit uir filio ſuo ſeruienti ſibi. Et conuertimini & uidebitis quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.

Quia

QVia fideles Dominum timentes, omnia diuinæ prouidentiæ tribuũt, & se mutuo consolantur, libro monumenti Dei, scientes quòd in eorum bonum & salutem scriptus sit, ut per patientiam & scripturarum consolationem, spem habeant, idcirco Dominus ait, quòd erunt ei in peculium, in rem scilicet conquisitam, & hæreditatem carissimam. Quando? In die, inquit, qua ego facio. Hunc diem quidam referunt, ad extremum iudicium, nos nihil minus putamus hic dicendum, quia timentes Dominum, non adcipientur tum primum in peculium, nec tum solum parcet eis. Ad id obserua diligenter, scopum textus. Hic agitur de bono eorum, qui omnia à Deo esse, & illius prouidentiam, in omnibus profitentur: Sic quoq; dicit: In die qua facio, erunt mihi in peculium, & interim non explicat, quid in ea die faciat. Ego crediderim nil specialiter intelligendum, sed omnia prorsus, ad quæ Dei prouidentia se extendit, ut sic enarretur. Qui in die qua ego facio, hoc aut illud, cum scilicet mitto crucem & angustias fidelibus, et sanctis: reprobis uero tribuo huius sæculi prospera, & in summa, quidquid facio cũ iustis & impijs, aut cum ipsismet bene capiunt, & profitentur, quod omnia iuste facio, erunt proinde mihi in peculium, & populum dilectum. Sensus est: Qui sic me timẽt, quod dum mitto illis, aut alijs iustis, aliquid aduersi, impijs uero prospera, de me haudquaquam murmurant, sed in libro monumenti mei consolantur, læto animo perseuerantes,

tes, & non apostatantes à cultu meo, eo quod sciãt omnia à me iuste fieri, erunt mihi dilectissimi ac charißimi. O sermonem incomparabilis consolationis, modo timeas Dominum. Per hunc namq; certus es, quòd in omnibus aduersis, tecum habeas Deum, te diligentem, seruantem, protegentem, & tam multum quidem, ut pro suo peculio te habeat.

Tum quoq; parcet ipsis timentibus se, sicut parcit uir filio suo, seruienti sibi. Quid dulcius & amabilius dici posset? Pater filio non parcit, ut famulo, sed multo liberius, & maiori dilectione cum eo agit, ac sibi complura tribuit. Qui si aliquid forsan licentius aut minus prudenter in cõuersatione agat, quàm deberet, facile illi indulgebit Pater, modo illi pro uiribus inseruiat, & bene habeat patris admonitiones. Nec tam durus est cum filio, ut nolit eum aliquando lætari, comedere, bibere, & à labore quiescere, modo paternæ uoluntatis memor sit, illam scilicet impleat. His autem maiora, non dubites cum se timentibus agere Deum, quos pro filijs habet. Siquidem & filij Dei facti sunt per Christum. Crede illi, & ex fide uiue, & tum seruis Deo, ac filius eius es. Quod si cadis, ne diffidas, quòd bonum habeas patrem. Ipse tibi non imputabit quodcunq; peccatum ob fidem. Mox enim ut doles, & credis pro te passum filium Dei, peccatum remittitur, tegitur, & non imputatur. Viue lætus, modo non contra pietatem, manduca, bibe, sis cum uxore & familia,

lia, in timore suo, nihil expauescens, sed spiritu gaude & gaudio quidem magno, quòd beneuolentißimum habeas patrem. Si peccasti, si adflixit te quispiam, si in carcerem coniectus es, aut aliud quiddam aduersi perfers, ne desperes, sed crede, quòd optimum habeas patrem, super filijs sibi seruientibus, maxime uigilantem & solicitum. Beati ergo omnes qui timent Dominum, quos Deus ut filios fouet, amplectitur, diligit, seruat.

Sequitur. Et conuertimini, uos qui per infirmitatem & cæcitatem. Hactenus non nisi in hypocrisi coluistis Deum, & putastis deterius agi cum fidelibus. Conuertimini, id est, credite, resipiscite, uerbo meo adquiescite, & mox illustrabo uos spiritu meo, & uidebitis quid sit inter iustum & impium, hoc est, quàm multum differat inter iustum & iniquum, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei. Sensus est: Mox ut conuersi fueritis, in uobis ipsis probabitis, quòd melior absq; similitudine sit conditio piorum, quàm impiorum.

CAPVT QVARTVM.

Summarium capitis. Primum, de die Domini succensa ut caminus, omnes impios absumente. Secundo, quòd sol iustitiæ oriretur, timentibus nomen Domini, & ibi nõnulla præclara de electis. Tertio, præcepit ut legis Mosi recordarentur. Quarto, de Helia ueniente ante diem Domini, magnum & horribilem.

Pars

PARS PRIMA.

ECce enim dies ueniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula. Et inflammabit eos dies ueniens, dicit dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem & germen.

VNiuersi fermè interpretes, hanc diem succensam, diem extremi iudicij esse uolunt, quorum sententiæ nihil detractum uolumus, interim pro re indubitata habentes, quòd primum de priore Domini *aduentu capiatur, quemadmodum ex his, quæ sequenti & ultima parte habentur, notum est.* Ergo *de utroq; aduentu, est hic textus capiendus, tametsi maxime de priori.*

Primum *igitur, dies prioris aduentus* Domini*, imò dies ille* Christianæ *lucis, in quo sunt quotquot syncere credunt, dicitur succensa uelut caminus, ob ignem spiritus sancti, & præsentiam solis iustitiæ* Domini IESV Christi*, qui timentibus* Deum *exortus est, ut mox habebis.* Qui *ipsum spiritus sui ignem misit in terram, & uult eum uehementer accendi.* Et *uere quisquis in eam lucem, in eum inquam diem,* Dei *munere peruenit, non potest non totus incendi, & feruere in gloriam* Dei *&* Do-

mini

mini nostri IESV Christi, amoremq; ueritatis, ac zelum salutis proximorum. Et quo plus aut minus, lucis huius diei particeps es, eo plus aut minus es incensus.

Incendetur quoq; & absumetur omnis superbia & impietas. Vnde & hic dicitur. Et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies ueniens. Tale quiddam habuimus in Abdia, ubi dicitur: Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma; & domus Esau (per quam omnes incredulos diximus capiendos) stipula. Variè autem sunt impij stipula ignis Domini, quemadmodum & ignis uarius est. Ignis diuini spiritus, incendit electos in eorum æternam salutem, reprobos uero & apostatas, ignis diuinæ indignationis reprobat et cõdemnat. Porrò hi dei ignes, potius eiusdem ignis uarij sunt effectus, quàm diuersi ignes. Nimirum mox ut quis spiritus IESV CHRISTI felici igne incensus est, per ipsum spiritum iudicat & condemnat omnem iniquitatem, & repletur zelo, & indignatione pro Domino aduersum impios, & ad id nititur, ut omnes iniusti pariter succendantur, quo dispereãt illorũ iniustitiæ, & iusti fiant. Quis tribuat, ut in omnes gentes ignis iste perueniat, & omnes impij ac superbi eius stipula fiant, in eorum salutem. Erunt quidem & sunt indubie stipula eius, etiam reprobi & increduli, sed per condemnationem, quòd scilicet à Dei spiritu condemnentur.

Porrò electos cum ad Deum conuersi fuerint, sic inflammat

flammat is dies Christi, & inflammabit perpetuò, ut nequaquam sit desiturus, donec absumpserit & uorarit, omnem radicem, omneq́; germen impiorum, hoc est, incredulitatem, & fructus suos, aut ipsos incredulos. Etenim dum omnes impios succendit, tametsi uarie, sicut diximus, quasi germen & radicem eis non relinquit.

Deinde, qui toto hoc tẽpore Diei CHRISTI, *scilicet usque ad extremi iudicij diem, igne diuini spiritus iudicantur & reprobantur, in ipso die iudicij, à* CHRISTO *manifeste condemnabuntur, & auferentur, tanquam puluis à facie terræ.* Psal. 1. *Maledicenturq́; ab eo, & mittentur in ignem æternum, qui paratus est* Diabolo *& angelis eius. Nimirum, ea quoq; dies erit succensa uelut caminus, ob iram dei aduersum impios, & terribilem* CHRISTI *sententiam contra eos. Cuius ignis, id est, iræ, uniuersi superbi & facientes impietatem stipula erunt, & inflammabuntur, dum punientur igne æterno, & non relinquetur ex eis radix aut germen, dum uniuersi tum ex terra auferentur, demergenturq́; in infernum.*

PARS SECVNDA.

Et orietur uobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Egrediemini, & salietis sicut uituli de armento.

DOminum IESVM Christum lucem esse mundi, non secundum carnem, sed iuxta spiritũ, & gloriam ueritatis multis locis probauimus. Quandoquidem est lumen ad reuelationem gentium. Lu. 2. Lux illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ioan. 1. Lux mundi. Ioan. 8. Et uides apertissime quòd sol uocatur. Cuius autem lucis sit sol, notum fit ex adiecto iustitiæ uerbo. Sol, inquit, iustitiæ, hoc est, iustificans, uel iustitiam adferens, non corruptam illam, quæ est uelut pannus menstruatæ, sed diuinam, sanctam, incorruptam, sempiternam, de qua psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Et psal. 84. Iustitia & pax osculatæ sunt. Item Danie. 9. Introducatur iustitia sempiterna.

Porrò is sol habet pennas. Quæ pennæ solis, nisi radij? Radij autem solis iustitiæ, ueritates eius sunt, in quibus est sanitas, id est, uis sanandi, non dubium quin ab omni iniustitia, peccato, malo, & corruptione. Verum hi soli sanantur, ad quos hi radij perueniunt. Perueniunt autem ad eos solos, qui illis credunt. Infirmi ergo sunt omnes, qui his pennis haudquaquam participant, omnes scilicet increduli, quòd aliunde uera sanitas esse nequeat. Sanitas enim salus est, & non est alia salutis uia, quàm sanitas procedens à pennis ueri solis iustitiæ Christi. Non enim est aliud sub cælo nomen datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Acto. 4.

Pro

Pro quibus autem ſit in carnem ortus is ſol iuſtitiæ, notum facit per id quod ſubiunxit: Vobis timentibus nomen meum. Hi ſunt electi & fideles, pro quibus ſolus Chriſtus uenit, prout aperte Chriſtus dicit. Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Sed omnes electi ad ipſam domum Iſraël pertinent. Hæc omnia ſubiunxit Dominus ad conſolationem timentium nomen eius, qui Dei prouidentiam ſunt profeſſi, ut habes capitis præcedentis parte octaua.

Ergo pro ſolis Deum timentibus, ortus eſt Chriſtus, uerus ſol, & per eius pennas, id eſt, radios ſanantur, ut non ſint ultrà cæci per tenebras humani ſenſus, claudi per tortam mẽdacij uiam ambulantes, aut alioqui ſpiritu infirmi, ſed fortes. Et egredientur, & ſalient, ſicut uituli de armento, quo ſermone eorum fortitudo, & uehemens in Chriſti amore, ac uoluntatis eius obſeruatione feruor, fideliſq; perſeuerantia figuratur.

Vides ex hoc loco, quòd dies illa, ut caminus incenſa, ſit potiſſimum Chriſtianæ lucis dies. Ideo enim uocat Dominũ IESVM CHRISTVM iuſtitiæ ſolem, cuius lux omnem electum illuſtrat, ut de qua potiſſimum die loquatur intelligas. De die namq; iſto iudicandum eſt, ſecundum uerbum hic poſitum, uidelicet: Orietur ſol iuſtitiæ, quod indubie tam de natiuitatis ortu, quàm de eo quod in electi cor per fidem exoritur, intelligendum eſt.

Et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum uestrorum, in die qua ego facio, dicit dominus exercituum.

Ponuntur sub pedibus, & calcantur, qui uincuntur, & perfectissime subijciuntur. Igitur promittit Deus electis suis, timentibus nomen suum, quòd hostes suos calcabunt, hoc est, quòd sub eis humiliabuntur, credentes uerbo, quod ipsi electi habent, aut non credentes, per ipsum uerbum condemnantes.

Sed quando calcabunt? Cum fuerint facti, ut cinis sub planta pedũ eorũ. Hoc ponit in metaphora permanens, secundum quam, si impij fiunt stipula ignis Domini, sicút ligna combusta in cinerem, ita illos in cinerem redigi necesse est. Redigi in cinerem, est carnem mortificari & crucifigi. Nunquam autem quispiam ueritatis adsertoribus adquiescit, aut uerbo quod prædicant se subijcit, nisi posteaquam eorum caro dei igne, id est, spiritu, in cinerem redacta, hoc est, mortificata & crucifixa fuerit. Calcabunt quoq; eos, modo præscripto, in die qua egō (dicit Dominus) facio, subaudi ea quæ hic ponuntur, nempe, cum facio, ut uobis timentibus Deum oriatur sol iustitiæ, & pennarum eius efficacia sanemini, saliatisq; sicut uitulus de armento, & per id facio, ut calcetis omnes qui ex impijs ad electorum Ecclesiam spectant. Hæc de resipiscenti-

ſcentibus, et his qui ſuſcipiunt uerbum. Iam de reprobis, certum eſt, eos tum per ignem diuini iudicij, uelut in cinerem redigi, cum omnino deijciuntur, & omnis eorum gloria aufertur. Et cum calcantur ſub pijs, & diſpereũt, pij uero ſeruantur. Quod manifeſtiſſime in iudicio poſtremo & generali fiet. Benedicti, qui priore modo à pijs calcantur, maledicti uero ſunt, qui poſteriore.

PARS TERTIA.

Memětote legis Moiſi ſerui mei quam man dauí ei in Oreb ad omnem Iſrael, præcepta & iudicia.

MAgnum eſt hoc præceptum, etiam ſi minimum pro his qui nunc ſunt fidelibus, à nonnullis eſſe putetur. Nimirum tametſi præceptum fuit hoc ſpecialiter his qui tum erant, nos ueruntamen etiam contingit. CHRISTVS enim, non uenit ſoluere legem, ſed adimplere. Non enim fecit nos liberos à legis ſpiritu, quòd libertas ipſiſſima ſit. Seruandus ergo, & meditandus eſt legis ſpiritus, ſicut DOMINVS ait: Scrutamini ſcripturas, quoniam teſtimonium perhibent de me. Et uere tam inſignis eſt Moſi lex, ut abſque eis, neque etiam alij libri ueteris inſtrumenti, ut prophetæ, neque noui, in locis nonnullis intelligi queant.

Et ego id summe omnibus diuinæ scripturæ studiosis consulo, ut præ cunctis alijs ueteris instrumenti libris, Mosem diligentissime legant, & meditentur, quærantq; eius spiritum, quòd illius fructus incomparabilis sit. Quia aũt insignissimus est hic locus, propriam partem fecimus.

Qua autem ratione hic posuerit hunc locum, & de lege Mosi præceperit, ut eius recordarentur, non erit obscurum, si summam hic positorũ, uigilanter prospexerimus, nempe, quòd promittit auxilium, gloriam, & uictoriam se timentibus, alijs uero conculcationem, & quòd absumentur igne.

De Christo quoq;, & electorũ conuersione hic agit. Quæ prænunciantur in lege, uarijs modis, nempe, & aperte & sub figuris. Quæ per singula prosequi longũ esset. De his nonnihil agemus, libro de prophetia, et alijs locis confidimus, nos id plenius ostensuros.

PARS QVARTA.

Ecce ego mittam uobis Heliam prophetam antequam ueniat dies domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate.

Certum

CErtum est, Heliam uenisse, quòd Ioannes Baptista Helias fuerit, ut diximus Lucæ primo, & aperte habes Matth. 11. & 17. ac Mar. 9. Is uenit ante diem Domini, magnum & horribilem, ante scilicet quã lux ueritatis Dei per CHRISTVM nota fieret, quæ lux est magna, carni autem & sanguini horribilis. De hoc die, & quàm sit horribilis carnalibus, diximus suprà cap. 3. parte secunda. Veniës autem Ioannes conuertit corda patrum in filios, & cor filiorum ad patres, ut se inuicem ex fide & secundum uerbum Dei amarent. Hoc uerbum declarauimus Lucæ primo. Causa autem aduentus Ioannis fuit, ne DOMINVS terram anathemate percuteret, si CHRISTO postmodum ueritatem nunciante, homines imparatos reperiret. Parati haudquaquam sunt increduli, alij uero fide parati. Sic parauit in plebe uiam Domino, ipse Ioannes. Parauit enim Deo plebem perfectam. Lucæ primo. Et quotquot non receperunt eum, anathemate sunt percußi, hoc est, euersi, perditi, reprobati. Et usque in sæculi finem, quotquot non recipient eum, anathemate à Deo percutientur, ab eo scilicet diuidentur, & in perpetuum quidem. Noli nos Domine, percutere anathemate. Et quo iremus, si à te separaremur? Non contingat hoc nobis, qui cupimus gloriam tuam, ut unquam simus anathema à te.

Magis percute nos flagellis tuis, tantum ne unquam

non simus populus tuus, & oues pascuæ tuæ. Referunt *complures hunc locum de Heliæ aduentu, ad iudicij diem, quod scilicet, ante illum sit* Helias *uenturus.* Ego *intutissimum iudicarim, adserere* Heliam *in persona uenturum.* Puto *ueruntamen, horum alterum, nempe, aut ipsum* Heliam, *aut unum seu plures, habentes* Hæliæ *spiritum, ipsum iudicium antecessuros.* Serua *nos* Domine, *ne anathema simus à te, & me peccatorem electis tuis adnumera, & fortissime alliga uinculis tuis, parcens quidquid peccaui coram te, et in tui perfecta dilectione cõseruans, per* Dominum *nostrum* IESVM *Christũ, in spiritu sancto:* Cum *quibus es unus* Deus, *unus* Rex, *et* Do*minus, in sæcula sæculorum,* Amen.

Commentariorum Francisci Lamberti Auenio. in librum Malachiæ Prophetæ, Finis.



FRANCISCVS LAMBERTVS SAVE

nionen. Chriſtiano & Studioſo lectori.



Ratia tibi & pax, ab eo, qui eſt Alpha & ω, principium et finis Is, cuius dono fuimus dudum auſpicati duodecim Prophetarũ cõmentarios, nobis concedere dignatus eſt, ut eoſdem perficeremus. Quod quidem fecimus ſecundũ eius donationis menſuram, nos ad id multis argumentis fratribus nonnullis prouo-

cantibus. Desudauimus autem simplicium utilitati ac consolationi, & in eorum maxime usum, hunc laborem nostrum publicum fecimus, propitio Christo. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.

Ex Epistola autem, quam sub finem Oseæ scripsimus, puto satis admonitum te, nostri haudquaquam fuisse propositi, alia quã uulgata Hieronymi æditione in hoc nostro opere nunc uti, & paucissimis demptis nihil immutare uoluimus,, per id cupientes utiles esse pluribus, qui ea uersione hactenus usi fuere. Nostri quippe muneris fuit, non tam uoces, quàm sensum expendere, quòd è uerbis sensus sit colligendus. Quemadmodum etiam Apostoli Græca uersione uti non dedignati fuere, nec cum ea usi sunt, curiosius minutatim aut uerbotim obseruarunt, quid in Hebręis scriptum esset codicibus, sed satis esse putarunt, quòd Chtistum docere poterant, aut ex solo scripturæ sensu, aut ex tum uulgata æditione, ita & nos facere uoluimus.

Scimus quoque, prophetanti fore necessarium, ut omnis eius prophetia, seu, scripto, seu uoce prodita, sic ab eo tradatur, ut quo magis

gis fieri poteſt, ſit utilis pluribus, immo ut ſi liceret per linguam, uniuerſi eam caperent. Timui ego ꝑinde, ne per meã curioſitatẽ abſconderetur ſimplicibus, & parum doctis, quæ pro illis maxime nobis reuelantur, ob idque reus fierem iudicio coram Domino.

Quia enim illorum commodis pro uiribus cõſulere uoluimus, quicquid ſubobſcurum uiſum fuit, illorum cauſſa deuitauimus, nec miſcuimus paſſim uoces peregrinas, ut non nulli, ne per hæc ſimplex lector à ſenſus intelligentia præpediretur. Neq; moramur quicquam ingenia aliud uolentium, quòd id nobis ſemper in animo ſit, prodeſſe etiam latinitatem utcunque capientibus, potiuſquam loqui ualentib. eos qui nõ ſpiritũ aut ſenſum ſed uoces quęrunt, ſinens abũdare ſenſu ſuo, quibus ueruntamen ſaniorem & Chriſtianiorem optamus. Quid enim his ſecundum carnem prudentibus, & uerbo ſpiritus Dei, quod explanare adnitimur? Summa, noluimus, ut ex noſtris ſcriptis aliud quiſquã petat quã purum ſenſum, quantũ licuit per menſuram acceptæ Chriſti donationis.

Quòd ſi cui omnino in animo eſt alia quępiam uerſio, modicum operiatur. Cõfidimus enim

enim, utrumque Instrumentum breui emendatius emittendum. Cæterum nihil dubitamus, etiam cum noua uersiõe has nostras enarrationes pijs animis conducturas. Nihil quoque obfuerit, duas habere uersiones, q̄ altera per alteram sæpe fiat notior. Tertia quoque forsan aliquid iuuabit. Multitudo autem potest nonnullis conducere, pluribus autem uix. Nimirũ eosdem per id uexat, curiosa occupatio filijs Adam perpetua, nisi eos retineat spiritus IESV Christi. Multitudo quippe & uarietas in eiusdem rei iudicio mẽtem perplexam facit, sæpe etiam pios ac simpliciores, ad curiositatem allicit, & à priori simplicitate alienos facit, fructum quoq; piæ lectionis euacuat. Deinde nihil dubitarim inter tam grauia mysteria hallucinatum fuisse me. Si ergo offenderis, me sensum aliquando non consecutum, profunditas mysteriorum ueniam apud te mihi promerebitur. Gaudebo autem & uere gaudebo, gaudio quidem magno, si tu aut alius quispiam synceriora adtuleritis, & sensum uerum certius alicubi ostenderitis. De qua certitudine, quod ad me spectat, nõ memini me quidquam in rebus sacris asseruisse, immo neque

asserui.

asserui, nisi ea quæ certa esse, non dubitaui. Certa enim assertiue, alia ut melius putaui, dubitatiue ꝓposui, nõnulla autem me nescire professus fui. Scito autem ò lector, professori impollutorum DEI eloquiorum, id præ cæteris necessarium, & muneris sui esse, ut cum tremore, ac diffidentia omnis eruditionis ac literaturæ, eadem enarret, sciátque quibus locis aliquid asseret, quibúsue dubitabit, et quibus suam profitendo ignorantiam det gloriam magno Dei nomini, & facto ostendat, quòd non ab homine, sed à Deo sit, scripturæ sacræ interpretatio, qui sicut, et quã tum uult, eius sensum aperit. Pręstiti, quantum aperuit mihi Deus, alius idem faciat, ùt uno sensu Deum honorificemus, & fratribus auxilio simus, illis communicantes, quę non reticenda accepimus. Nimirum adiutores Christi facti sumus.

Vnum est, unde uolui pręmonere te, ꝙ inter occupationum tumultus, in primi capitis Abacuc, parte quarta, lapsus fui in uno uerbo, ponens Facies pro uultu, ubi uerbum est, de Facio facis. Sic .n. debuit esse: Efficies uel facies hominem, &c. Deo autem uolente, & hunc, & alia loca in secunda eorundem Pro

phetarum

phetarum æditione, quantũ uiſum fuerit o=portunum, inſtaurabimus. Interim boni cõſule noſtram ſolicitudinem, & ora dominũ, ut quę in nobis cœpit, perficiat. Confidimus deniq; in eum, ꝙ propediem emittemus E=zechielem, deinde Apocalypſim, & alia, quãtum per uitã licuerit, ut ſimpliciores fratres conſolemur. Ora autem pro me peccatore, ut non me reprobet à pueris ſuis, ſed Eccleſię ſanctę ſuæ me fidelem miniſtrum efficiat. Tu quoque uale in eo ſemper, & profice illiꝰ ſpiritu, in doctrina pietatis, Amen.

ARGENTORATI APVD
Iohannem Heruagium, menſe Ianuario.
Anno, M.D.XXVI.

Gratia
Gra, est fauor et beneuolentia dei
qua in Christum credentes acceptos habet

Imago dei

Vna est Imago dei Nempe Christus, ad
quã dum homo reparatur tum eius charismatum
per fidem particeps efficitur,